FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Adami Rechenbergi[i] Svmmarivm Historiae Ecclesiasticae

Rechenberg, Adam

Vitembergae, MDCCLXVII

VD18 12484725

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213274

Visual Library

Recaredus nahm die Gothen als Katholiken. Diese Ursache, welche auf allerley in Spanien Catholicus genannt wurde; ob wohl dieß nicht anders ein Ehrentitel der Spanischen Könige geworden ist. Dann Recaredus Catholicus genannt wurde, ist es die Freundschaft der Geistlichkeit gewesen; auch die Catholischen Bischöffe in der Versammlung Ehrens halber allerley Gaben gesandt hat, damit sie den König Swinthilam abgesetzt und den Sisinandum zur Regierung gebracht hatte. Zu dieser Zeit ist der officium Gothicum aufgekommen, welches auch das Mozarabicum und vornehmlich genannt wird. Muratorius und andere erklären es so: die Saracenen nannten ihre Unterthanen, welche ihre Religion angenommen, Mozarabas und dergleichen, wenn die gothischen Könige.

Es wurde unter dem gothischen Könige Egica auf dem Concilio XVI. zu Toledo Cap. alle Juden, welche die christl. Religion annehmen würden, der Leibeigenschaft und der Dienstbarkeit, worinn sie gestanden haben, loß und frey; alle bewogen, Christen zu werden; aber nur äußerlich. Da nun viel wurden und das Volk darüber in einen Aufstand gerieth, war man wieder auf einem andern Concilio der Gothen, da alle Juden zu Sclaven gemacht, und ihre Güter confiscirt seyn, so wurden den Gothen neun Jahre abgenommen, und gute Christen vorgegeben und Christen geworden, damit sie ihre Güter behalten möchten. Diese die ältesten Familien sind gewiß unter, ob sie denen einige sind.

Es ist zu verwundern, daß die Verfolgung der Juden nicht angegangen, indem die Könige die arianischen Gothen verlassen gehabt und catholisch oder rechtgläubig geworden. Aber man sieht solcher Exempel mehr, daß die Gothen tolerant gewesen sind, als die Rechtgläubigen. Das Exempel der Donatisten ist insonderheit, wie sie Donatisten blieben, was sie den Christen ihre ganze Religion sehr gekränket haben. Doch sind sie wieder, die Circumcellionen, als die Donatisten in Africa, intolerant gegen die Rechtgläubigen gewesen.

Ecclesia catholica heißt die allgemeine (nach dem Lexico) sonsten die rechtgläubige, wie die Catholici die Rechtgläubigen genannt worden. In der alten Zeit war das Wort Gothicus auch so gebräuchl. Richter Dissert. in Symbolo Athanasiano fides catholica die reine Lehre Christi &c. Bischöffen die Macht die Ketzer zu binden, gebraucht man die Worte Christi auch, wenn einer selbst wider den Rath der Kirche handelt, muß er als ein Heide und Zöllner gehalten werden. Hier.

Franckesche Stiftungen zu Halle

ADAMI RECHENBERGI
SVMMARIVM
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
IN VSVM
STVDIOSAE IVVENTVTIS
ADORNATVM
PRAEMISIT
ANTELOGIVM AD LECTOREM
DE
PRVDENTIAE IN SANCTIORIS HISTORIAE
STVDIO NECESSARIAE CAVSSIS
IOACH. SAM. VVEICKHMANN
SS. THEOLOGIAE DOCTOR
HVIVSQVE IN ACADEMIA VITEMBERGENSI PRO
FESSOR PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS EC
CLESIASTICI ASSESSOR AD OO. SS.
PRAEPOSITVS

EDITIO NOVA

CVM PRIVIL. SERENISS. ELECT. SAXON.

VITEMBERGAE
SVMTIBVS IO. IOACH. AHLFELDII
MDCCLXVII

DE. A. THOLUCK
789 F 82

ADAMI RECHENBERGII

SVMMARIVM

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

IN VSVM

STVDIOSAE IVVENTVTIS

ADORNATVM

PRAEMISSIT

ANTELOGIVM AD LECTOREM

DE

PRVDENTIAE IN SANCTIORIS HISTORIAE

STVDIO NECESSARIAE CAVSSIS

IOACH. SAM. VOLCKMANN

SS. THEOLOGIAE DOCTOR

HVIVSQVE IN ACADEMIA VITEMBERGENSI PRO

FESSOR PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS EC

CLESIASTICI ASSESSOR AD OO. SS.

PRAEPOSITVS.

EDITIO NOVA

CVM TRIPLICI SERENISS. ELECTORIS

VITEMBERGAE

SVMTIBVS IO. IOACH. ALTERI

MDCCXXXII

SITHOL: XII A 404

LECTORI BENEVOLO

Si quod unquam fuit tempus, post Ciuitatem a Christo conditam, quo rerum in eadem gestarum notitia necessitatem habuerit ingentem opportunitatemque nostra profecto memoria tanto maiori excolenda studio uidetur, quanto caussae sunt illius pertractandae iustiores. Calcaria stimulosque nobis in primis, castam LVTHERI nostratis qui sancte sequimur disciplinam, subiecerunt Romani Pontificis amici. Etenim, ex quo Sacra, LVTHERI, diuinitus inflammati, opera, sunt instaurata, rei suae desperatae melius longe, persuaserunt sibi, prouideri, si quidem, quaecunque profiteantur, quaecunque in conuentibus suis religiosis seruent, non tam diuinorum auctoritate oraculorum, in quibus praesidii nihil reperire se animaduertunt, quam longo anti-

quissimoque coetus, Christo deuoti, usu communire possint. Quo quidem consilio factum est, iidem ut certatim omnes ingenii facultates, nulla diligentia non adhibita, conferrent in unum, ad protrahendum in lucem, explicandum etiam, et constabiliendum, quicquid antiquitas sacra habuerat reconditum, certe non omnibus cognitum exploratumue, dummodo nostram familiam huiusque doctrinam et instituta, nouitatis, nescio cuius, labe inquinarent, nosque, quoad fieri posset, orbi Christianorum, redderent inuisos, suis rebus eo facilius, uti putant, collocandis in tuto. Atque hoc animo adeunda, omnique industria uersanda esse sanctioris monimenta Historiae, Franco - Gallorum Theologis, libere et satis confidenter significat, cum EVSEBIVM primum curat edendum, eruditissimus VALESIVS. Ita enim ille Epistola, *Archiepiscopis, Episcopis, et uniuerso Clero Ecclesiae Gallicanae* inscripta, sub operis, quod molitur, auspiciis, hos compellat, nihil ut ad laudem coetus sui illustrius, nihil ad defensionem fortius, nihil ad propagationem utilius, nihil ad morum ac disciplinae grauitatem restituendam aptius, proferri posse censeat Historia rerum Ecclesiasticarum. Praecipue sacrorum Romanorum hostes, quibus haereticorum infamiam

miam inurit, terga ſtatim uertere exiſtimat, quam primum hoc ſcriptionis genere in eos fiat impetus. Diuturno certe uſu cognitum comprobatumque ait, eos diſputationibus ac ratiocinando aegre profligari, accendi potius acrius ac ſpiritus ſibi audaciores ſumere, quod multo fiat aliter, hiſtoria ſanctiori in ſubſidium uocata. Vide, quam firmum ea in re perfugium praeſidiumque ſalutis collocet. *Hiſtoria rerum Eccleſiaſticarum cum ſe in animos legentium placidius inſinuet, longe facilio-rem de iis uictoriam refert. Quis eſt enim ex diuerſae factionis hominibus, qui cum Eccleſiaſticam Hiſtoriam attente perlegerit, non ſtatim pudore ſuffuſus, errorem ſuum illico damnatum cognoſcat, ſeque, uelut membrum a reliquo corpore praeciſum, defleat. Etenim cum Eccleſiaſtica Hiſtoria nihil aliud contineat, quam Apoſtolicarum ſedium perpetuam ſucceſſionem, Epiſcoporum ſibi inuicem ſuccedentem ſeriem, quicunque ex haereticis ad huius Hiſtoriae lectionem oculos atque animum intenderit, fateatur neceſſe eſt, ſe ab illa Apoſtolorum ſucceſſione et ab illa Epiſcoporum communione prorſus alienum eſſe. Pudeat igitur illos oportet erroris ac nouitatis ſuae, quotiescunque in Hiſtoria Eccleſiaſtica, tanquam in ſpeculo ueritatis, conſpiciunt antiquitatem, dogmatum ſuorum errori nouitatique repugnan-*

tem. 1) Sed hoc sedis Romanae propugnaculum eo maiori fide ac uigilantia muniendum erat seruandumque, quod illud secunda fortuna concussérant Centuriae illae Magdeburgicae, et par pari referentes, quantum Romae a priscis discessum sit praeceptis ac moribus, satis manifeste demonstrauerant. Dignior uidebatur nullus, cui daretur id negotii, magno Annalium Ecclesiasticorum conditore, qui, insanae molis opere, omnem mouit lapidem, profanorum hominum, qui Christi religionem nouellam, Christianos homines nouellos, iactabant, acerbitatem imitatus, ut uenerabilem religionibus caerimoniisque sui coetus assereret antiquitatem, contra ea gentis Lutherae disciplinam ipsa nouitate redderet suspicionsam. Quod, uetustatem ubique fingendi Apostolicam, artificium, quam pestiferum bonae nostrae fuerit caussae, tum ab aliis, tum in primis a magnae celebritatis uiro, BOSIO, ostensum est, oratione exquisita, de Historia Ecclesiastica diligentius excolenda, ubi complura, illustris etiam dignitatis, commemorat exempla eorum, qui de Romani Pontificatus institutis, ultima commemoratione per manus traditis, persuasi, temere Sacra, per LVTHERVM, ad pristinam uerbi diuinioris rationem reducta,

1) Epist. ad Cler.

ęta, dimiſerint. 2) IOANNES uero FABRICIVS, a NICOLAO STENONE, in cuius ille familiaritatem in Italia uenerat, ſe accepiſſe, refert, eum, legendo in primis BARONIO, ad Pontificias inuitatum fuiſſe partes. 3) Quid de foediſſima SCIOPPII aſſentatione dicam, qua, literis ſingularibus, multas BARONIO agit gratias, eius, uti ſcribit, Annalibus ad fidem Eccleſiae Romanae perductus. 4) Latius, credo, manaſſet malum, myſterio iniquitatis, niſi maturrime uiri, tanta doctrinae, quanta integritatis, laude florentes obſtitiſſent, e quibus, alios ſi tranſeam, unum, ſed ampliſſimae hominem lectionis, cito CASAVBONVM. Hic enim Epiſtola, Exercitationibus ſuis praefulta, ſe, IACOBO profitetur, gloriae DEI zelo ſuccenſum, ut ueram antiquitatem, aduerſus nouitates Baronianas, generoſo animo ſuſciperet defendendam. Summam enim uoti ſui, illa in ſcriptione uerſantis, eſſe hanc, ut falſo creditae antiquitati laruam detraheret.

Ex his, quae breuiter diſputauimus, puto apparere, facturos nos operae pretium, ſi caueamus, ne apud nos haec ſtudia, ſancta non minus, quam publice frugifera, lateant in tenebris, id potius acerrime connitentes,

2) Introduct. in Notit. p. 209. 3) Hiſt. Bibl. P. II, p. 432. 4) Vid. MAYERI Eclog. de Fide *Baronii* et *Bellarmini*.

ut ſuſpicione, nos homines eſſe nouos, hodie uel heri ortos, liberemur. Sed ad hoc uoluendum ſaxum, cum accedimus, animo ubiuis circunſpiciamus oportet, omnique utamur cautione, ne, anquirendo uerum, aberremus a uero. Stat mihi, in praeſens ſtrictim ſummatimque aliquot cautionum, quas Hiſtoriae Sacrae ſtudioſus ſibi ante oculos proponere debet, percenſere cauſſas

Ac prima quidem repetenda uidetur a magna monimentorum, ad noſtram ſeruatorum aetatem, quibus multo aegerrime caremus, paucitate. Hoc, ſi uſquam, in primis comperias in illa Hiſtoriae noſtrae parte, quae praue ſentientium contemplatur diſciplinas, harumque enarrat commenta opinionum, quibus ingentes in Ciuitate Chriſtiana ortae ſunt turbae. Quodſi ſententiam illorum ad uerum exigere uis accurate, et ſine omni offenſionis metu, omnis cura cogitatioque eſt adhibenda, propterea, quod pleraque eorum, quae differunt, quae ſcripto concinnant, documenta, ultima iam pereunt aetate, pauciſſimis tantummodo fragmentis, uelut ſeruatis e naufragio tabulis, apud alios, aduerſarios ſaepenumero, reperiundis, ut haereas interdum magnopere, utrum uim mentemque eorum recte perceperis, an ſecus. Id, quod modo dixi, exemplis illuſtra-

ri

ri potest compluribus. Vis, incipiam ab seculo, a Christi natali secundo, quo religionem longe castissimam libidinosis agitat calumniis, Christiani irrisor nominis, CELSVS. At impiis eandem insectatur ludibriis, libello singulari, quem splendido ornat elogio, illum cum inscribit ἀληθὴς λόγος. Furorem hominis profligatissimi animo complecti si cupias, euoluendus est, eundem qui castigauit, ORIGENES, libris, quibus disputat in CELSVM, sed ipse λόγος ἀληθὴς iniquitate temporum memoriae ereptus est posterorum. Audaciam CELSO non concedit, anteferendus etiam ingenio, Christiani proditor nominis, IVLIANVS, qui illud secum habet constitutum, ut sanctissimam nostram exscindat religionem. Hac mente, ne alia illius inique facta afferam, ridicule dictis aggreditur, quotquot in Christi familiam sua cooptati sunt aetate, multa etiam nigri salis plena scribit horum in praecepta, occupatus adhuc in expeditione Parthica. Rursus autem non amplius praesto sunt Philippicae IVLIANI, quarum summam si intelligere uelimus, decem libri, a CYRILLO in παραβάτην compositi, uersandi sunt, nugas illius insignite improbas explodentes, quibus aliquam speciem suis in ueritatem mendaciis quaesierat. Conturbat itidem ultima aetate

rem Christianam quaestione, de regno, annos mille ab seruatore ante fatalem uniuersi interitum obtinendo, Aegyptiorum Praesul, NEPOS, suamque sententiam constabilire studet opere, quod ἔλεγχον ἀλληγοριῶν appellat, post excessum suum, ab amicis summopere commendato. Sed hic EVSEBIVS grauiter dolet, ipsum NEPOTEM non superesse amplius, qui ipse audiri si posset, dubitandum non sit, quin omnis controuersia facili negotio possit componi. 5) Quod EVSEBII optatum, leui facta commutatione, semper mihi obuersatur ante oculos, quotiescunque existimandum mihi est de haereticorum, quos consuetudo cognominat Ecclesiastica, familiis. Quam uellem, prodirent ipsi, uerba facerent, et, quid sibi uideretur, continenti exponerent orationis contextu, quo facilius disceptaretur controuersia. Illud tamen arroganter dictum nolim, ne eorum caussam agere uidear, qui, profligatis erroribus, ciuitatem contaminarunt, Christi sanguine fundatam. Tantum enim abest, ut ARNOLDI sequar uestigia, qui innocentiam oppressit, scelera ornauit, ut istorum hominum ambitionem miserrimam, uitiaque quam plurima, summopere detester. Nunquam tamen cogito infirmitatem mentis humanae,

5) Hist. Eccl. VII, 24, p. 271.

manae, perturbationibus incitatae, ac praeconceptis obrutae opinionibus, ut saepenumero peius loquatur, quam sentiat, quin desiderio flagrem, ipsa errantium scripta adhibendi, ad mentem eorum tutius pernoscendam. Nec quicquam detractum uolo de honore, studiis, ac fide, antiquorum coetus Christiani doctorum, qui pestiferas hasce opiniones, atque ab oraculis, diuinitus proditis, seiunctas, fregerunt ac refutarunt. Illi sane laboribus suis grauissimis, atque immortalibus promeritis, mortibus etiam pro salute rei publicae sanctioris oppetitis, eam a posteris gratiam inire non debent, horum ut contumeliis lacerentur, ac ludantur iocose. Quoniam autem, quod multis, EPIPHANII inprimis, locis effici potest, rumores interdum sunt aucupati, ac disputandi nonnunquam feruore abrepti, solicita mentis agitatione hic peropus esse, quis non uidet. Me certe in ancipitem cogitandi curam coniecit illud, quod est apud HIERONYMVM, aliud esse, quod quis dicat γυμνασικῶς, aliud, quod δογματικῶς. Nec se modo ea in re peccasse fatetur, uerum etiam ueterum quam plurimos. Ipsum audiamus. *In priori uaga est disputatio, et, aduersario respondens, nunc haec, nunc illa, proponit. Aliud est quaerere, aliud definire. In altero pugnandum, in altero*

altero docendum est. Quae uerba non sensuum? Quis sensus non uictoriae? ORIGENES, METHODIVS, EVSEBIVS, APOLLINARIS, *multis uersuum millibus scribunt aduersus* CELSVM *et* PORPHYRIVM. *Considerate, quibus argumentis, et quam lubricis problematibus diaboli spiritu contexta subuertant. Et quia interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed, quod necesse est, dicunt aduersus ea, quae dicunt gentiles. Taceo de Latinis Scriptoribus,* TERTVLLIANO, CYPRIANO, MINVTIO, VICTORINO, LACTANTIO, HILARIO, *ne non tam me defendisse, quam alios uidear accusesse* 6) Hoc idem, quod in haeretibus enarrandis, in parte sanctioris historiae, ut mihi uidetur, difficillima impeditissimaque, usu uenit, facile ad alios locos potest transferri, ut, quanti nobis scrupuli ueterum monimentorum penuria iniiciantur, intelligas

Nihilo minorem prouisionem animi et praeparationem postulat ab iis, qui antiquitatis, ad rem Christianorum pertinentis, periculum faciunt, immanis adulterinorum suppositorumque copia monimentorum, quae saepenumero illustria prae se ferunt nomina. Quem quidem locum cum attingo, ad labem deferor, qua coetus, Christo coniunctus, a prima

6) pro Libris aduersus IOVINIAN. Apolog. ad PAMMACH. p. 73.

prima diuexatus est aetatula. Neque enim ipsius Auctoris Statorisque augustissimae nostrae religionis honori petulans pepercit libido, quin eidem uarii generis scripta affingeret, manibus exarata sanctissimis, de quibus, praeter alios, SIXTVS refert SENENSIS. 7) Magistro quod accidit, idem familiaribus illius atque legatis euenisse scimus. Longum est, inire numerum uoluminum, quae homines ingenioſi ad comminiscendum diuinis tribuere sunt ausi uiris, praesertim cum hic otium mihi fecerit FABRICIVS, Codice Pseudepigrapho. Hoc si fit aetate, uti appellatur, Apostolica, quid factum putes sequenti aeuo, maxime intermedio, quo audendi, fingendi et mentiendi libido piae cuiusdam fraudis se commendare specie consueuit. Hic nisi utaris sagacitate acerrima, ad ista historiae monstra expellenda, futurum est, ut decipiaris cum uiris saepe acutissimis. Exempla sunt in numerato, cumulate coaceruata ab IOANNE DALLAEO, de uero Patrum usu, qui, capite tertio integro, pleraque horum scripta, uel olim, uel nouissima demum aetate, ab subiectoribus effecta esse, exquisite docet. Nequeo tamen mihi temperare, quo minus unum afferam piae fraudis documentum, quod homines etiam naris

7) Bibl. Sacra p. 82.

naris emunctae in errorem induxit, quo cautius discamus mercari. Quis enim limatior SALMASIO in existimandis incorruptis rerum gestarum monimentis, quis BLONDELLO subtilior, qui explodendo Pseudo-Isidoro, exemplum dedit imitandi, attentione non minima dignum. Vtrique tamen uerba dederunt PII I, VICTORIsque Epistolae, nullis ueterum testimoniis commemoratae, ne dicam comprobatae. Miratur, eos tam inconsiderantes fuisse, IOANNES PEARSONIVS, in Operibus Posthumis, 8) quippe cum fallaciam aperire potuerint facillime. DODVVELLVS certe, in suis ad PEARSONIVM accessionibus, odoratus statim perfidiam, eam diligenter indagauit. *Nullus*, inquit, *meminit earum Scriptor indubiae fidei coaeuus. Nullus uitarum Pontificalium Catalogus. Nulli epistolarum Pontificalium Collectores, non* DIONYSIVS *Exiguus, ne quidem Pseudo-Isidorus. Sed nec recentiores* ISIDORO *Canonum Decretaliumque compilatores. Nullus meminit* EVSEBIVS, *nullus* EVSEBII *in latinis Ecclesiae Scriptoribus suppletor* HIERONYMVS, *nullus* HIERONYMI *continuator, non* GENNADIVS, *non* ISIDORVS, *non* HONORIVS. *Sed nec alius quispiam paucis, quibus prodierint, Seculis antiquior.* 9) Vertit

8) pag. 268. 9) pag. 90

Vertit eiuſmodi incuriam in rem ſuam BONA, pater purpuratus, nominis Miſſae uetuſtatem altius repetiturus, et primo loco epiſtolam PII collocat ad IVSTVM, Viennenſem Epiſcopum, propterea, quod eam recipiant orthodoxi, neque audeant omnino reprobare ſectarii, ſcriptam ut BARONIO uiſum ſit, A. C. CLXVI. Eſt enim hoc Pontificis Romani clientibus in more poſitum, BARONIO in primis, ut, ſpe depoſita, ex ueris ſinceriſque ueterum libris, nos ſuperandi, incertas mendaceſque chartas obiiciant et opponant. Quo magis in hiſtoria ſanctiori cunctandum eſt, ne talia hominum ad fraudem paratorum ludibria credas pro ueris. Forſitan aliquis laudarit noſtrorum temporum ortunam ſecundiorem, quae res, in coetu diuinitus collecto geſtas, depromant ex diplomatis, ſiue ueteribus, publicis maxime, omnis generis inſtrumentis, periculo labendi multo minori. At ne hoc quidem ſubſidio ſatis nauigatur explorate, ob magnam pariter tabularum commentitiarum abundantiam, et ſcientiam rei diplomaticae multis implicatam nodis. Perpende quaeſo bellum illud diplomaticum, quod inter MABILLONEM GERMONIVMque exarſit, acerbis partium ſtudiis. Id ſi nondum tibi ſatisfecerit, ablegabo te ad IOANNEM GVILIELMVM

MVM HOFFMANNVM, gloriae Academiae noſtrae immatura morte ereptum, qui de lubrico artis diplomaticae praeclare diſputat. Relinquitur, ut, in diplomatica etiam herba angues latere, cognoſcas, ſacramque hiſtoriam pro eo, ac par eſt, circunſpecte tractes atque expendas

Ad extremum, quid quantumque interſit, ut haec ſtudia non ſine animaduerſione ſequamur, clariſſime commonefaciunt nos tot addendo corrupta et deprauata monimenta ueterum, ingenio, et doctrinae copia, praeſtantium, quibus ueteratorum doli tantas adiecerunt ſordes, ut non parum inde detrahatur de fama et dignitate, integritate etiam, qua auctores ipſi floruerunt. Animum refero potiſſimum ad eorum commentationes, qui olim diſciplinae, ſelecto diuinitus coetui traditae, uel antiſtites, uel propugnatores, extiterunt, Patrumque celebrantur nomine. Nec uero accuſabo eos, qui deſcribendis olim operibus ſanctiſſimorum uirorum fungebantur, in quorum audaciam, ſua iam aetate, ſeuerius animaduertit HIERONYMVS, cum, *ſcribunt*, ait, *non, quod inueniunt, ſed quod intelligunt, et, dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos.* 10) Neque nominabo homines iſtos, ad fraudem acu-

10) Epiſt. XXIIX, Tom. I, p. 247.

acutos, et ingenioſe nequam, haereticos, quorum manus praeſtantiſſimis ſacrorum Scriptorum laboribus, quem ad modum expoſuit GERMONIVS, indignas adiecerunt corruptelas. 11) Poſtulandi hic, idque ſine iniuria, potius ſunt Romanae alumni diſciplinae, qui, ſua ut ſacra ſeruarent ſalua atque integra, erroribusque capitalibus antiquitatis afferrent praeſidium, immutarunt et uitiarunt, quicquid priſci ciuitatis Chriſtianae doctores ſcriptis praeceperant, atque ſine labe ad poſteros propagari uoluerant. Videt mali grauitatem ERASMVS, et neminem quamlibet prudenter nominet, queritur cum luctu et gemitu de incommodis haud exiguis, quibus inde orbis affectus eſt Chriſtianus, ea, quae generatim pronuntiarat, accommodando ad HIERONYMVM, cuius, in publicum proponendi, curam ſuſceperat. Commemorabiles ſunt eius querelae, neque hic praetereundae, loco fortaſſis non incommodo. *Atque id profecto, cum mihi uehementer indignum uidetur in omnibus eruditis, tum longe indigniſſimum in* HIERONYMO. *Bona pars uigiliarum eius intercidit. Quod ſupereſt, non*

11) de ueteribus Haereticis Eccleſiaſticorum codicum corruptoribus.

non depranatum erat, sed prorsus extinctum et obliteratum, idque partim illiteratorum uitio scribarum, qui solent ex emendatis inemendata describere, praetermittere, quod non legunt, corrumpere, quod non intelligunt, uelut Hebraea Graecaque uocabula, quae frequenter intermiscet HIERONYMVS. *Sed multo sceleratius a sacrilegis, haud scio, quibus, studio, truncata permulta, addita nonnulla, mutata, pleraque depranata, sordidata, confusa pene omnia, ut uix ulla sit periodus, quam eruditus possit inoffense legere, imo, quod est pestilentissimum uitiandi genus, perinde, quasi parum esset, tot insulsissimas nugas iuxta infantes, atque ineruditas in hominis eloquentissimi pariter ac doctissimi nomen ac titulum contuliss, mediis illius commentariis passim admiscuerunt suas naenias, ne quis repurgare possit. Commouit itaque me partim tam insignis Ecclesiae doctoris non ferenda contumelia, in cuius immortalia monumenta sic impie debacchati sunt isti plusquam apri Calydonii, partim publica studiosorum utilitas, quos uidebam, a tam eximiis epulis, his rebus submoueri.* 12) Non dissimili iniquitate actum, animaduertas, licet, cum antistite HIPPONENSI, cuius opera cum

12) Praefat. ad HIERONYMI Opera.

cum Venetiis in uulgus exeunt, ſeculo ſexto et decimo, ſine tergiuerſatione, quid in emittendo AVGVSTINO ſibi ſumpſerint, fatentur, qui illum diuulgarunt. *Curauimus, remoueri omnia, quae fidelium mentes haeretica prauitate poſſent inficere, aut a Catholica, et orthodoxa fide deuiare.* Quam facile foret, hunc locum pluribus illuſtrare exemplis, praeſentis inſtituti ratio id ſi permitteret. Vnum libet addere. Vulgat anno MDXXXVI ALCIMI AVITI, qui, ſeculo quinto inclutus, peſtem Arianam coercere ſtudet, poemata IOANNES GAGNEIVS, Theologus Pariſienſium haud ignobilis. Sed quam iniurioſe ille tractarit AVITVM, recentiore oſtendit aetate, eum qui etiam dedit foras, IACOBVS SIRMONDVS, cum, GAGNEIVM, ſummopere dolet, *alia pro arbitrio immutaſſe, ac deprauaſſe, et quingentis prope uerſibus, inaudito plane exemplo, atque incredibili facinore, interpolaſſe.* 13) Praeter omnes alios, quod dimittere non poſſum, in primis hac licentia de ſede Romana, huiusque conſtabiliendis ſententiis, meruiſſe perhibetur PIVS, hoc nomine in Pontificum faſtis quintus, eam ob rem ab ſuis laudibus in coelum elatus. Quod ut palam

13) Praef. ad AVITVM.

lam fiat, in scenam producam SIXTVM SENENSEM, qui plena manu, et ingenue, gloriam PII concelebrat. *Primo toto Christianorum orbe conquiri doctrinae nefarios libros, et publice exuri iussisti. Deinde expurgari et immaculari curasti omnia Catholicorum Scriptorum, ac praecipue ueterum PATRVM, scripta, haereticorum aetatis nostrae fecibus contaminata, et uenenis infecta.*14) Adeo corrumpere et corrumpi saeculum uocatur. Quanta uero, hac libidine, et petulantia, inferatur iniuria aliorum laboribus, magno saepe sudore perfectis, Iuris peritus declaret LAVR. BOUCKEL, caussarum in curia Parisiensi patronus, indignitatem facti hoc uehementius auersatus, quod ne Regum quidem principumque tabulis haec parcat audacia. 15) *C'est la coûtume de telles Harpies, de gater tout ce qu'elles touchent. Il n'y a rien de plus ordinaire, que les plaintes, que font les Sauans contre ces chatreurs de liures, qui meriteroient d'estre chatiez de la peine portée par la loy Cornelia. Je ne parleray point d'une infinité d'autheurs Sacrez et profanes, anciens et modernes, que ces mechans ont miserablement tron-*

quez

14) Dedicat.

15) in Praefat. de rebus Eccles. Gallic. apud COLOMESIVM Rome Protestante p. 769.

quez, n'epargnant pas meſme les Roys, veu qu'ils ont raye certains articles de la Pragmatique Sanction de S. Louis, tant dans la Bibliotheque des Peres qu'ailleurs. Malheur, et derechef malheur (pour m'ecrier avec le Profete) a telle ſorte de gens; qui non ſeulement dreſſent des embuches a la chaſteté et a la venerable integrité des Muſes, mais qui ſouillent meſme impudemment leur virginité ſous un faux zele de Religion, et qui couvrant cette tromperie du nom de pieté, la mettent au rang des fraudes pies. Fide igitur, ſed cui, uide, ne umbram pro Iunone amplectaris, atque ex fontibus impuris turbatisque haurias

Hactenus de prudentiae in ſanctioris hiſtoriae ſtudio neceſſariae cauſſis. Qui quidem locus latius patet, et facile amplificari poteſt, ſi partium ſtudia, quibus hiſtorici laborant, credulitatem, aliaque huius generis uitia, adiungas, quae acrem diligentemque curam lectoris deſiderant. Sed cum modus ſit habendus, uela contraho, ſatisque habeo, quaedam ſpecimina nobiliſſimae huius quaeſtionis decerpſiſſe, et nonnulla cautionum genera attuliſſe, quae mihi ipſi nunquam non conſtituo ante oculos, cum in hiſtoria ſacra perquirenda occupor. Ad quam operam

ram ſuſcipiendam me quidem impulerunt aliorum de nobis inuidioſa iudicia, iacere prorſus hanc diſciplinam ſanctiſſimam Vitembergae in obliuione, et ſuperuacaneam inutilemque iudicari. Minus ferenda mihi uidebatur haec contumelia, a qua ut noſtram, quam fero in oculis, Academiam, pro uirili mea, defenderem, quam primum ab Rege meo Potentiſſimo Indulgentiſſimoque perſona Profeſſ. Theologi longe clementiſſime mihi impoſita eſt, cupide confectatus ſum. Hac mente enarro etiam nunc amicis, quicquid ad memoriam inſigne, ab auſpicatiſſimo Ieſu natali, ſuo in coetu euenit, ſed nihil enarro, niſi quod ex auctoribus domeſticis, aequalibus, probataeque fidei, quoad fieri poteſt, ad liquidum perducere poſſim, quos ſemper ante oculos eorum, qui me audiunt, euoluo. Sic enim ipſe ſentio, et omni animaduerto die, quam multis modis libelli uulgati, quos compendia dicere ſolemus, amplificari poſſint et emendari. Ducem operis ſumpſi, ADAMVM RECHENBERGIVM, Lipſienſium quondam ornamentum admodum celebre, cuius Summarium Hiſtoriae Eccleſiaſticae uſu multarum Academiarum, Scholarum etiam illuſtrium, uſque ad hoc tempus frequentatum eſt. Sed praeter ſpem atque opinionem, illud dum expono, defer-

defertur mihi nuntius, diuenditum id esse tanta multitudine, ut copia eius difficulter fiat, nisi edatur de integro. Flagitat me, qui sumtus necessarios suppeditat, Bibliopola, meum ut praemuniam huic opusculo, recens prodeunti, nomen, praefandique labore defungar. Petitioni honestae cur deessem, nullas uidi causſas, et commentatus sum de quaestione, superiori disceptata loco. Ipsum tamen Summarium per omnia recognoscere, perpurgare, dilatare, tum festinatio operis prohibet, tum aliorum, quibus distringor, negotiorum affluentia. Scio quidem, neque RECHENBERGIVS ipse in Praefatione sua infitiatur, multa adhuc supereſſe hoc in Summario, ad frugem quae reuocari possint meliorem. Nec me praeterit, multis istud accessionibus locupletari posse, haud immerito requisitis. Fateor, quaedam omitti et expungi fortassis posse, certe emendari, quae lima admodum egeant. Nec uero recuso, quin, si Deus uolet, commodiori tempore, illa, quae animaduerti possint, adiungam, ubi, Tibi, Lector humanissime, consilium non penitus displicuisse uidero.

dero. Interea uale, secundo uitae, sine ulla offensione, cursu fruere, tuamque mihi serua beneuolentiam. Vitembergae Saxonum, III Non. Maii. quem diem, in sanctiores temporum commentarios relatum, reddit Dominica Iubilate MDCCXLVIII

HISTO-

HISTORIAE ECCLESIASTICAE SVMMARIVM

PARS I
HISTORIAE ECCLESIASTICAE VETERIS TESTAMENTI DELINEATIONEM CHRONOLOGICAM EXHIBENS

§. 1

Historia Ecclesiastica est notitia rerum in Ecclesia, inde ab orbe condito, ad nostram usque aetatem gestarum, quarum memoriam conseruari, utile maxime in Ecclesia et uita Christiana est.

§. 2. *Haec*, ob duas temporum magnas *aeras* seu *epochas*, in historiam *Veteris et Noui Testam.* diuiditur.

§. 3. *Historia Veteris Testamenti*, quae a mundo condito inchoata ad natiuitatem Christi extenditur, maximam partem ex libris Vet. Test. petenda est: in subsidium tamen historia profana uocari debet. (Confer cum TORNIELLI *et* SALIANI *Annalibus*, IAC. VSSERII *Annales Vet. et Nou. Test.*, *Chronicon* EDVV. *Rechenb. H. E.*

SIMSONII, RABINSONII *Annales*, *et* CHR. SCHOTTANI *Bibliothecam Hiſtor. Sacr. Vet. Teſt.*

§. 4. Quatuor, haec hiſtoria, millia annorum circiter complectitur. Ideo ob rerum maximarum copiam et conuerſiones, in nouas *periodos*, ſeu temporum interualla, a Chronologis uarie diſtinguitur; ut ſeries hiſtoriae conſtet, memoriaeque coſulatur diſcentium.

§. 5. Nobis TH. LYDIATI, *Angli, in Canon. Chronol.* diuiſionem in *IX. Epochas* ſequi placet. *Prima* eſt, ab Orbe condito, ad diluuium uniuerſale, annorum MDCLVI. Ad hanc ſpectat hiſtoria antediluuiana: in qua Eccleſia ab Adamo plantata, a Sethitis et Patriarchis, (qui *Gen. V.* memorantur,) inter Cainitas improbos, ad Noachum, uſque conſeruata memoratur. Quo tempore ſimplex DEI cultus in ſacrificiis a DEO mandatis, futurae quippe paſſionis Chriſti typis, in inuocatione et praedicatione diuini Nominis uiraque ſancta conſiſtebat. Vid. *Gen. IV, 3, 4, et 26, cap. V, 22, et 24, et cap. VI, 9.* Praecipuum Religionis caput in Protcuangelio, *Gen. III, 15*, propoſitum Theologi paſſim explicant.

§. 6. *Epocha II*, a Diluuio ad natalem Iſaaci, eſt annorum CCCCLII. Huc pertinet cultus diuini poſt diluuium inſtauratio, *Gen. VIII, 20, 21.* Praecepta Noachica, quae SELDENVS *de Iur. Nat. et Gent. Lib. I, c. 10.* recitat: Repetita diuina benedictio, *Gen. IX, 2, ſeqq.* confuſio linguarum, *Gen. XI, 7*, diſperſio gentium et earum idololatria, *Abrahami* euocatio e domo patria, *Gen. XII*, et *cap. XIII, 14, 15, 16, Rom. IV, 18, 20, Ebr. XI, 8*, qui collapſum diuini nominis cultum reſtauranit. Conf. R. MAIMONIDES *More Neu. Part. II, c. 39.* Nam DEVS nouum cum ipſo foedus iniit, cuius monumentum et Sacramentum ipſe inſtituit circumciſionem, *Gen. XVII, 10, ſeqq.* qua nota quoque *Abrahami* poſteritas, e qua

Salua-

Saluator prouenturus erat, ab aliis populis distinguebatur, simul salus et iustitia per Saluatorem acquirenda obsignabantur, *Rom. IV, 11.*

§. 7. *Epocha III*, a Natali *Isaaci*, *Gen. XXI*, ad exitum Israelitarum ex Aegypto, est annorum CCCC. In hanc incidit historia Patriarcharum, quae a *cap XXI*. usque ad finem *Geneseos* memoratur. Hoc tempore Religio simplex, absque multarum ceremoniarum apparatu sincera uiguit. *Abrahamus* enim enixum pietatis studium fouens, *Gen XVII, 1, 7, XIIX, 19*, id in sua familia transplantauit ad posteros, uid. PHILONEM *de Abrahamo p. 350.* EVSEBIVM *de Praeparat Euang. Lib. IX, c. 4.*

§. 8. *Epocha IV*, ab Exitu Israelitarum ex Aegypto ad templum a *Salomone* exstructum, est annorum CCCCLXXIX. Huc spectant *Mosis* uocatio, uita et res gestae, Israelitarum exitus ex Aegypto, legum diuinarum latio, cultus Leuiticus, foedus peculiare *Mose* sequestre, cum populo Israelitico initum, symbolum eius foederis seu sacramentum institutum, *Agnus Paschalis*, occupatio Palaestinae, Res Iudicum, Theocratia in populo Israelitico ante institutos Reges, *1 Sam. VIII.* Quo temporis interuallo Religio Ebraeorum, multis ritibus instructa, Reique publicae innexa fuit: ut gens ad idololatriam prona, facilius in obsequio contineretur, typosque simul beneficiorum Saluatoris haberet. Ideo statim atque Israelitae ad commentitios cultus sese conuerterent, DEVS quoque partem publicae libertatis per hostes uicinos delibari passus est, id quod e libro Iudicum et Regum multis exemplis constat.

§. 9. *Epocha V*, a fundato templo *Salomonis*, ad Monarchiam *Nebucadnezaris* absolutam, annis XVII ante euersionem Templi, annos CCCCXIII complectitur. In hanc incidit diuisio regni Ebraeorum in Israeliticum

et Iudaicum, *1 Reg. XII*, aetas Prophetarum, qui omnes de Messia eiusque officio vaticinati sunt, ac idololatriam populi subinde detestantes, vtriusque regni interitum praenunciarunt. Qui euenit, cum decem tribus in remotas Orientis regiones auectae essent, *2 Reg. XVII*, ib. *XVIII*, et postea Iudaeos quoque in captiuitatem Babylonicam abduxisset *Nebucadnezar*, Assyriorum Monarcha, *1 Reg. XXV*, *1 Chron. XXXVI*, et *Ier. XLIII*, *52*. His temporibus in vtroque regno idololatria ita inualuerat, vt Prophetae illi extirpandae impares essent; etsi poenas diuinas magno zelo denunciarent imminentes.

§. 10. *Epocha VI*, ab euersione Templi, ad Monarchiam *Cyri* Babylonicam, est annorum LXX, quamdiu Iudaeorum captiuitas Babylonica durauit, *Ier. XXV*, *Dan. IX*, *2*. Hoc tempore *Ezechiel* et *Daniel* verae Religionis curam praecipue gesserunt, eamque inter gentiles etiam asserere et profiteri non reformidarunt. Hac tempestate scripti dicuntur libri *Tobiae*, *Iudith*, *Susannae*, *Baruch*, *Esther*.

§. 11. *Epocha VII*, hinc a soluta captiuitate Babylonica, ad vltimum *Darii Codomanni* annum, et finem Monarchiae Persicae, capta ab *Alexandro M.* Babylone, computatur, continens annos CCIV. Huius periodi initio insignes Ecclesiae Doctores celebrantur *Nehemias*, *Esdras*, *Haggaeus*, *Zacharias* et *Malachias*. Fundamenta etiam templi secundi iacta, *Esdr. I*, *2*, conf. IOSEPH. *Lib. XI*, *c. 2*, *3*, *4*, et *Hagg. II*, *3*.

§. 12. *Epocha VIII*, a capta Babylone, ad finem regni Macedonici, seu vltimum Ptolomaeorum, et primum *Iulii Caesaris* a victoria Pharsalica, est annorum CCLXXXII. Hoc temporis interuallo Samaritani Religionem ualde turbarunt atque etiam corrupe-

runt.

runt. Nam ab *Alexandro M.* ipsis copia facta erat extruendi templi in monte Garizim, in quo mixtis Iudaeorum et Gentilium ritibus sacrum DEI cultum maxime contaminarunt, vt Iudaeis inde fierent abominabiles. Hasmonaeorum tempore Ecclesia Iudaica multas calamitates sensit ob bella Regum Syriae et Aegypti, itemque Pontificum suorum ambitionem. Vid. IOSEPH. *Lib. XI, c. 8, seq.*

§. 13. *Epocha IX*, a primo iacto per *Iulium Caesarem* Monarchiae Romanae fundamento, ad principium Euangelii, quando CHRISTVS baptizatus est, mediis annis, *Iul. Caesaris* quarto, Triumuiratus Romani sexto, *Octauii* vel *Augusti* Caesaris LII, *Tiberii* Caesaris XV, est annorum LXXVII. Summa ergo omnium annorum a M. C. usque ad baptismum Christi, erit MMMMXXXIII. Sed si ab hac summa annos XXX, quos Christus, cum baptizaretur, explenerat, detrahas, annus *Natiuitatis CHRISTI* in annum *Mundi conditi* MMMMIII incidit. Notandum tamen est, Chronologos in designando illo anno, maxime discrepare. Quorum diuersas hypotheses excutere aut componere, maioris res operae est, quam vt hic in compendio confici queat.

§. 14. Interim status Ecclesiae Iudaicae tum mire corruptus fuit. Nam quod regimen ecclesiasticum attinet, Pontifices contra legem singulis annis mutati sunt, uid. EVSEBIVS *H. E. Lib. X*, unde turbae enatae, uid. IOSEPH. *A. Iud. XX, 8.* Lex diuina moralis per glossas et traditiones Rabbinorum contaminata. uid. *Matth. V* et *VI.* Ipsa Ecclesia, in tres sectas uelut scissa, Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essaeorum, multas dissensiones aluit. uid. IOSEPH. *Lib. XIV 9.* BARONII *Apparat. ad Annal. Eccles. n. VIII*, et IS. CA-

SAVBONI *Exerc. I ad Appar. Baron. n. IX.* His accedebant et *Herodiani*, qui ex adulandi ſtudio, *Herodem* pro Meſſia uenditaſſe dicuntur. Erant praeterea *Samaritae*, qui gentiliſmum cum Iudaiſmo miſcuerant; Iudaeis ideo deteſtabiles. *Karraei* Sadducaeorum ſurculus, literam tantum legis Moſaicae urgentes, Rabbinorum traditiones ſpernebant, ac puncta etiam codicis Ebraei reiiciebant. Vid. SCALIGERI *Elench. Trihaereſ.* et HOTTINGERI *Theſaur. Philol. Lib. I, c. 1, S. V.* IOSEPHVS *Lib. V de B. Iud.* etiam *Zelotas* memorat, qui praetextu legis uel religionis grauiſſima ſcelera admittere non uerebantur.

§. 15. Hoc exulceratiſſimo Eccleſiae Iudaicae tempore, CHRISTVS, Saluator mundi, praemiſſo poenitentiae praecone, *Iohanne Baptiſta*, naſci uoluit, ut omnia repararet, et quae ad uiam ſalutis mortalibus neceſſaria ſunt, ipſe panderet. Id quod ex hiſtoria Euangelica omnibus conſtare ſatis poteſt. IESVM autem Nazarenum eſſe uerum illum Meſſiam a DEO promiſſum et tot anxiis Patrum uotis optatum, contra profanas improborum hominum recentium nugas, incomparabili opere, *de Demonſtratione Euangelica*, hic Lipſiae recuſa, HVETIVS, *Epiſcopus Abricenſis* in Gallia, euicit.

PARS

PARS II
HISTORIAE ECCLESIASTICAE NOVI TESTAMENTI SEV CHRISTIANAE

SECTIO I
EAQVE PRAELIMINARIS

CAPVT I

§. 1

Historia Eccleſiaſtica Nou. Teſt. ſeu Chriſtiana prius diſtinguenda uenit, quam eiusdem partes deſignentur. Poteſt autem diuerſa ratione conſiderata, *primum* diſtingui in *vtilem*, *curioſam*, et *inanem* ſeu *fabuloſam*.

§. 2. *Vtilem* uocc, quae ſtatum Eccleſiae Chriſtianae ex certis monumentis, iuxta eius partes diſtinctas, iuſta ſerie deſcribit. Huc pertinent doctores ſeu ſcriptores Eccleſiaſtici, doctrina chriſtiana catholica, errores et haereſes, Synodi et concilia, regimen, diſciplina et ritus, denique perſecutiones et martyres. Et ex hac origo Papatus ſimul noſcitur.

§. 3. *Curioſa* nobis eſt, quae de chronologia, de ſcriptorum Eccleſiaſticorum libris, locis in iisdem controuerſis aut corruptis, antiquitatibus rituum uariorum in diuerſis locis, et ſimilium, quae eruditam criticen ſapiunt, inquirit; ac inde etiam *critica* appellari poteſt. Conf. GVIL. CAVE *Script. Eccleſ. Hiſt. Litterariae Proleg. Sect. IV* et *V*. Cuius quidem tantus non eſt uſus, ut citra eam ſtatus Eccleſiae noſci nequeat;

quatenus tamen ἀκριβειαν eruditam, et controuersiis Ecclesiasticis quandoque determinandis inseruit; etiam uiris magis eruditis, quam tironibus utilem esse arbitramur. Confer exempli loco P. ANT. PAGI *Crit. Historico-Chronolog. in Annal. Baronii.*

§. 4. *Fabulosam* dicimus, quae de miraculis et gestis Sanctorum, uisionibus ac commentis similibus in Ecclesia Romana sat notis memorat. Cuius generis multa in uitis Patrum et Sanctorum passim legas. Vid. *Historiam Lombardicam* IAC. DE VORAGINE, *Catalogum Sanctorum* PETR. DE NATALIBVS, similes fabularum consarcinatores Romanenses, quales sunt Legendarii, *Surius*, *Bollandus*, *Papebrochius*, et alii.

§. 5. Historia uero Ecclesiastica *utilis* iterum *in uniuersalem*, *particularem* et *singularem* dispesci potest.

§. 6. *Vniuersalis*, res omnes memorabiles in Ecclesia Christiana, inde ab origine eius, ad nostram usque aetatem gestas complecti debet. Qualem eruditi adhuc desiderant; licet partes eius habeamus. *Centuriatores* quidem *Magdeburgici*, et horum antagonista, *Cardinalis Baronius*, eiusque *continuatores* talem condere moliti sunt: sed quid de horum conatu, alias non spernendo, habendum sit, *Is. Casaubonus*, et *Iac. Vsserius* optime iudicant.

§. 7. *Particularis* est, quae uel partem tantum aliquam, in §. 2, expressam exsequitur: ut historia de haeresibus, de Episcopis, de conciliis, de martyribus, de persecutionibus Christianorum. Pertinet huc etiam historia, quae Ecclesiae alicuius particularis fata tantum exponit. Cuius generis scriptores hodie multi extant, quos P. D. SAGITTARIVS *in Introduct. sua in Hist. Eccles.* distinctim recenset.

§. 8.

§. 8. Historia *singularis* appellari potest, quae relationem unius haeresis, concilii, controuersiae alicuius, episcopi et similium continet. Horum nunc scriptorum affatim magna est copia.

CAPVT II

DE

SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS

§. 1.

Scriptores Ecclesiasticos, unde historia haec petenda, in *tres classes* describemus. *Vna* est pure historicorum, *altera* apologeticorum, *tertia* dogmaticorum.

§. 2. *Pure historicos* appello, qui ex instituto res Ecclesiae consignarunt; ut ex *antiquis* sunt: *Eusebius Pamphili*, *Socrates Scholasticus*, *Theodoretus Cyri Episcopus*, *Hermias Sozomenus Salaminicus*, *Theodorus Anagnostes*, *Euagrius Scholasticus*; et ex *Latinis*: *Russinus Aquileiensis Presbyter*, *Sulpitius Seuerus*, *Magnus Aurelius Cassiodorius*, *etc.* Vid. D. GVIL. CAVE *Script. Eccles. Hist. Liter. Prolegom. Sect. VI.*

§. 3. Inter *recentiores* primum locum meretur *Nicephorus*, Callisti filius, Graecus scriptor, qui sub initium seculi XIV. floruit. Hunc seculo superiori Reformatione Ecclesiae subsecuta, multi alii exceperunt. Quos b. D. SAGITTARIVS *in Introductione in Hist. Eccles.* enumerat atque describit. Vid. iam laudati CAVE *Sect. cit.* et SEV. WALTH. SLVTERI *Propylaeum Histor. Christianae nuper publicatum.*

§. 4. *Apologeticos* uocamus, qui pro Christianorum innocentia, olim apologias adornarunt; ut inter anti-

quissimos sunt, *Iustinus Martyr*, *Athenagoras*, *Tertullianus*. Plures *in Diss. nostra de Apologiis ueterum Christianorum* allegauimus. Ex his de uita, doctrina, moribus et calumniis, quibus Christiani olim a gentilibus onerati fuerunt, simulque eorum innocentia constat.

§. 5. *Dogmatici* nobis sunt, qui uulgo ob reuerentiam *Patres* appellantur, ac doctrinam Christianam scriptis publicis asseruerunt, eamque aduersus haereses ingruentes etiam defenderunt. Qui in *Graecos et Latinos* distinguuntur, inque classes iterum certas digeri possunt. Conf. D. IO. HOORNBECKII *Miscellan. Sacr. Libr. I.* et IO. FORBESII *Instruction. Histor. Theolog.* qui inde excerpta dedit.

§. 6. *Prima* est Ante-Nicaenorum, qui tribus primis seculis ante Concilium Nicaenum floruerunt, *Clemens Romanus*, *Ignatius*, *Polycarpus*, *Iustinus Martyr*, *Tatianus*, *Athenagoras*, *Irenaeus*, *Theophilus Antiochenus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Tertullianus*, *Hippolytus*, *Gregorius Thaumaturgus*, *Dionysius Romanus*, *Theognostus*, *Dionysius Alexandrinus*, *Cyprianus*, quibus *Arnobius* et *Lactantius* sub initium seculi quarti uiuentes addi possunt. Hos omnes fidem Catholicam de SS. Trinitate amplexos esse, *Sam. Guardinerus*, doctissimus Anglus, contra *Christoph. Sandium*, Arianum, asseruit.

§. 7. *Secunda* est Post-Nicaenorum tam Graecorum, quam Latinorum, qui a tempore Concilii Nicaeni, usque ad seculum septimum, Ecclesiam scriptis suis illustrarunt. Quorum numerus maior est. Sed doctiores *seculo quarto*, et sub initium *quinti* celebres fuerunt: Vt *Athanasius*, *Hilarius*, *Lucifer Calaritanus*, *Dionysius Areopagita*, *Damasus*, *Epiphanius*, *Optatus Mile-*

Mileuitanus, *Ephrem Syrus*, *Basilius M.* *Gregorius Ponticus*, *Basilii M.* frater, *Gregorius Nazianzenus*, *Amphilochius*, *Macarius* Senior et Iunior, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Philastrius* uel potius *Philaster*, *Rufinus Toranius*, *Pontius Paulinus*, *Aurelius Augustinus*, *Iohannes Chrysostomus*. Ad *V Sec.* referuntur *Aurelius Prudentius* Poeta, *Coelestius*, *Theodorus*, *Synesius*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Paulus Orosius*, *Marius Mercator*, *Theodoretus*, *Iohannes Cassianus*, *Hilarius Gallus*, *Vincentius Lerinensis*, *Socrates*, *Hermias Sozomenus*, *Nilus*, *Leo Magnus*, *Saluianus*, *Prosper Aquitanicus*, *Basilius Seleucus*, *Arnobius* Iunior, *Claudianus Mamertus*, *Remigius*, *Vigilius*, *Gelasius Afer*, *Gennadius Massilienſis*, et plures alii, sed minoris famae. *Sexto seculo* incipiente, *Fulgentius Afer*, *M. Aurel. Cassiodorus*, *Procopius Gazaeus*, *Facundus Hermianensis*, *Primasius Afer*, *Anastasius Sinaita*, *Gregorius M.* *Isidorus* Iunior, et alii.

§. 8. *Tertia* classis est eorum, qui a seculo VII ad XII in Ecclesia celebres sunt. Vbi in Graeca, seu orientali Ecclesia plures numerantur docti, quam in latina iam barbarie inundata. Nam praeter *Bedam uenerabilem*, qui initio seculi VIII floruit, *Flaccum Alcuinum* Anno Christi DCCLXXX inclarescentem et paucos alios, usque ad *Bernhardum* sub initium seculi XII clarum, pauciores, inter Latinos; plures uero inter Graecos, eruditos Patres inuenies. Nam inter hos seculo IIX *Iohannes Damascenus*, seculo IX *Photius*, seculo X *Oecumenius*, seculo XI *Theophylactus*, seculo XII *Theodorus Balsamon*, et alii. Post seculum XII Scholasticorum turba enata, qui *P. Lombardum* secuti Theologiam tricis philosophicis inuoluerunt. Hinc tot Sententiarii, Summularii, Fa-

fcicu-

ſeicularii, et Speculares Theologaſtri, in Scholis innotuerunt.

CAPVT III

DE

ORDINE IN HISTORIA ECCLESIASTICA TRACTANDA

§. 1.

Circa *ordinem* tractandae hiſtoriae huius, ſcriptores Eccleſiaſtici nariant. Plerique tamen ſeriem ſeculorum, quae ab *Aera Natiuitatis Chriſti* numerantur, obſeruant; addentes Epiſcopos Rom. et Imperatores, qui rerum quouis ſeculo potiti ſunt.

§. 2. GVIL. CAVE, uir in hoc genere ſtudiorum uerſatiſſimus, ſecula illa, a doctoribus et famoſioribus haereticis inprimis et ſchiſmaticis denominat: I, Vocat *Apoſtolicum*, II, *Gnoſticum*, III, *Nouatianum*, IV, *Arianum*, V, *Neſtorianum*, VI, *Eutychianum*, VII, *Monotheleticum*, VIII, *Iconoclaſticum*, IX, *Photianum*, X, *Obſcurum*, XI, *Hildebrandianum*, XII, *Waldenſe*, XIII, *Scholaſticum*, XIV, *Wicleſianum*, XV, *Synodale*, XVI, *Reformatum*.

§. 3. Nos fata Eccleſiae proſpera et aduerſa contemplantes, primum *quinque* eius *periodos* conſtituemus; et deinde ſub qualibet periodo, ſeruato ſeculorum ordine, res praecipuas uelut per indicem deſignabimus; ut memoriae diſcentium magis conſulatur.

§. 4. *Prima* igitur periodus erit *Eccleſiae* a Chriſto, Apoſtolis et Doctoribus primis *plantatae* et ſub diriſſimis X perſecutionibus per orbem *propagatae*. Ad hanc referimus prima tria ſecula, quibus Chriſtianiſmus purior maxime floruit.

§. 5.

§. 5. *Secunda* est periodus *Ecclesiae* sub Imperio Romano et Byzantino *libertate gaudentis*. Cuius initium a *Constantino M.*, primo Imperatore Christiano, deriuatur, et ad aetatem Imperatoris, seu tyranni Constantinopolitani, *Phocae*, porrigitur. Cuius ope et auxilio Episcopus Rom. *Bonifacius III*, titulum Episcopi oecumenici affectatum obtinuit. Huc pertinent tria a tertio finito, numerata secula sequentia, quibus Christianismus per famosas haereses, Arianam, Pelagianam, Nestorianam, Eutychianam, et alias, ualde conturbata fuit. Quartum tamen seculum doctissimis Patribus florentibus maxime eminuit.

§. 6. *Tertia* periodus est *Ecclesiae* occidentalis et orientalis, hinc per Episcopos Rom. et barbariem cum barbaris populis ingruentem, inde per sectam pestiferam Muhammedis *pressae et obscuratae*. Huc refero quatuor a sexto, ad decimum inclusiue, secula. Quibus Ecclesiam Latinam et Graecam non tantum controuersiae Monotheleticae, Iconoclasticae et Photianae turbarunt; sed et ob barbariem literarum, inanes ceremoniae ac superstitiones, magnam partem ex Gentilismo sumtae, doctrinam Christianam in Occidente obscurarunt, et in Oriente Muhammedanismo inualescente per Saracenos multae Ecclesiae florentes in Asia et Africa oppressae fuerunt.

§. 7. *Quarta* periodus est *Ecclesiae* sub tyrannide Antichristi Romani Pontificii, et iugo Saracenico-Turcico *gementis et lamentantis*. Ad hanc spectant quatuor insequentia secula usque ad XV. Qua tempestate tyrannis Pontificis Rom. ab *Hildebrando*, seu *Gregorio VII*, ad fastigium perducta, tum reipublicae tum Ecclesiae grauissima non tantum extitit, sed et doctrina Christiana, neglecto sacrarum literarum studio, per

super-

superstitiosos ritus et sterilem Scholasticorum philosophiam penitus contaminata, et tantum non tenebris plusquam Cimmeriis inuoluta fuit.

§. 8. *Quinta* periodus est *Ecclesiae repurgatae* atque a iugo Pontificio in multis locis *liberatae*, quae superius et hoc nostrum iam decurrens seculum complectitur. Huc pertinet historia Reformationis, quae et sua habet interualla, distinctasque temporum et rerum periodos.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
SECTIONIS II
EIVSQVE PRAGMATICAE
PERIODVS I
DE
ECCLESIA CHRISTIANA PRIMVM PLANTATA ET PER ORBEM PROPAGATA
CAPVT I
DE
SECVLO I CHRISTIANO
§. 1

Initium huius seculi a CHRISTO petendum; cuius uita in humilitatis statu exacta, in historia sacra Euangelistarum integris uoluminibus describitur. Quam in *infantiam*, *pueritiam*, *adolescentiam et aetatem uirilem* diuidere licebit.

§. 2.

§. 2. Ad *infantiam* spectat eius natiuitas, quae cum circumstantiis *Matth. II*, et *Luc. II*, describitur. Sed diem et mensem definire difficile est; cum circa annum Chronologi adhuc inter se dissentiant. Nos TH. LYDIATVM secuti, annum M. Condit. MMMMIII supra designauimus. SCALIGER annum MMMDCCCCL nominat, qui in ann. Vrb. conditae DCCXXXV incidit. Fuit illo tempore quies magna uereque augusta, et quietis amor, rarum in tantá bellandi felicitate decus. Sed talis status decebat Imperium, in quo Princeps pacis IESVS CHRISTVS nasciturus esset; de qua quiete FLORVS *Lib. IV, c. 12*, loquitur: *Vbique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio.*

§. 3. Ceterum de *pueritia* Christi nihil annotatum legitur; nisi quod duodecennis in Templo cum Doctoribus publice disputarit, *Luc. II, 26.* Euangelium de *Infantia Seruatoris*, quod circumfertur, est apocryphum.

§. 4. *Adolescentiae* apud parentes transactae historia non fuit consignata. An meditationibus sacris incubuerit tantum; an, quod Patres quidam uolunt, in opere manuario cum *Iosepho* occupatus fuerit, determinari nequit. Fabulae ex apocryphis hic de eo narratae nullam fidem merentur. Conf. BARONII *Annal. Eccles. Chr. XII, n. 6, seqq.* et H. GROTII *Epistol. ad Gallos XXXIII, Petr. Puteano inscriptam.*

§. 5. *Aetatem uirilem* Christi, ab anno tricesimo plures auspicantur, quo a *Iohanne Baptista* baptizatus ministerium suum aggressus. Vid. CASAVBONI *Exercit. Anti-Baron. XIII. p. m. 222, seqq.* Quo. iuxta SCALIGERVM et CALVISIVM, per quatuor annos: iuxta EVSEBIVM et alios, per tres annos defunctus

functus est: ut adeo aetatis suae anno XXXIII labente, passus sit. Conf. G. I. VOSSII *Dissert de Tempore Passionis Christi*, et IAC. VSSERII *Aetat. Mundi Sept.*

§. 6. Durante hoc suo Ministerio, Apostolos duodecim (quot tribus Israelis erant,) elegit, *Matth. X, 2, seqq. Marc. III, 14, Luc. IX, 1, Act. I, 13 et 26.* Vitas horum non ita pridem peculiari libro erudite GVIL. CAVE descripsit. *Acta* uero inde ab historia Ascensionis, usque ad deductionem *Pauli* in urbem, quae iuxta LVD. CAPELLVM Anno Christi LVI, tertio *Neronis*, facta est, *Lucas* consignauit. Vid. CAPELLI *Histor. Apostolic. illustrat. Salmurii an. 1683 edit.*

§. 7. A fine Actorum Apostolicorum, historia incertis narrationibus aut fabulis, in primo hoc seculo adspersa fuit. Quod nec ipsi cordatiores Pontificii scriptores diffiteri audent. Possunt tamen quaedam hic uelut suppleri ex Epistolis Apostolicis, Apocalypsi *Iohannis*, ex IOSEPH. *Lib. XX Antiqu. et Historia de Bell. Iud.* nec non ex C. TACITI *Annal. Lib, XV, 44*, IRENAEO, TERTVLLIANO, et EVSEBIO, inprimis historiae Ecclesiasticae conditore primo.

§. 8. Post ascensionem Christi in coelum, cum festo Pentecostes, Apostoli donis Spiritus S. extraordinariis, ceu legati diuini fuissent instructi, primum quidem Hierosolymis Ecclesiam plantarunt, *Act. I et II, seqq.* Inde uero, ut iussi erant, per orbem terrarum dispersi, Euangelium tum Iudaeis tum Gentilibus annunciarunt, ac, ut ex Actis Apostolicis et Epistolis Paulinis constat, plures Ecclesias in Asia, Graecia, Macedonia, Latio, et aliis locis, fundarunt. Vid. *Marc. XVI, 15 et 20, Act. XVII, 30, Rom X, 18, Col. 1, 6.* Loca autem, ubi docuerunt, an singulis Apostolis, sorte † Babylone. Act. II. 9. 1 Pet. V. 13. Babylonia i. e. ducta, transeuphratensi. Romam ibi intelligi, neprobabile qui dem. Vid. Bez. hanc refellit. Scaliger. ad Euseb. Hasse. Lib. Chron. p. 13

x/ Die Fabel ist aus einer jüdische Fabel von den Söhnen Noah zugrunde, verschiedene einen Theil der Welt durch sie Loos gegeben. Liefert Citat des Origenes Tom. III. in Genes. Wo aber steht bey den Patribus Lect. Eine Tradition ist vorhanden, sondern eine geschöpfte Muthmaß durch die Geschichte. Es könnte vielleicht die Worte, 1 B. Mos. 9. 27 Gott schaffe dem Japheth Platz, vor den Worten Sortiri Pro, verleiten, man unrichtig von dem Loosen erklärt. Denn es steht eigentl. so einen Zufall dieß oder jenes Theiles, u. ist also die Muthmaß Lesarten unrichtig.

Der Cosmo M.E. sind viele Lehrsätze enthalten, welche dessen besonderer Eigenschaft als einer vorzügliche Handgabe N.T. H. Schriften, dass sie sich Hauptsächlich dienen, die Lehrmeinungen Christen mitfolgend bemerken.

2) Sprüchen ic. die vornehmlich einer donum prophetiae haben, die alten Prophezeyungen.

3.) Evangelisten; sich differiren auch Ev. Christi. Die hatten gnaden donum inspirationis et gratiae applicandae, nur aber nicht sich Auslegung der Stelle die Schriften mitzutheilen.

4) Apostolici; sind alle die, welche von Gott als Theil der Lehre gelehrt haben, da man eben nicht sagen muß, dass sie inspiriert gewesen, obschon einige haben sagen können. Darunter kann auch einige gewesen sein, welche Christ gesehen hatte.

Die Hieros. Kirche war nicht patriarchalisch, denn in den Conc. Nic. III. werden keine unter genannt als die 3. Bischöfe in derselben Lehre nur Patriarchen. Erst Sec. V. nannte sie Eccl. patriarchalis. die Antioch. ist abhängig verkündigt 1) weil sie eine Residenz war 2) weil dort Paulus 3) die Lehrmeister dieß dasselbst gegründet sind dort gewesen. Hat gilt dieß auch der Alex. gegenstehet. Le Bien orient Christianus.

§ 9. Die Fabel kommt von den Papisten her, sie ist in die alten K. Gesch. verschiedene K. aufgenommen. Manche hat eine einige Schrift, die nicht da liegt und ist. So schreibt es Ev. Ebed. den Ep. zu. Sonst schon alle alten Lehrer der Kirchen gemeinsam. Bis zum III. Sec. ist es gar nicht, bis zum V. ist es nicht bey vielen bekannt gewesen. Von Cyprian, Ambrosius, Hieronymus ausdrücklich gesagt, dass sie den Hebräer gezählt. Allein, wie es mit den Gründen für einige Gegenstehen dessen offenbaren, dass die Christen sie von der Synagoge sorgfältig.

§ 10. Luther hat die libr. canonicos nicht in gleichem ordine gehabt. Evangelia Synoptici, Joh. Epist. Pauli, 1 Petri et 1 Jo. dieselbe gab 11 Bekt. Act III. Jo. Jacobi et Judae et Apoc. diese gänzlich in die Classe der Schriften ist eine weitere Untersuchung, ob sie mit Gründen von der ersten Lehrern für Ob. Lehrer gehalten worden seyn. Masstrichts de Canone Sec. 5. — die Zahl ist Matthäi Ev. genau gesetzt, ob es für Galiläische oder andere gilt es stand, ist mit Schwierigkeit zu erörtern, aber Bartholomäus war Schüler des Ev. Matthäi in Indien gewesen, welche Pantaenus gesehen. Indien ist es in alter Zeit ein Theil von Arabien überhaupt, wo viele Juden waren. — Die Erfindung des Canons beyzieht sich auf Gewissensfragen, grosse Uebereinstimmung; heute als ehe erst im Anfange des 2ten Sec. stark sind.

ducta, fuerint certa assignata, incertum est, conf. EVSEBII *Hist. Eccl. Lib. III, 1*, et BARON. *ad an. Chr. XLIV, n. 28, seqq.* *Paulus* certe longe lateque peregrinando Euangelium disseminauit. EVSEBIVS *Hist. Eccl. Lib. III, c. 4* Συνεργοὶ eorum fuerunt LXX Discipuli *Luc. X, 1 et 7*, allegati. Pseudo-Dorotheus eorum conficta nomina recenset, omnesque fuisse Episcopos fabulatur. His postea accessere *Lucas*, *Silas*, *Timotheus*, *Titus*, *Clemens*, et alii uiri praedicando Euangelio idonei, quos *Apostolicos* uocant. *Primariae* autem *Ecclesiae*, ob urbium eminentiam, fuerunt primo statim seculo, *Hierosolymitana*, *Antiochena*, *Romana*, *et Alexandrina*. Quae postea a sedibus Patriarcharum, h. e. ab Episcopis primariis ibi constitutis dictae sunt *Patriarchales*. Harum primi Episcopi in *Chronic. et Histor. Eccles.* EVSEBII memorantur.

§. 9. An ante dispersionem fidei compendium, tanquam tesseram quandam doctrinae Apostolicae, quod *SYMBOLVM* inde *APOSTOLICVM* appellatur, ipsi condiderint, merito dubitatur. BARONIVS quidem id nimis audacter affirmat *ad An. Chr. XLIV, n. 15, 16.* Verum cum *Lucas* in Actis suis de eo nihil memoret, et alii testes antiquissimi etiam deficiant; non ab Apostolis illud profectum esse creditur. Vid. VOSSII *Tractat. de tribus Symbol.* et L. ITTIGII *Dissertat. de Pseudepigraph. cap. VIII*; et DVPINI *Bibl. p. 14, seqq.*

§. 10. Scripta, et libri ab Apostolis et Euangelistis relicti, qui genuini ac Canonici sint, hodie satis constat. De quibus olim dubitatum fuit, EVSEBIVS *Hist. Eccl. lib. III, 24 et 25*, memorat. Conf. *Concil. Laodic. c. 60*, BEVEREG. Sunt tamen multa etiam scripta

pseudepigrapha, quae Christo, quae b. Virgini Mariae, quae Apostolis tribuuntur: ut *Epistola Christi ad Abgarum*, *Epistolae Christi coelitus demissae*, *b. Mariae Epistola ad S. Ignatium*, *ad Messanenses*, *ad Florentinos*, *Protevangelium Iacobi*, *Euangelium Petri*, *Thomae*, *Philippi*, *Bartholomaei*, *Andreae*, *Matthiae*, *Thaddaei*, *Iudae Ischariotae*, *Euangelium XII Apostolorum*, *Acta Pauli et Theclae*; *Actus Petri*, *Andreae*, *Thomae*, *Iohannis*, *Philippi*, *Epistola Pauli ad Laodicenses*, *Tertia eius ad Thessalonicenses*, *ad Senecam*, *Epistola Petri ad Clementem*, *Apocalypses Pseudapostolicae*, et alia, quorum νοθείων eruditissime nuper *in Dissertatione* iam allegata laudatus noster ITTIGIVS demonstrauit. In hunc censum referas libros et Carmina Sibyllina, quae *Tom. VIII. Biblioth. PP.* continentur. Vid. CASAVB. l. c. p. 8.

§. 11. Praeter Apostolos, et alii scriptores Ecclesiastici huius aeui memorantur, quorum scripta, uel dubiae fidei, uel plane subleste, aut supposititia sunt. Ad prius genus referimus 1) *Barnabae*, unius ex LXX discipulis Christi, Epistolam Iudaeis praecipue oppositam, quam EVSEBIVS *Hist. Eccl. lib. III*, 25, inter spuria recenset; IS. VOSSIVS uero in *Notis ad illam*, et alii genuinam esse pronunciant: 2) *Clementis*, συνεργοῦ S. Pauli, Epistolam priorem et posteriorem ad Corinthios, quarum *priorem* genuinam ex EVSEBII *lib. I*, *c. 16*, *posteriorem* uero adulterinam fuisse Critici statuunt. Ad alterum genus (supposititiorum) referuntur libri eidem *Clementi* uulgo tributi, ut 1) *Canones Apostolorum LXXXV*, *Constitutionum Apostolicarum lib. VIII*, *Recognitionum libri X*, *Homiliae Clementinae XIX*, (τὰ Κλημέντινα uocata,) etc. 2) Opera *Dionysii Areopagitae* nomine euulgata; 3) *Hermae*

II.) Apocryphi: i.e. die ob nicht in dem Catalogo libr. div. gestanden, z. E. Pauli Ep. ad Laodicenses.
III.) Pseudepigraphi, bey denen es gewiß ist, daß sie den Autoribus nur zugeschrieben werden.
der Canon ist erst damals geschloßen, da die Kirche Synoden hat, Einrichtungen zu machen.
Augustinus de cons. evangel. lib. I. c. 9. olim Christi libros nonnullos ad Petrum et Paulum, cas ater quibus patraverit miracula complexos fuisse obvias dictatur. 2) Ignatius aliqua ex ea deleta scripta dur fingitur. Epistola ipsa habetur apud Sixtum Senensem biblioth. lib. II. aliosque. 3) Constitutiones apostolicae [illegible] ~~Dionysium effecit in ea qui~~ tribuunter a Lindano Turriano, Lamberto, Grutero, Pighio aliisque, [illegible] S. Constitutiones, octo libris comprehensae, quibus praecepta de vita fidelium et ministerio ecclesiastico traduntur, octavum autem speciatim continent Canones, secundum Graecos numero 85. de ordinatione, vita, officiis Episcoporum et Presbyterorum, de Clericis, diebus festis, aliisque ejusgeneri[s] [illegible] scientia.
+ [illegible] sind für genuin gehalten, sunt [illegible] N. T.
Hamb. 1719.
cf. Fabricii Codex Apocryphus, worinnen Colloquia Jesu gesammelt sind. Der Codex Bezae hat auch [illegible] auf den Rand.
cf. Daleus de Pseudepigraphis apostolorum. lib. III.
Das einzige Gespräch Jesu Act. XX. 35, welches Paul. anführet, ist für wahr anzunehmen.

Valesius ex codicibus veteris notat [illegible] dat nomen Abgarum. Cujus respondet epistola graece apud Eusebium Hist. Eccl. I. 13., arabice apud Lud. de Dieu, [illegible] eius ad evangelium persicum Xavieri p. 97. reperitur. [illegible] tutiones Sci Labbei et incanta III. fictae credunt, v. Daleum.

Porro Liturgiae prostant, quae Jacobi, Petri, Matthaei, nissa quoque Aethi[opum] dicta, item Marci perhibentur. # nec non περίοδοι ἀποστόλων, s. circuitiones Apostolorum, ut Petri, Johannis et Thomae. liber passionis S. Andreae. Theclae, Prochori [illegible] Joannis Apost. Lini hist. de Petri et Pauli passione. Abdias Babylonius de rebus gestis Apostolorum.
Acta s. Itinera Pauli et Theclae Tertullianus refutavit.

Diese Bücher schätzen in allen christl. Kirchen Anhänger u. Widersprecher. Die engl. Episcopi halten sie genuin, welche sie für Leute [illegible] sind. Die Presbyter. [illegible] allein [illegible] zu weit. Die Catholiken u. einige Theologi mystici gebrauchen sie für genuin ad. cf. Spanhemii Profat. N. T.
1) der Brief ist etliche mal edirt worden. nach Act. 13. 2. hat Barnabas [illegible] nach dem Tode Christi gelebt. [illegible] ist [illegible] von Vossius [illegible], weil er ein großer Gönner der Episcopal. Kirche in [illegible] Rom. 4. 6. [illegible] ist die Rede [illegible] Einrichtung zu verkündigen.
2) der erste Br. Clementis hat viel Wahrscheinlichkeit für sich, weil er [illegible] der [illegible] des Paulus gehabt hat. Dieser ist nach [illegible] [illegible] u. in manchen Codd. mit angehängt, der 2te aber ist fragment u. hat viel abgeändert.

Bei dem Clemens S. von dem Episcopat [illegible] sehr [illegible], [illegible] D. [illegible] Inhalt, in den [illegible] Clemens [illegible] Constitutiones apostolicae, recognitiones [illegible] Clemens [illegible] von einem Christen [illegible] worden [illegible].

Hermas, Pauli discipulus Rom. 16. 18. Hic liber, qui nomine pastoris s. pastoralis a Patribus inscribitur. Constat 3 partibus, prima visiones ecclesiae et visiones auctoris, quas [illegible], complectitur, II.) [illegible] audit et praecepta vivendi continet, III.) [illegible] similitudines, per quas [illegible] laborat.

Ueber die Beschaffenh. d. ersten [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] die [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] Vitringa in Observationibus sacr. Lib. IV. c. VII. u. VIII. [illegible] [illegible] von Nero bis Trajan [illegible] [illegible] [illegible].

[illegible] es [illegible] von denen in Spanien, Frankreich, Brittannien, [illegible] gestifteten Kirchen gesagt u. geglaubt hat, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] u. [illegible] gestellt. D. Lotta [illegible] [illegible] [illegible], daß die [illegible] [illegible] [illegible] an [illegible] [illegible] [illegible] habe, [illegible] [illegible] [illegible] von andern Ländern [illegible] [illegible], u. der [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] u. [illegible] die [illegible] [illegible] [illegible] haben konnten, wenn sie in Jerusalem gewesen waren. [illegible] [illegible] [illegible] von Spanien [illegible], weil [illegible] Paulus [illegible] [illegible] [illegible] wollen, als [illegible] Rom. Lotta [illegible] [illegible] [illegible], daß [illegible] [illegible] [illegible] l. c. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] von [illegible] u. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] u. andern [illegible], also [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] die Röm. [illegible] in diese [illegible] gekommen seyn. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] u. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] gewesen, läßt sich [illegible] genau bestimmen. Wenn in [illegible] unter Trajano schon die Zahl der [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ist, [illegible] [illegible] aus Plinii Briefe sieht, so hat [illegible] [illegible] in andern Röm. Provinzen [illegible] können. [illegible] [illegible] [illegible] hat sich das [illegible] in diesen Ländern sehr ausgebreitet.

mae Pastoris dicti liber, quem *Cotelerius* inter opera Patrum aetatis Apostolicae retulit; 4) *Abdiae Babylonii*, unius ex LXX discipulis, *libri X de historia certaminis Apostolici*; 5) *Lini*, Episcopi Rom. libelli duo de *Passione Petri et Pauli*; 6) *Prochori uita S. Iohannis*, cuius discipulus fuit; 7) *Euangelium Nicodemi*; 8) *Marcelli*, Martyris, Fragmentum *de conflictu S. Petri et Simonis Magi*; 9) *Lentuli* Epistola, itemque *Pilati ad Tiberium*, cum *Actis* eiusdem seu Relatione de Christi morte, resurrectione et ascensione. Haec, inquam, scripta inter spuria referenda esse, multi uiri doctissimi iam prolixe demonstrarunt. Vid. GVIL. CAVE *Hist. Liter. Secul. I*, et EL. DVPINI *Nou. Biblioth. Auctor. Eccles. Tom. I.*

§. 12. *DOCTRINA* Apostolorum eorumque συνεργῶν, uno uocabulo laxius accepto *Euangelium* uocatur, quod Christo in coelum sublato, ipsi cum Iudaeis tum Gentilibus annunciarunt. Hoc uero antequam Iudaeis persuaderetur, Apostoli demonstrarunt, *Iesum Nazarenum esse uerum illum Patribus ipsorum promissum Messiam, seu Christum, mundi Saluatorem*, *Io. XX, 31*, *Act. II, 36.* Inde Baptismus et poenitentia requirebantur, *ibid. u. 38*, et *Act. III, 29.* Gentilibus autem primum demonstrandum fuit, totum genus mortalium esse peccatis obnoxium, ac absque horum expiatione, salua DEI iustitia, non posse saluari: Ideo opus esse poenitentia et fide in Christum, qui peccata omnium hominum expiauit. Vid. *Luc. XXIV, 47*, et *Epist. Pauli ad Romanos*, qui summam doctrinae Euangelicae continet. Controuersiae super doctrina Euangelii motae, in Actis Apostolicis et Epistolis Apostolorum annotatae leguntur: inter has praecipua

cipua fuit de iuſtificatione, an ex operibus legis; an uero ex gratia, obtineatur?

§. 13. *RITVS* et *CEREMONIAS* cum in cultu diuino, tum in reliqua Chriſtianorum diſciplina, aeuo Apoſtolico paucas fuiſſe, ex Actis et Epiſtolis Apoſtolicis colligi poteſt. Quae in duorum Sacramentorum a Chriſto inſtitutorum adminiſtratione obſeruatu neceſſaria erant, ipſe Chriſtus praeſcripſerat. Ac de Baptiſmo quidem ex *Matth. XXVIII, 19*, et *Actor. VIII, 36*, conſtat. Nam quae DIONYSIASTER *de Hierarch. Eccl. c. II*, de ſuſceptore aut ſponſore et aliis in actu Baptiſmi ceremoniis memorat, ſequioris aeui inſtituta ſunt: ut et quae AVCTOR *Conſtit. Apoſt. Lib. VII, c. 41*, de Exorciſmo et formula abrenuntiandi Satanae et operibus eius refert. Quos ritus ſacros, IVSTINVS MARTYR *Apolog. II* in Sacramentorum uſu, ſequenti aeuo uſitatos fuiſſe perhibet, eos iam ſeculo Apoſtolico frequentatos eſſe, nobis fit ueriſimile. Agit ibi de *congreſſibus Chriſtianorum* ad preces fundendas, quibus finitis ſe inuicem oſculo charitatis exceperunt: de *Euchariſtia* ordinarie in conuentu Chriſtianorum et quidem Dominica die celebrata, de *oblationibus*, de *obſeruatione diei Dominicae* in memoriam reſurrectionis Chriſti inſtitutae, qua commentaria Apoſtolorum et Prophetarum praelecta populo, precesque ad DEVM fuſae ſunt, populo acclamante, AMEN, uid. *cit. Apol.* IVSTINI *p. 76, ſeqq. edit. Sylburgii. Agapae* etiam ſeu conuiuia charitatiua iam tum uſitata, quae tempore S. Synaxis, a ditioribus in gratiam pauperum fidelium, teſtandi amoris gratia, inſtituebantur frugaliter, *1 Cor. XI, 20.* Vid. D. HOORNBECKII *Miſcell. Sacr. Lib. I, c. 20* et *21*.

De

De his TERTVLLIANVS *Apol. Coena noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit. denique ordinatio.*

§. 14. *HAERETICI*, qui hoc ſeculo praeter Iudaeos et Gentiles Chriſtianam doctrinam, aut eius quaedam capita impugnarunt, uarii ſunt. Omnium primus ac reliquorum uelut parens eſt *Simon Magus*, quem LVCAS *Act. VIII*, 9, memorat. Vid. IRENAEI *Praef. in Lib. III de Haer. et Lib. I, c. 30.* Qui impudentiſſimus impoſtor ſe *ſublimiſſimam et infinitam uirtutem* mentitus dixit, ſe in monte Sina Legem *Moſi* in perſona Patris dediſſe Iudaeis, tempore *Tiberii*, in perſona Filii putatiue apparuiſſe; poſtea ſe in linguis igneis Spiritum S. in Apoſtolos ueniſſe. Duplicem Deum finxit, *Bonum* et *Malum*; Prophetas ex inſpiratione Angelorum prophetaſſe, affirmauit; reſurrectionem carnis negauit. Vid. IVSTINI MART. *Apol. II*, IREN. *lib. I, c. 20 et 30*, EPIPHAN. *Haer. XXI*, EVSEB. *lib. II, 13, et lib. IV, 22*, AVGVST. *de Haer. c. I*, et, qui ueterum ſcriptorum de eo teſtimonia collegit et erudite examinauit, ITTIGII *de Haereſiarchis aeui Apoſtolici Sect. I, c. 2.* Aſſeclae eius, *Simoniani* dicti, feneſtram magiae, libidini, idololatriae et omni impietati aperuerunt. Ortum inde etiam nomen *Simoniacorum et Simoniae* in *Iure Canon. Cauſ. 1, qu. 1 et 3*, quando pro rebus ſpiritualibus aut eccleſiaſticis pecunia datur aut accipitur. BARONIVS *ad Annum Chriſti XXXV, n 24*, et *Annum LXIII, n. 12*, per impudentem calumniam Lutheranis iſtam haereſin impingit, quod ſtatuerent, homines per gratiam tantum ſaluari; quaſi bona et iuſta opera cum *Simone* iſthoc reiicerent.

§. 15. MENANDER, *Simonis Magi* diſcipulus, gente Samaritanus, mundum ab Angelis creatum finxit,

sibi Christi etiam honorem arrogans: discipulis suis tantam sapientiam per magiam promisit, ut ipsos fabricatores mundi, Angelos uincere possent, imo quotquot in nomen suum baptizarentur, iis immortalitatem promisit. Vid. IVSTINI MART. *Apolog. II*, IRENAEVM *Lib. I, c. 22*, TERTVLLIANVM *de Praescript. Lib. I, c. 46*, EPIPHANIVM *Haeres. XXII*, EVSEBIVM *Lib. III Hist. Eccles. c. 26*, AVGVSTINVM *de Haeres. c. II* et ITTIGIVM *Lib. cit. c. IV.*

§. 16. CERINTHVS, qui haeresin in Asia dissemi-nauit, CHRISTVM ex *Iosepho* et *Maria* natum pro nudo homine, iustitia et prudentia excellente habuit. Contra quem *Iohannes* in Euangelii sui initio diuinitatem CHRISTI grauiter asseruit. Iactauit praeterea non tantum reuelationes Euangelicas; sed etiam mundum ab Angelis productum somniauit; comminiscens, post resurrectionem CHRISTI regnum per mille annos in terris in omni carnalium uoluptatum genere continuandum, apud EVSEBIVM *Lib. III, 28.* Plures improbos hominis errores collegit laudatus ITTIGIVS *loc. cit. c. V.* Vid. IRENAEVM *Lib. III, c. 3*, EVSEBIVM *Lib. III Hist. Eccles. c. 28, et Lib. IV, c. 14*, THEODORETVM *Lib II Haeretic. Fab.*

§. 17. EBION, *Cerinthi* successor, πτωχῶς καὶ ταπεινῶς abiecte et humiliter de CHRISTO sentiens, iuxta EVSEBIVM *Lib. III, c. 27*, eius diuinitatem negauit: cum Nazaraeis docuit, legis Mosaicae obseruationem esse necessariam ad salutem, eoque nomine circumcisionem, Sabbata et ceteros ritus Iudaicos urgebat. Vid. IRENAEVM *Lib. I, c. 26*, TERTVLLIANVM *de Praescript. c. XXXIII*, AVGVSTINVM *de Haeres. c. X.* Post *Mosen* et *Iosuam*, nullos Prophetas diuinos agnoscebat. Libros Nou. Test. omnes, excepto

excepto Euangelio *Matthaei* Hebraicò, explodebat. Vid. ITTIGII *l. c. cap. VII de Nazaraeis.* Cerinthianum Chiliasmum etiam defendebat, teste HIERONYMO in *Esaiae cap. LXVI.* Plures in illo errores ITTIGIVS *l. c. cap. VI* notauit.

§. 18. NICOLAITAE, siue NICOLAIANI, a *Nicolao*, proselyto Antiocheno, uno e Diaconis septem, *Act. VI*, 5, dicti. An autem ipse *Nicolaus* autor sectae, ut IRENAEVS *Lib. I, c. 27*, et EPIPHANIVS *Haeres. XXV*, uolunt; an uero culpae huius immunis, libidinosorum suorum discipulorum culpam luerit, ut CLEMENS ALEXANDRINVS *Lib. III Stromat.* et EVSEBIVS *Lib. III Hist. Eccles. c. 30*, existimant, determinare non possum. Dogmata tamen improba Nicolaitarum ex *Apoc. II, 6, 14, 15*, ex parte nota sunt; cum nec a fornicatione, nec idolothytis abstinuerint. IRENAEVS *l. c.* et *Lib. III c. 11*, autor est, eos de DEO et CHRISTO perperam sensisse. Et AVGVSTINVS *de Haeres. c. V* memorat, eos non DEO, sed potestatibus, quas finxerunt, mundi creationem tribuisse. Plura monstrosa illorum dogmata PHILASTRIVS *de Haeres. c. XXX* recenset. Vid. ITTIGII *l. c. c. IX.* Ceterum atrox calumnia est IAC. GVALTERII *in Tab. Chronograph. Sec. I, c. 10*, quando *Lutherum* Nicolaismi postulat, quod uirum sine muliere esse non posse, ex *Gen. I, 27, 28*, docuisset.

§. 19. Haereticis huius seculi ITTIGIVS iungit *Hermogenem* et *Phygellum*, ex *2 Tim. I, 15*, *Himenaeum* et *Philetum*, ex *2 Tim. II, 16*, *Alexandrum*, *1 Tim. I, u. ult. 2 Tim. IV, 14*, *Diotrephen*, ex *tertia Iohannis Epistola u. 9, 10.*

§. 20. *CONCILIA*, *quae* sunt *conuentus in Ecclesia extraordinarii ad componendas controuersias in*

doctrina Christiana subortas instituti, aeuo hoc Apostolico non plura, quam *unum solenne*, numerare licet; quod *Act. XV, 23, seqq.* describitur. Nam etsi alii alios etiam conuentus Apostolorum et fidelium eo nomine designant, ut *Act. I, 21, VI, XXI, 22, seqq.* proprie tamen loquendo, illud tantum solenne et primum fuit, quod ex LVCA, *Act. XV*, adduxi. In quo actum de lege ceremoniali, de libertate Christiana, exceptis quatuor illis ad tempus obseruandis, ne Iudaeis recens conuersis scandalum praeberetur. Vbi notes contra BARONIVM *ad Annum Christi LI, n. 12*, in eo nullam *Petri* fuisse praerogatiuam iuris aut potestatis. Decretum ibi de idolothytis, sanguine et suffocato factum, erudite illustrat PFANNERVS *Obseruat. Eccles. I.*

§. 21. *REGIMEN ECCLESIASTICVM* ex ordine ministrorum Ecclesiae eorumque potestate a CHRISTO Apostolis, testibus suis irrefragabilibus, concessa iudicandum est. Ipsi autem legati CHRISTI aequali potestate instructi, nullum primatum potestatis aut dominatum affectarunt; cum Ecclesia, quam plantare iussi erant, non sit status regni indolem referens. Id quod solidissime b. noster PVFENDORFIVS *Libro de Habit. Relig. Christ. ad Statum ciuilem* demonstrauit. Qui *Petro* primatum cum BARONIO assignant, eumque Episcopatum Romae oecumenicum iam stabiliuisse garriunt; aut ruditatem in historia antiqua, aut impudentiam suam profitentur. Id, quod VEDELIVS *de Cathedra Petri Antiochena*, SALMASIVS *de Primatu Papae in praemisso Apparatu*, doctiss. BLONDELLVS de eodem argumento aduersus Cardinalem *Perronium*, et LVD. MOLINAEVS, *Petri* filius, prolixe demonstrarunt. Equidem *Petrum* Romae

mae fuisse cum *Salmasio* negare nolim; at XXV annos ibidem sedisse, primatumque uniuersalem in omnes Ecclesias firmasse, historiae et chronologiae repugnat. Vid. EDM. RICHERII *Hist. Concil. Gen. cap. I, n. 5.* Et cur non potius *Paulo* primatus tribuitur? qui Romanam Ecclesiam fundauit, quemque ea propter ANT. ARNOLDVS, Ianseniſta in Gallia celeberrimus, hac in parte *Petro* aequalem facit. Vid. ITTIGII *Heptad, Dissert. Select. Dissertat. IV*, et SALMAS. *in Appar. p. 6. Hesychius*, Presbyter Hierosolymitanus, apud PHOTIVM *Cod. CLXXV*, *Iacobo* Minori, Episcopo Hierosolymitano, primatum uindicat. Enimuero *Primatus*, et *Primarii* nomina, aeuo Apostolico ignota fuerunt. Ipsi etiam scriptores Pontificii, quando uitas successorum *Petri* in sede Romana describunt, inter se dissentiunt, certissimo indicio, successionem Pontificum Rom. esse incertam.

§. 22. Ordinem autem ministrorum in CHRISTI Ecclesia fuisse, ex *1 Cor. XII, 28, 29, Ephes. IV, 11*, constat: quorum caput non *Petrus*, sed ἀρχιποιμὴν CHRISTVS, *1 Petr. V, 4*, fuit. Qui inter hos praecipui fuerunt, a cura τῆς ἐπισκοπῆς, Episcopi, aut προϊστάμενοι, uel προεστῶτες, ἡγούμενοι, praepositi, rectores, uel ab aetate πρεσβύτεροι, *Seniores*, dicebantur, *Rom. XII. 8, 1 Tim. V, 17*, ceteri a pascendi munere, ποιμένες, *Pastores*, aut διδάσκαλοι, appellabantur. Infimus gradus fuit *Diaconorum*, qui primum curam oeconomiae gerebant, mensis, pauperibus, orphanis, uiduis et aegrotis inseruientes, *Act. VI, 3, 4, Rom. XVI, 1.* Temporis tamen successu, eosdem et spirituali oeconomiae Verbi et Sacramentorum operatos esse, ex *Phil. I, 1*, et *1 Tim. III, 2, 8, 9 et 13*, colligitur. Ordinem hierarchicum, quem BARONIVS

ad Annum Christi XLIV, n. 77, seqq. refert, diu post in Ecclesia innotuisse, omnes in historia antiqua uel leuiter uersati hodie non ignorant.

§. 23. *PERSECVTIONES*, quibus Apostoli et Christiani primi statim pressi sunt, in *minores* et *maiores* distingui possunt. Illas in Palaestina a Iudaeis excitatas, Christiani fere sustinuerunt, de quibus ex Actis Apostolicis constat. Has (*maiores*) Imperatores gentiles, *Nero* et *Domitianus* excitarunt. Inde *prima* inter illas Neroniana, *altera* Domitiana audit; utraque crudelissima fuit.

§. 24. Causa, uel praetextus *primae* persecutionis fuit incendium Romae, cuius inuidiam scelestus *Nero* in Christianos innocentes conuertit, ut post *Suetonium* c. TACITVS *Ann. XV, 44.* testatur, diritatem eius simul describens. Initium istius iuxta SCALIGERVM *An. Christi LXIII, Neronis* uero imperii IX factum est, et durauit Romae atque in prouinciis Romanis ad annum *Neronis XII*, quo semet furibundus ictu gladii, teste *Aurelio Victore*, transegit. Conf. TERTVLL. *Apologet. c. V*, et SVLPITII SEVERI *Hist. Eccles. Lib. II, p. 370, edit. Horn.* EVSEBII *Hist. Eccles. Lib. II, c. 25.* et LACTANT. *de Mort. Persecut. c. II.* In hac *Petrus* et *Paulus* Romae martyrio affecti sunt. Numerus martyrum reliquorum incertus est. Conf. BARON. *ad Annum Christi LXIX, n. 44*, et PRVDENT. *Hymn. περὶ Στεφάνων.* Post *Neronis* interitum, *Vespasiano* imperante, An. Christi LXX, excidium Hierosolymae, memorabile in omne aeuum nemesis diuinae exemplum, contigit. Vid. IOSEPH. *de Bell. Iud. Lib. VI et VII*, TACIT. *Lib. V Histor. c. 10, seq.* Hac tempestate Christiani, relictis Hierosolymis, sedes suas Pellam,

lam, oppidum quoddam trans Iordanem, tanſtulerunt, teſte EVSEBIO *L. III, 5, Hiſt. Eccl. Epiph. haer. VII.*

§. 25. *Secundae* perſecutionis autor *Flauius Domitianus, Titi Veſpaſiani*, optimi Imperatoris, peſſimus ſucceſſor, ac ideo a TERTVLLIANO *Apologet. c. V* portio *Neronis* de crudelitate dictus fuit. Refertur haec circiter in An. Chriſti XC. Conf. EVSEB. *Hiſt. Eccl. Lib. III, 17. p. 70.* In cauſa fuerunt calumniae atrociſſimae, quibus Chriſtiani paſſim aſpergebantur, quod eſſent Athei, inimici Imperatorum, legum, naturae; imo hoſtes humani generis, ut TERTVLLIANVS in *Apologetico* refert. Perſecutio haec promiſcue in Iudaeos et Chriſtianos graſſata eſt adeo, ut nulli Chriſtianorum etiam ſibi cognatorum pepercerit tyrannus. *Iohannem* Euangeliſtam in dolium feruentis olei coniectum, cum illaeſus inde euaſiſſet, in inſulam Pathmum relegauit, ubi Apocalypſin ſcripſit. Vid. TERTVLLIANVM *de Praeſcr. c. XXXVI*, EVSEBIVM *Lib. III, 19, 20*, et THEODORETVM *de Cur. Graec. Affect. Serm. IX*, et LACTANTIVM *de Mort. Perſec. c. III.*

§. 26. *MEMORABILIA* alia, quae ad hoc ſeculum pertinent, ſunt, quod *Auguſtus*, cum *Tiberio*, filio ſuo, *cenſum* Romae agitans, inuenerit hominum nonageſies ter centena millia; quam immanem ſummam SCALIGER in *Animadu. ad Euſeb. Chron. p. 179, 180*, correxit: quod in Eccleſia donum propheticum et miraculorum, aeuo hoc Apoſtolico adhuc uiguerit: De *Simonis Magi* uolatu et caſu praecipiti, apud ARNOBIVM *Lib. II, adu. Gent.* De *Iohanne* Euangeliſta in oleum igneum demerſo et inde illaeſo euadente, apud TERTVLLIANVM *de Praeſcript. c. XXXVI.* De *Cerintho* tragico interitu ex ruina balnei, e quo

Iohan-

Iohannes ante egressus fuerat, apud IRENAEVM *Lib. III, c. 3*, EVSEBIVM *Lib. III, c. 28*, et similia, quae in pseudepigraphis annotari solent. D. G. CALIXTVS *in Apparat. Theolog. p. 113*, diuinae prouidentiae tribuit, quod praeter Apostolica et Canonica, scriptorum nihil ex primo seculo integre et sine suspicione falsi, uel certe interpolationis argumentis ad nos peruenerit; non quod nihil omnino scripserint, qui id aetatis Ecclesiis praecerant; quum de *Ignatii* nonnullis Epistolis res sit extra controuersiam: sed potius quod diuina prouidentia primum seculum non nisi Apostolicis scriptis apud nos uoluerit nobilitatum; et hoc ipso prouidere, ne ob uicinitatem temporum, alia si exstarent, cum Apostolicis confunderentur. Addi potest, quod *donum miraculorum* hoc aeuo inter Apostolos, et uiros Apostolicos frequens, sequenti seculo, recepta passim per orbem terrarum doctrina Euangelica, rarius factum sit.

§. 27. Quodsi quis uelit nunc *iudicio pragmatico* res primo hoc Christianorum aeuo gestas summatim aestimare; ante omnia deuota pietate ueneranda erit summa DEI *sapientia*, *bonitas* et *iustitia*. Quanta enim *sapientia*, quod CHRISTVS per Apostolos ex infima plebe lectos, obnitentibus Iudaeis, gentilibus, tyrannis atque haereticis, Euangelium, quod sapientibus mundi stultitia uidebatur, tam late per orbem, sine armis et nulla ui externa, propagarit. Quanta *bonitas* et benignitas DEI, qua gentiles diuinae gratiae uelut exules et contemtores, atque a communione diuinorum alias mysteriorum semotos, in gremium Ecclesiae recipere, eosque aeternae salutis reddere participes dignatus est. Quantum *iustitiae* Dei uindicis documentum, horrenda Iudaeorum tempus gratiae asper-

aſpernantium ſtrages, Vrbis euerſio, et eorum per orbem diſperſio. Admirari etiam decet diuinam *prouidentiam*, qua agnos inter lupos et leones, hoc eſt, Chriſtianos inter tyrannorum perſecutiones, conſeruarit, ſuamque Eccleſiam ſanguine fundatam latius propagarit atque amplificarit.

PERIODVS I CAPVT II

DE

SECVLO II CHRISTIANO

§. 1

Iam late per orbem uniuerſum diſſeminata Religione Chriſtiana, numerus Chriſtianorum ualde auctus fuerat. In primis cum Philoſophi etiam eruditiſſimi CHRISTO nomen darent, fidemque Chriſtianam aduerſus gentilium calumnias ſtrenue aſſertum irent. Quanquam inter hos etiam multi nouarum haereſium fuerunt ſimul autores.

§. 2. *Doctores* et *Scriptores* huius aeui praecipuos nominare ſaltem libet; cum eorum uitae et ſcripta in omnibus fere hiſtoriae compendiis memorentur. Illi ſunt *Ignatius*, Epiſcopus Antiochenus, *Polycarpus*, Smyrnenſis Eccleſiae Epiſcopus, *Iuſtinus Martyr*, *Tatianus*, *Melito Aſianus*, *Athenagoras*, Athenienſis Philoſophus, *Hegeſippus*, ex Hebraeo Chriſtianus, *Theophilus*, Antiochenus Epiſcopus, *Irenaeus*, Eccleſiae Lugdunenſis Presbyter, *Clemens*, Presbyter Alexandrinus, *Tertullianus*, Carthaginenſis Afer, primum cauſſidicus,

ſidicus, deinde Presbyter Carthaginenſis. Reliquos, quorum ſcripta perierunt, aut fragmenta ſaltem ſuperſunt, aut qui ſupoſititii ſunt, ut *Pſeudo-Decretales*, recenſere hic omittimus. Vid. DVPINI *Biblioth. p. 334.*

§. 3. IGNATIVS, Apoſtolorum auditor et martyr ſanctiſſimus, *ſeptem Epiſtolas* in uinculis exarauit ad Smyrnaeos, ad *Polycarpum*, ad Epheſios, ad Magneſios, ad Philadelphenſes, ad Trallianos, et ad Romanos. Has 18. VOSSIVS et VSSERIVS pro genuinis habent. Ceterae, quae eius nomen prae ſe ferunt, pro ſuppoſititiis habentur. Vid. PEARSONII *in Prolegom. ad Vindic.* IGNATII *Epiſt. p. 21, ſeq.* et EVSEB. *Lib. III, c. 36, Hiſt. Eccl.* conf. DVPINI *Biblioth. Nou. Tom. I, p. 57, ſqq.*

§. 4. POLYCARPVS poſt martyrium *Ignatii* Epiſtolam ad Philippenſes exarauit, quam *Vſſerius* Oxoniae an. 1644, *Maderus* Helmſtadii an. 1653, et *Steph. le Moyne* Lugduni Batauorum, Graece et Latine euulgarunt. Meminit eius EVSEBIVS *Lib. IV, c. 14, Hiſt. Eccl.* conf. TENZELII *Diſſert. de Polycarpo.* Σύγχρονος eius fuit *Papias*, Epiſcopus Hieropolitanus, cuius librorum mentionem facit IRENAEVS *Lib. V, adu. Haeret. c. 33*, qui Chiliaſmi autor habetur, ſed tamen BARONIVS *in Martyrol. d. Februario XII, p. 131*, eundem propterea non inter haereticos cenſendum putat. Conf. DVPINI *Biblioth. Nou. Tom. I, p. 76, ſeqq.*

§. 5. IVSTINVS MARTYR Palaeſtinus, ex Philoſopho Platonico Chriſtianus, ſub *Antonino Pio* floruit: opera eius uaria proſtant. Sed pro genuinis *duae* eius *Apologiae* pro Chriſtianis, duplex eius *Oratio ad Graecos*, et *Dialogus cum Tryphone* Iudaeo, habentur,

7) Melito E. Sardensis circ. hat eine eigene Reise in den Orient unternommen, um sich von dem canonischen Ansehen der Bücher des A. T. zu vergewissern u. hat [illegible] Gesetz u. den Propheten [illegible], [illegible] Heilande u. unserem ganzen Glauben [illegible]. [illegible] u. [illegible] [illegible] Eusebius u. [illegible] aus der K. G. gemacht.

M. Lindneri Cura posterior in Athenagorae deprecationem pro Christianis. 1775.

Sancti Athenagorae Atheniensis philosophi, Deprecationem (vulgo legationem) pro Christianis edidit M. J. Gottl. Lindner. Longosalissae 1774. 192 S. 8. Seine Schreibart ist [illegible] zu [illegible]. Die Absicht [illegible] die Christen [illegible] Vernunft, [illegible] die Christen [illegible] [illegible] [illegible] glaublich [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] die Glaubwürdigkeit [illegible] u. [illegible] [illegible] die [illegible] der Christen [illegible], [illegible] [illegible].

Diese [illegible] Schrift contra Hermogenem hat [illegible] Eusebio, [illegible] [illegible] [illegible] Apparat. [illegible]. Apollonius hat [illegible] gethan.

bentur, uid. EVSEB. *Lib. IV, cap. 15*, conf. ABR. SCVLTETI *Medulla Patr. Lib. I*, et GVIL. CAVE *Hist. Lit. fol. 37, seqq.*

§. 6. TATIANVS, ex gentili Christianus orthodoxus, sed post obitum *Iustini M.* haereticis annumeratus, *Orationem ad Graecos* scripsit, quam EVSEBIVS *Lib. IV, c. 29, Hist. Eccl.* laudat, uid. SCVLTETI *Medulla Patr. Lib. II, c. 6*, et HOORNBECKII *Miscell. Sacr. p. 79*, DVPINI *B. N. Tom. I, p. 97.*

§. 7. MELITO ASIANVS quae scripsit, ab EVSEBIO *Hist. Eccl. Lib. IV, c. 26*, memorantur. Hodie fragmenta tantum quaedam supersunt, quae HALLOIXIVS *Tom. II, c. 835*, recenset. Librum eius de *Transitu B. Virginis*, NATALIS ALEXANDER *Sec. II, P. I, p. 63*, pro spurio habet. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 43.*

§. 8. ATHENAGORAS, sub *M. Aurelio Antonino*, et *Lucio Vero*, uel etiam *Commodo*, Imperatoribus, clarus, *Apologiam* pro Christianis, et Tractatum *de Resurrectione mortuorum*, scripsit. Quae uiri sublimis opera an. 1685. hic Lipsiae cum notis publicauimus. Conf. DVPINI *Bibl. Nou. Tom. I p. 98.*

§. 9. HEGESIPPVS, Imperatoris *Commodi* aetate floruit, *Libros V Actuum Ecclesiasticorum* scripsit, quorum fragmenta EVSEBIVS *Hist. Eccl. Lib. II, c. 23*, exhibet. Hic cum Pseudo-Hegesippo, qui postea *Libros V de Bell. Iud.* consarcinauit, non confundendus est. Vid. DVPINI *Bibl. Nou. Tom. I, p. 84.*

§. 10. THEOPHILVS ANTIOCHENVS, sub *M. Antonino Vero*, Imperatore, clarus, *tres Libros* ad Autolycum, *de Fide Christicnorum*, aduersus eiusdem calumniatores exarauit. Qui Oxonii an. 1684 cum notis prodierunt. Conf. EVSEB. *Lib. IV, c. 24*, uid.

SCVLT.

SCVLT. *Medull. Patr. Lib. IV.* Reliqua eius scripta interierunt.

§. II. IRENAEVS, *Polycarpi* auditor, uaria scripsit, teste EVSEBIO *Hist. Eccl. Lib. V, c. 20, 24 et 26*, superstant eius *Libri V aduersus Haereses*, quos Latine tantum habemus. *Franciscus Feuardentius* fragmenta quaedam ex Graecis scriptoribus, suae editioni addidit. Conf. PHOTII *in Bibl. Cod. CXX*, et SCVLT. *Med. Patr. Lib. III*, CHEMNIT. *Orat. de Lect. Patr. p. 2*, et DVPIN, *l. c. p. 107, seq.*

§. 12. CLEMENS ALEXANDRINVS, sub finem huius seculi clarissimus, *Origenis* praeceptor, πολυμαθέστατος, *Libros IIX Stromatum* uaria eruditione refertos, *Protrepticon ad gentes*, quo eas ad fidem Christianam inuitat, *Paedagogum* tribus libris constantem, quibus Christianos in sanctis moribus informat, *Hymnum in laudem D. N. I. C.* Orationem περὶ τῶν, τὶς ὁ σωζόμενος πλούσιος, Oxonii an. 1683, cum aliis desideratis hactenus editam, reliquit. Vid. EVSEB. *Lib. III, c. 23*, CAVE *Hist. Lit. p. 55*, SCVLTETI *Med. Patr. Lib. V*, et DVPIN. *l. c. p. 119, seqq.*

§. 13. *Quint. Sept. Florens* TERTVLLIANVS, primus ordine inter Patres Latinos, uir acumine, dicendi genere acer inprimis et uehemens, praeter *Apologeticum* pro Christianis, quorum mores innocentes praedicat atque recenset, *uarios libros* compositi, quos *B. Rhenanus* an. 1521 Basileae, et an. 1634 *Nic. Rigaltius* cum notis publicauit Parisiis. De naeuis eius *consule* SCVLT. *Medull. Patr Lib. VII*; CHEMNIT. *l. c. p. 3*, et DVPIN. *l. c. p. 126, seqq.*

§. 14. De omnibus iam nominatis Patribus notandum est, istos suis non caruisse naeuis. Cum enim maxi-

maximam partem ex *Platonis* aut aliorum Philosophorum scholis nuper prodiissent, omnes errores, quibus antea imbuti fuerant, non statim exuentes, quosdam Christianae doctrinae hinc inde admiscuerunt. Quemadmodum et haereses multas primorum seculorum, ex prauis Philosophorum sententiis enatas esse constat, *Col. II, 8.* Aequitas interim poscit, ne uiros cetera pios, et non sponte errantes, statim in haereticorum censum referamus.

§. 15. *Summam DOCTRINAE* huius seculi IRENAEVS *Lib. I, c. 2,* exhibet, quae Symbolo Apostolico fere congruit. Vid. TERTVLL. *de Vel. Virg. f. 192.* Nimirum eandem fidei regulam, Scripturam S. nobiscum agnoscebant, fideique nostrae Euangelicae capita profitebantur. Id quod ex ipsorum scriptis *Centuriatores Magdeburgici Cent. II, c. IV, p. 29 58,* et b. D. BEBELIVS *Antiquit. Eccles. Euangel. Secul. II, art. 3* prolixe probarunt. Conf. FORBESII *Instruct. Histor. Theol. Lib. I, c. 3,* SPANHEMII *Epitom. Ijag. ad Hist. Eccles. Secul. II, n 111, p. 604,* et DVPINI *Biblioth. cit. cap. I, p. 344, seqq.*

§. 16. *CONTROVERSIAE*, quibus Christiani hoc aeuo maxime exercitati fuerunt, aliae a gentilibus; aliae a Iudaeis, aliae ab haereticis, aliae ab ipsis inuicem motae sunt. *Gentiles* iis nefanda crimina obiiciebant, ἀθεότητα, seu atheismum, coenas Thyesteas, concubitus incestuosos et promiscuos, contemtum Imperatorum, crimen rebellionis et alia, quae in Apologiis suis, *Iustinus Martyr*, *Athenagoras*, et *Tertullianus*, diluunt atque refutant. Vid. b. D. KORTHOLDI *Libr. de Calumn.* quibus ueteres Christiani aspersi sint. *Iudaei*, IESVM esse uerum Messiam negantes, legis Mosaicae obseruationem urgebant. Conf. IVSTINI

Dialog. cum Tryphone. *Haeretici*, ut Gnostici, Valentiniani, Hermogeniani, Montanistae, et alii plures, praecipua doctrinae Christianae capita uellicabant, teratologias suas, ex gentilismo petitas, Christianismo admiscere mollientes, quod ex *Irenaeo*, *Clem. Alexandrino*, et *Eusebio* patet. *Victor*, Episcopus Romanus, Episcopis in Asia Orthodoxis, litem non necessariam super Paschate, quando illud celebrandum, mouit. Quae controuersia magno animorum motu, usque ad concilium Nicaenum, agitata est. Vid. EVSEB. *Hist. Eccles. Lib. V, c. 23 et 24*, ita, ut, qui die XIV Aprilis Pascha celebrandum statuerint, *Quartadecimani* uelut haeretico uocabulo diffamarentur.

§. 17. *HAERETICI* famosiores in haeresiologiis passim notati, hoc seculo fuerunt *Saturninus*, *Basilides*, *Carpocrates*, *Adamiani*, *Caiani*, *Sethiani*, *Ophitae*, *Valentinus*, et eius assectae, *Cerdo*, *Marcion*, eiusque discipuli, *Lucanus et Apelles*, *Gnostici*, *Docetae*, *Melitonii*, *Tatiani*, *Encratitae*, et horum sequaces, *Montanus*, et eius assectae, *Hermogenes* et *Praxeas*. Horum omnium historiam, post ueteres scriptores, ITTIGIVS *in Dissertat. de Haeresiarchis primi et secundi seculi*, descripsit; cuius lectionem hic studiosae iuuentuti merito commendamus. Nos pauca tantum de illis annotabimus.

§. 18. SATVRNINVS, Antiochenus, (quem *Epiphanius* et *Theodoretus* SATVRNILVM appellant,) e schola *Menandri* ortus, unum Patrem omnibus incognitum statuit, Angelorum creatorem: CHRISTVM non uerum hominem fuisse, sed formam tantum humanam habuisse: duo hominum genera, unum natura bonum, alterum natura malum agnouit, resurrectionem negauit, etc. Vid. EPIPHANIVS *Haeres.*

Ernesti in s. neuesten Chron. Lehrs. L. II. sagt: der Streit sey nicht über den Tag des Osterfestes
sondern über die damals angenommene Frühlingsgleichheit oder über den Tag zu
verstehen, da man das Osterlamm opferte. Die Gewißheit der Sache, weil
man es nicht verstanden hat, hat in den neueren Zeiten Verwirrung gemacht. Es
man hat das Osterfest verlegt, wenn die Juden ihre Pascha auf den Sonntag statt
denen es gefeyert werden sollte. Victor hat die Morgenländische Kirchen im Bann ge-
than, welche doch fest nach einem Tag mit den Juden hielten. Es kam, wie es das Ansehen
weiter, daß Einige in die Irrthümer, auf welche in der ersten Kirche gedrungen, gerathen. Sie vorzüg-
lich, daß Einige in unserer Kirche Hildebrand zu Gelnhausen der Irrthümer entdeckt. Aber es war
der Lehrer zu sey. Die Gelehrsamkeit und Scharfsinnigkeit sind der unabgängigste Grad zu andern
Ehren. Nachher ist die Frage: ob Quartodecimani, ob Protestanten in gehörigen
Lichte gesehen worden. Es kommt nun darauf an, ob es die Frage einer neuesten Uebersetzung ist, worin
die Pascha wieder verloren oder gewöhnlich wurde. Fest ist Osterlamm war seine Feuchtigkeit
den Tag seiner fest war es in Egypten, aber 8 Tage während. Darum Festtag war noch
zwey Tage, wo. Aber die Pascha der alten, neuen Lehre ist so strikte. Es ist 8. Fest, sondern
Osterlammsmahlzeit. Das Fest Ostern müssen wir nun schon behalten, aber es ist fest
ganz ist. Fest der Auferstehung ist nicht ist wesentl. Denn so lange die Christen mit den
Juden an einem Tage ostern, geschahe es den Tag vor dem Auferstehungs-Fest, vor der Abend-
Mahlzeit, die ordentl. Mahlzeit (Coena Domini) alle, als also die Mahlzeit ist gehal-
ten den folgenden Tag, an dem Fest gefeyert werden kann. Mahlzeit ist also
Tag vor dem eigentl. Ostern, den Fest der Auferstehung Xti. anfangt hatte, damit es nur einziger
Fest der Christl. Kirche seyn. Es hat vielleicht die Gewohnheit, die Mahlzeit zum Gedächtniß, aber
Christus Mahlzeit fest mit Feyerlichkeit. Es war christliche Angelegenheit, die Gedächtniß Christi
desto feyerlicher zu begehen. Das Abendmahl ist Mahlzeit. Es ist gut mit den Juden
halten wollte, konnten sie bey ihrer Fest Zeitrechnung nicht. Fest ist nicht
andere Frage, ob die Feyer der Pascha in der Christl. Kirche, da es der eigentl. Osterfest ist, wie die
andern, welche nicht den Tag. Nicht. Christl. werden, denn nicht Canones paschales der Kalender,
sind die Paschalia i.e. Chronicon, welche die Feyer nach den Osterfesten regeln; und wenn die ganze Christl.
vom Pascha genau abgestellt wäre, gelt, so müßte Festtag eingeführt werden.

Es der andern Streite über die Osterlammsfeyerlichkeit excommunicirte der Bischof Rom, Victor, die Bischöfe Klein-
asiens, weil sie alte Gewohnheit Asiatischen Kirchen nicht annehmen wollte. Irenäus war es gewi-
den. Aber es ist in der neueren Zeiten übertrieben, aber auf einige Lehrsätze, gar Gegensätze, wie eine Ketzerey
gegeben. Es ist die Excommunication für Ketzerey gehalten, als sie gewesen ist. Jede Lehrsatz
Kirche der ihrem Bereich seine Anmaßung eine allgemeine Gewalt ist. Jede Lehrsatz
getroffen hat, kann es die Kürze übersehen. Rosenbaum stellt. Nicht gut verdient. Der ganze
Streit über die Excommunication in der alten Kirche ist uns nicht genug bekannt. Es ist genug, daß
die Päpste nun von Excommunicationen andere Gewalten der Lehrsätze der Schwachen Laien
unter sich nahmen stellt. Es muß nicht wissen, weil der Fall, wenn die Kirche nicht excommunicirt. es nicht
Fortschritt unter einander hatten, als sie einander zu Ketzern hielten, Recommendationen an einander gaben, und einan-
messen, ꝛc. Ernest. Lb. p. 243.

Alogie. P. Vernon Musicalis Fürstenberg in Anl. N. L. 3198. D. 1794.

Haeresf. XXIII, AVGVSTINVS *de Haeresf. c. III*, PHILASTR. *Haeresf. XXXI.*

§. 19. BASILIDES, Alexandrinus, *Hadriano* imperante, ingeniosior *Saturnino* uideri uolens, statuit, a Patre ingenito primo omnium natum esse, τὸν Νοῦν, ab hoc τὸν λόγον, a λόνω Φρόνησιν, a *Φρονήσει σοφίαν* et δύναμιν, a *δυνάμει* autem et *σοφία*, Angelos et Archangelos, qui primum coelum fecerint. Ab his uero alios natos esse Angelos, et ab iis iterum alios. Vid. IRENAEVM *Lib. I, c 23*, EVSEBIVM *Lib. IV, c. 7*, EPIPHANIVM *Haeresi XXIV*, et ITTIGIVM *l. c. c. 2.*

§. 20. CARPOCRATES, Carpocras *Epiphanio* dictus, Alexandrinus, Philosophus ante Platonicus, statuit, mundum ab Angelis productum esse; IESVM ex *Iosepho* et *Maria* genitum pro nudo homine habuit. Praeter magiam et incantationes, omne genus libidinis non permittebat tantum, sed et mandabat, ut uiam ad perfectionem, sola opinione hominum discerni bona et mala affirmans. Vid. IREN. *Lib. I, c. 24*, EVSEB. *Lib. IV, c. 7*, EPIPHAN. *Haeresf. XXVII*, AVGVST. *de Haeresf. c. VII*, ITTIG. *cap. VII.*

§. 21. ADAMIANI, iuxta THEODORETVM *Lib. I, c. 6*, a *Prodico* seducti, in conuentibus suis *Adami* nondum lapsi nuditatem imitabantur, et in culpam aliquam lapsos societate sua eiiciebant, sicut *Adamus* Paradiso eiectus est: nuptias quoque improbarunt, cum interim promiscuas libidines sibi permitterent. Vid. EPIPH. *Haeresf. LI*, DAMASCEN. *Haeresf. c. LI*, et ITTIG. *c. IV.*

§. 22. CAIANI, seu CAINIANI, uel CAIANISTAE, a *Caino* fratricida sic appellati; quia *Cainum* magnis honoribus dignum censuerunt. Vid. CLEM.

ALEXANDR. *Lib. VII Stromat. p. 549.* Core etiam et Sodomitas, et peſſimos quosque ſuos cognatos dixerunt, teſte IRENAEO *Lib. I, c. 35.* *Iudam* quoque proditorem magni fecerunt, quod proditione ſua hominum ſalutem procuraſſet. Vid. EPIPH. *Haereſ. XXXVIII*, et ITTIG. *c. III.*

§. 23. SETHIANI, ſeu SETHITAE, ita dicti ſunt, quod *Sethum*, *Adami* filium, ipſum Chriſtum fuiſſe affirmarint. Vid. EPIPHANIVM *Haereſ. XXXIX*, AVGVSTINVM *de Haereſ. c. XIX*, ITTIGIVM *c. IV.*

§. 24. VALENTINVS, Philoſophus in Aegypto Platonicus et Pythagoricus, in petitione Epiſcopatus reiectus, haereſiarcha factus eſt, multaque deliria de XXX Aeonibus, et eorum ridiculis ſyzygiis ſparſit; CHRISTVM corpus ſuum ex coelo attuliſſe, et per *Mariam* inſtar aquae per fiſtulam tranſiiſſe, ſomniauit. Finxit et tria hominum genera, *carnale*, *animale*, et *ſpirituale*; Reſurrectionem huius carnis negauit. Vid. IREN. *Lib. I, c. 1 et 5*, TERTVLL. *Libro aduerſus Valentinianos*, EVSEB. *Lib. IV, c. 11*, EPIPHAN. *Haereſ. XXXI*, AVGVSTIN. *de Haereſ. cap. 9, et* ITTIG. *5, et de Valentiniani aſſeclis, c. 6.*

§. 25. CERDO uel CERDON Valentiniani σύγχρονος, e Syria oriundus, duo finxit cum *Simone Mago* Deos, unum *bonum*, alterum *malum*; illum ſuperiorem et incognitum omnibus, hunc mundi creatorem: Superioris filium eſſe Chriſtum, quem non ueram carnem, ſed carnis phantaſma aſſumſiſſe, nec reuera paſſum eſſe, reſurrectionem corporis etiam negauit. Vid. IREN. *Lib. I, c. 28*, et *Lib. III, c. 4*, EPIPH. *Haereſ. XLI*, AVGVST. *de Haereſ. c. XXI.*

§. 26. MARCION, Synopenſis Ponticus, Epiſcopi filius, Philoſophus ante Stoicus, *Cerdonis* diſcipulus, ob

ob ſtupratam uirginem communione Chriſtianorum excluſus, haereſin a magiſtro ſuo hauſtam, *Antonini Pii* tempore ſparſit. *Polycarpus* eum *primogenitum Satanae* dixit. Vid. IREN. *Lib. III, c. 3,* EVSEB. *Lib. IV, c. 14.* Duos Deos, *bonum* et *malum*, finxit; Vetus Teſtamentum a malo Deo profectum reſpuit: Nouum uero pro lubitu mutilauit, expunctis praeſertim iſtis locis, quae de uera Chriſti generatione et carne agunt, cuius etiam reſurrectionem negauit, coniugium reiecit; *Cainum*, Sodomitas, Aegyptios et omnes gentes ſceleratas ſaluatas; contra *Abelem*, *Enochum*, *Noachum*, et Patriarchas cum Prophetis damnatos fuiſſe, dixit. Vid. IREN. *Lib. I, c. 29,* TERTVLL. *Lib. adu. Marcionem,* EVSEB. *Lib. IV, c. 11,* EPIPHAN. *Haereſ. XLII,* AVGVST. *de Haereſ. c. XXII,* ITTIG. *c. VII.*

§. 27. LVCANVS et APPELLES, *Marcionis* diſcipuli, foeda *Marcionis* dogmata propagarunt, aliisque ſceleratis ſententiis interpolarunt. *Lucanus* inter alia ſtatuit, neque carnem, neque animam, ſed tertium quid reſurrecturum eſſe. Vid. TERTVLLIANVM *de Reſurrectione c. II. Apelles*, ſcortator, reuelationes *Philumenae* ſcorti ſui iactauit, *Moſis* libros reiecit. Vid. ORIGEN. *Lib. V contra Celſum,* EPIPHAN. *Haereſ. XLIV,* EVSEB. *Lib. V, c. 13.* Plura de blaſphema hominis doctrina tradit ITTIG. *cap. VIII.*

§. 28. GNOSTICI, ἀπὸ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, quam iactabant, appellati, ex *Simonis Magi*, *Menandri*, *Saturnini*, *Baſilidis*, *Carpocratis*, et *Valentini*, diſciplina colluuiem quandam monſtroſarum ſententiarum collegerunt; quare illos AVGVSTINVS *Fabulones* uocat. Variis deinde modis nominibusque inter ſe diſtincti, nominatorum iam haere-

ticorum deliria interpolarunt. Hiſtoriam illorum contexuit ITTIGIVS *l. c. c. IX.*

§. 29. DOCETAE ſeu DOCITAE tradiderunt, Chriſtum δοκησει πεφυκέναι, ſeu *opinione natum eſſe.* Vnde et *Phantaſiaſtae* appellati. Vid. ITTIG. *c. X.* *Antropomorphi* etiam dicti, quod Chriſti corpus ſpeciem tantum humanam referre, ſomniarent.

§. 30. MELITONII, a *Melitone* dicti, DEI imaginem in corpore, non in anima, quaerendam eſſe docuerunt, quod Deum corporeum eſſe ſomniarent. Vid. ITTIG. *c. XI.*

§. 31. TATIANI, a *Tatiano* Syro, *Iuſtini M.* diſcipulo, appellati, coniugium opus Diaboli dixerunt: *Adamum* ſaluatum eſſe, negarunt. Abſtinentiam ab eſu carnium et potu uini requirebant, inde et *Encratitae* appellati. In Euchariſtia loco uini aquam adhibebant, *Aquarii* inde cognominati. Vid. IRENAEVM *Lib. I, c. 3 et 31, Lib. III, c. 39,* EVSEBIVM *Lib. IV, c. 29,* EPIPHANIVM *Haereſ. XLVI,* AVGVSTINVM *de Haereſ. cap. XXV.* Ceterum *Tatianus* ille primum harmoniam Euangeliſtarum adornauit. Vid. EVSEB. *Lib. IV, c. 29,* et ITTIG. *c. XII.*

§. 32. MONTANISTAE, a *Montano*, qui ſe Paracletum illum ſpiritum ueritatis mentitus erat, appellati, damnarunt coniugium: lapſis pacem denegabant: ieiunia noua et inuſitata introducebant: martyria ambibant, nec perſecutionis tempore fugam eſſe licitam ſtatuebant. Iactabant etiam uiſiones propheticas. Vid. EVSEB. *Lib. V, c. 14, 16, ſeqq.* EPIPHAN. *Haereſ. XLIIX,* AVGVSTIN. *de Haereſ. XXVI,* ITTIG. *c. XIII.* Dicti quoque a patria *Montani Peputiani* et *Cataphryges.*

§. 33.

§. 33. nüst mit Spinoza, daß die Natur mit Gesetzmäßigkeit; sondern Gott ist nur die Welt erschafft, daß sie besteht.

† ex Phil. eclectica s. orientali s. pythagorico-platonica.
Eusebius zählt drey Gründe an, warum die Phil. orientalis aufhören, oder nicht mehr ist ausdrücklich genannt, so mit für alle neue Secten angenommen werden. Philos. hat hier nur den, daß neue Systeme aller Theologiam naturalem voraus; daß Systeme der Vernunft neue Gr. zu Gegensätzen.
Wolfische Art Schriften zu machen. Paulus hat in einer Recension der Wolfischen Schriften die so genannte Wolfische Methode veranlasst, welche denn eine so große Aufsicht. Solches mit einem Gespenst gemacht haben, als wären neue Sätze. Hier einen Kunst B. zwar für den Scholasticismus u. für die Art so gesagt haben. Mich.

de Synod. Hagrana ist die erste, womit Decretalia bekannt gemacht u. angenommen worden. ao 308.

Eusebius hat auf uns Epistolam Synodicam von der angestellten Synod. Lib. VII. c. 28.
die erste Synode wurde gehalten zu Rom 198. wegen Abschaffung in der Charwoch. gl. Irenäi Epistola ad Victorem, welche in s. Namen gedruckt ist u. worin er den Vict. sehr tadelt warum er mit angemasster Strenge die ganze orientalische Kirche in den Bann gethan, welche Polycarpus (verwandte). Irenäus war Bischof zu Lyon in Gallien

§. 33. HERMOGENES, Afer, materiam Deo coaeternam ſtatuit, ex qua Deus omnia poſtea feciſſet. Quem *Tertullianus* libro peculiari confutauit, eiusque aſſeclas *Materiarios* nuncupauit.

§. 34. PRAXEAS, a quo *Praxeani* et *Patripaſſiani* nominantur, haereſin in Aſia primum, deinde Romae ſparſit: aduerſus quem peculiaris *Tertulliani* diſputatio extat. *Hermogenis* errorem amplexus, Chriſtum aſcendendo corpus ſuum in ſole depoſuiſſe, et Patrem in Chriſto paſſum eſſe delirauit. Vid. ITTIG. *c. XVI.*

§. 35. Harum ſi haereſium quaeras originem, multa ex Gentilium philoſophia deriuari poſſunt. Varia de hoc apud TERTVLLIANVM loca extant. Vnum. tantum hic ex libro *de Praeſcript. c. VII. f. 232*, adſcribemus: *Ipſae denique haereſes*, inquit, *a Philoſophia ſubornantur. Inde Aeones, et formae, neſcio quae, et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate; a Stoicis uenerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis obſeruatur, etc.* Tandem ſubdit: *uiderint, qui Stoicum et Platonicum et Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.*

§. 36. *SYNODOS* uel *CONCILIA* quaedam particularia, ob controuerſias exortas habita fuiſſe, ex *Euſebio* conſtat: ut in Aſia ob *Montani* et *Cataphrygum* haereſin, apud EVSEBIVM *Lib. V, c. 16*, item ob controuerſiam de die, quando Paſcha celebrandum, deque ieiunio ante Paſcha uſitato, apud EVSEBIVM *Lib. V, c. 23 et 24*, ubi Epiſcopi Rom. *Victoris* Eccleſias Aſiaticas excommunicantis ambitio et audacia notatur, quam *Irenaeus* et *Polycrates* maxime improbarunt; ut BARONIVS erubeſcere debuerit, quod inde Epiſcopi

Romani autoritatem probare non dubitarit ad *Annum Christi CIIXC, n. 10* et *11*. Vid. *Cent. Magd. Cent. II, c. 9*, et DVPINI *Biblioth. p. 330, seqq.*

§. 37. *ECCLESIAE REGIMEN* hoc tempore penes Episcopos et Presbyteros, populo tamen in arduis rebus non excluso, fuisse, ex *Cypriano* et *Eusebio* constat. Episcopi tantum praerogatiua ordinis gaudebant: unde et προεστῶτες, *antistites, apud* IVSTINVM M. *Apol. II, p. 76, 77*, appellantur. Tales in praecipuis tunc Imperii Romani urbibus seu metropolibus residebant, ut Hierosolymis, Antiochiae, Romae, Alexandriae et Byzantii. Quorum nomina EVSEBIVS passim *Hist. Eccl. Lib. III. c. 2, 35. Lib. IV, c. 5, 6, Lib. V, c. 12*, item *in Chronico ad Annum CIIX et CXII*, allegat. Conf. NICEPHORI *Chronolog. p. 159*, et CAMERARII *Append. p. 160*, item *Cent. Magd. Cent. II, c. 7 et 10.* Nulla tantum adhuc Episcopi Romani potestatis praerogatiua fuit; etsi *Victor* illam ambiret, et *Tertullianus* sedi Romanae ueteri stylo usus, *Pontificatum maximum* tribueret, *de Pudic. c. 1.* Ambitiosa quippe Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Patriarcharum et Primatum nomina hoc aeuo in Ecclesia ignota erant. In Ecclesiis particularibus, regimen uel directio ordinis, erat penes *Presbyterium*, hoc est, collegium ex Presbyteris et Diaconis constans. Conf. DODWELLI *Dissertat. Cyprian. IX.*

§. 38. *Episcopi* a Clero et plebe eligebantur, quod CYPRIANVS *Lib. I, Epist. 68*, ex traditione diuina et Apostolica obseruatum fuisse scribit. Inde ordinationes eorum per χειροτονίαν, seu electionem, suffragiis factas scribitur. Munus Episcoporum fuit docere populum, administrare Sacramenta et curare disciplinam Ecclesiasticam; ne praui mores inolescerent. Episcopos uxores

Eccl. Lota, qua constat ex Episcopis et popolo, unde ... datis gezogen 1) wan man Decreta geben wurde Tit. XV. 2d. 2) bey der Wahl der Episcopen et Presbyt. Act. I. 15. 3) bey Excommunicationen 1 Cor. V. 4. Cyprianus Ep. 57. Euseb. H. E. Lib. VII. c. 30. Dionysius &c. qui curam habent Apostolica ista ist der Vorrang u. Vorsitz, welcher bey Concil, da man Decr. tragen muß.

In der alten Zeit hatten alle Episc. u. Presbyt. manus docendi, Lehren aber thaten sie es nicht alle. Nicht in der Reformation der Catholicen worden, das man ihnen verwehrt, man sie bestraft bey ihnen zu predigen u. Lehre Th. Man sie bey der Taufe, Ehestand, Volck, wahre Religion, Disciplin, man sie ausrott. Gottheit der Person z. E. Christi Gottheit die Arianer gleich die Donatisten nicht, Ep. nicht in der Lehre sich eine Ehre darauf gemacht u. einen Vorzug angemaßt haben, weil sie darin die allerwenigsten sind und zuletzt doch 1 Tim. V. 17. H. Cyprianus.

Cyprianus Ep. 72. August. lib. II. contra Donatum s. Donatistas. Pius II. Ep. 32. Sehr bewiesen, daß Bischof in Africa einen Vorzug gehabt habe. Nun den ältesten setzt man nun meistens die Africaner aber genug es ihm an, sich um den Vorzug zu streiten. Aber sie selbst ihre Streitigkeiten beyl. z. E. ein neuer Bischof streitet den Rang über einen andern, wenn sein Vorsitz als Marggrafen eingeführt, oder wenn die Bank seine Prosession über die gewandt sein gesetzt, oder ein Bischof sein Pferd zu, oder Spritzen u. Apologien an die Kayserl. geschrieben hatte.

Tertull. c. 47. nennt alle Episc. oder Oberste Priester Rom. summ. 4. 38. Act. I. 26. Tit. I. 6. 3–5. Apologia e Electio per suffragia populi quod manu extensa ostendebatur. Apud Dadica aber sehr die Gaudati, Freyen wählen gehabt. Dionysius Ep. ad Corinthios apud Eusebium.

§. 39. # Qui crede aut idololatria abstricti essent hi eccles. communicabantur, d. Ejecti waren so v. der Kirch. verstoßen, dass sie gar kein Gemeinschaft mit ihr hatten, v. nicht mehr darin gehören v. Absolution. Also kann man in der nachfolgenden Zeit nicht sagen, dass sie Christen in der Gemeinschaft mit jedermann wie vorher. Man lasen manchen die excommunicirt, dass sie das Abendmal Christi mit genießen dürften, v. dass gleich sie in den öffentl. Gottes Dienst gehalt wurde, ob sie aber einige Gabel zu geben pflegen weiß man nicht.

Poenitentia ist d. Vorgemachte Buße, damit sie Gott, die Kirch Christi, die sie um Vergebung ihrer Sünden, v. Aufnahm in die Gemeinschaft der Kirch Christi, v. Absolution ihrer Sünden, v. Gnade Christi bey Gott ansuchen.

gg. Marinus in Historia Poenitentiæ, ein Katholischer welcher uns so viele Glaubens Lehren gemacht hat. Diese Gewohnheit der Kirch wieder zu suchen, v. vornehmlich wenn man ein mal gesündiget, Exomologesis Gr. publica ist die öffentl. Beichte, welche vor dem Altar offentlich bekennt, dass sie so sündigt hätten v. der offl. Kirch, das gegebene ärgernis abbitten. Hieraus wollen die Katholiken die öffentliche Beichte, allein mit Unrecht. Die Lapsi wurden die gar. recipiert, sondern v. ausdrücklich, ob sie zu Gnaden wieder könten. Das ganze Ministerium zu Gnaden eben diesen wurde. Das gantze Ministerium (1 Cor. V. 4) excommunicirt die Lapsos, d. die Christen alein, wie die Papisten wollen.

§. 40. Die Gebräuche der Gottesdienst waren Gebette, Lobgesang, Predigen v. Verwaltung der Sacramenten. Wann diese auch war, so ging jedermann zu gewöhnlichen Versammlungen, v. in 2 der Stadt die Donnerstag und Sonntag, in andern Städten Sonntag; die Heyden Markttag zu seyn. Die, so gar, wurden am Sonntag, weil die Heyden an Sabbath alle thun wollten, genannt v. Dies Solis, welche Benennung bey dem Tertullian oft vorkommt. Die ganze Gottesdienst v. Predigen waren bey den Alten gewöhnlich in der Sprache vorhanden, da auch d. Gebette keinem verstanden wurden. Diese Gebette in Beyseyn der Catechumenorum, die nicht d. Sacramente genießen durften. Die Sprache ist d. Griechische, d. die eigentl. Sprache der Gottesdienst. Die Lesungen sind genommen aus d. Büchern der Alten v. Neuen Testaments. Man findet nicht, dass die Christen Kirchen gehabt haben, sondern sie haben sich versammlet in gebauten Häusern, Gottesäcker verschlossen haben, welche abgesünderte waren. Diese erhellet d. Plin. Epp. da in den Liedern der Christen mit den Morgenlied d. Christen oder Gesang gemeint. Die Papisten sagen, als ob sie schon anfangs eine ewige Messe, als ob sie eine der heiligsten aufgaben, messen aber d. Gebette, Lesung d. H. v. Predigt Christi von Gottes Güte ein apostol. Institut. Das ist nicht, als ob die Alten sie allein hätten, als ob sie sonst d. Messe, aufgaben haben. Diese d. Gebräuche hat noch seine Richtigkeit in der V. reformation.

Patrinos ab Episc. Rom. Hygino Rosci. anno circiter 50 institutos fuisse, Historia Eccl. monumenta produnt. Decretum recitat Gratianus de Consecrat. dist. 4. c. 99. Meminit ejusdem Tertullianus l. de corona militum. Conf. Polyd. Vergilius lib. IV. de invent. rerum c. 4. Occasionem probuerunt hi, observante Baldwino, Parentes, qui ex gentilismo ad christia, nesmum relicti recent converti parerant, qui vel ob ignorantiam non potuerunt vel ob incuriam noluerunt infantes suos in vera fide christianorum educare. Ideo alii, qui melioris essent judicii in partes parentum vocati sunt, ut non tantum de Baptismo testarentur in forti sed et coram ecclesia in pietate et vera fide una cum parentibus susciperent, dictitati compatres, compatrinæ, susceptores.

uxores etiam habuisse, ex EVSEBIO *Lib. IV, c. 23*, constat. *Diaconi* curam pauperum et aegrotorum praecipue gerebant; quidam etiam sacra obibant munia. *Diaconissarum* ministerium fuit in baptismo foeminarum, in cura aegrotorum et captiuorum.

§. 39. *DISCIPLINA ECCLESIASTICA* quoque multo adstrictior fuit, quam cum Ecclesia magistratus Christianos nacta esset. De ea ex *Tertulliani* Apologetico, et *Cypriani* Epistolis in primis constat. Conf. CAVE *Librum* de *Primo Christianismo*. Qui grauiori peccato inquinati fuerant, eos e communione sua eiiciebant. Exemplum apud EVSEBIVM *Lib. IV, c. 11*, extat. Conf. PLINIVM *Lib. X, Ep. 97*. Per poenitentiam tamen et subsecutam exomologesin Ecclesiae reconciliabantur. Vid. SPANHEMII *Isag. Hist. Sec. II, n. 4, p. 65*. Morum sanctitas tum Christianos a Gentilibus distinguebat. Hodie, quae *Iustinus Martyr* et *Tertullianus* in Apologetico de ueteribus Christianis praedicant, in paucis admodum deprehendes. Conf. DVPINI *Biblioth. Tom. I, p. 353, seqq. 349*.

§. 40. *RITVS*, ex aeuo Apostolico deriuati, pauciores erant. Diem Dominicam, festum Paschatos et Pentecostes quotannis solenniter celebrabant. Vid. TERTVLL. *de Cor. Milit. c. III*. Preces in conuentibus sacris ad DEVM fundebant, hymnos simul canentes, ut PLIN. *Epist. cit.* testatur. Ieiuniis uacabant solennibus ante Pascha; quod tamen non fuit dierum XL. Signaculum crucis, quo frontem subinde signabant egressuri, aut aliquid acturi, TERTVLLIANVS *de Cor. Milit. c. III*, memorat. Oraturi ad Orientem sese conuertebant: quia oriens CHRISTI figura esset in scripturis, ut TERTVLLIANVS habet,

cap. III, aduersus Valentinianos. Alios ritus, quos superstitio postea peperit, huic aeuo ex suppositiis scriptoribus tribuunt Pontificii, quos doctiss. DALLAEVS passim refutauit. Vid. *Librum eius aduersus Latinorum de cult. religios. obiect. Traditionem*, et *Cent. Magdeb. II, c. 6.* De ritibus in baptismo et S. Eucharistia usitatis uid. SPANHEMII *Epitom. Isag. ad Histor. Eccles. N. T. Sec. II, n. 4*, et DVPINI *Biblioth. Tom. I, p. 349, seqq.*

§. 41. *PERSECVTIONES* seculo hoc tres fuerunt truculentae. *Primam* iuxta EVSEBIVM *An. Christi CIIX* excitauit *Traianus*, Imperator, uulgo *optimus* dictus, quae usque ad *Annum Christi CXVII* durauit. Vid. EVSEBIVM *Lib. III, c. 10*, et *36*. BARON. *ad Annum Christi CX, n. 10*, et PLIN. *Epist. 97, Lib. X, cum Vossii annot.* Causa eius allegatur, quod ipsis Christianorum ἑταιρίαι, h. e. solennes conuentus, (quae et *conuenticula* appellantur,) suspectae essent: Ideoque publicis edictis uetabantur. Vid. *Epist.* PLINII *cit.* et TERTVLLIANI *Apolog. c. II*, conf. H. GROTII *Epist. ad Gallos*, quae *Steph. Curcellaeo* inscribitur, *CXCIX. Altera* (quae *quarta* uulgo audit,) sub *Hadriano* Christianos pressit, nec ita cruenta, ut prior fuit. Ideo forte etiam a LACTANTIO *de Mort. Persec.* omissa est. An *Quadratus* et *Aristides*, pro Christianis interpellando, Caesaris animum mitigarint, non satis constat. Vid. EVSEBII *Lib. IV, c. 3 et 9.* Memorat illam SVLPITIVS SEVERVS *Lib. II Hist. Sacr. Tertia* (*quinta* alias) sub *Antonino Pio* coepit, et imperantibus, *Aurelio Antonino*, Philosopho, et *Lucio Vero*, fratribus, continuata fuit. Vid. EVSEB. *Lib. IV, c. 3, 12, et 18*, TERTVLLIANVM *in Apologet. c. V.* Apologias pro Christianorum innocentia exara-

runt

tne in colenda religione perturbatentur nec ob eandem vexarentur.

8. 13.) Manles Bischoffs. Cyprianus brauchts 2 so, sie de Manles. 2. so braucht
d. Ch. die Bibel. Cypr. schrieb ein Buch de Martyres S. confessores
E. Römis Cyprian. Worte sie verstehen sich.

runt supra memorati Apologetae, *Iustinus Martyr*, *Athenagoras*, et *Melito*, conf. EVSEBIVM *Lib. V, c. 1*, qui illustres Martyres, Lugduni pro CHRISTI gloria occumbentes, memorat.

§. 42. Hac *persecutionum* tempestate, non tantum nomen *Martyris*, (h. e. qui pro Christiana ueritate uel mortem subiit, uel tormentorum saeuitiam tolerauit, aut superauit,) frequens erat; sed et alia nomina in Ecclesia innotuere Christianis tributa: ut *Lapsorum*, qui persecutionis tempore CHRISTVM abnegarunt, aut in grauiora peccata lapsi peccarunt. Vid. CYPRIANI *Serm. de Lapsis*, et EVSEBII *Lib. VI, c. 41.* Prioris generis *Lapsi* iterum quatuor nominibus distingui solebant: Aliqui dicebantur *Sacrificati*, qui idolis gentilium sacrificauerant, aut de sacrificiis eorum participauerant: Aliqui audiebant *Thurificati*, qui more gentilium thus adoleuerant: Aliqui uocabantur *Libellatici*, uel quod libello praesidi prouinciae exhibito negarent, se Christianos esse; uel quod libellum aere redemissent securitatis, ne ad martyria traherentur. In hos *Cyprianus* in Epistolis suis inuehitur. Alii denique *Traditores* appellati sunt, quod metu cruciatuum territi, uel sacros codices, vel Christianorum libros ethnicis inquisitoribus comburendos traderent. Vid. T. PFANNERI *Obseruat. Eccles. II.*

§. 43. Deinde et aliqui *Stantes* uocabantur, qui in fide Christiana persistentes, nullo martyrii metu ab eadem se abstrahi patiebantur. Et hi distinctis nominibus uel *Confessores*, uel *Martyres*, dicti fuerunt. Illorum nomen inde est, quod propter confessionem fidei uel carceres uel tormenta etiam toleraſſent. Vid. TERTVLLIANI *Librum ad Martyres.* Si in carcere forte ante martyrium obirent, etiam Martyrum elogio

gio honoratos fuisse, ex CYPRIANI *Epist. XXXVII* patet. Conf. DODWELLI *Dissert. Cyprian. XI et XII*, in quibus tamen nonnunquam nimis profane de Martyribus philosophatur.

§. 44. *Persecutionis* modi et tormenta crudelissima erant. Primum quidem blanditiis ad Gentilismum et cultum Deastrorum pellicere Christianos tentarunt; sed cum hae frustra essent, ad uincula et carceres rapiebant. Si uero et his Christianorum constantia frangi nequiret, tormenta exquisitissima parata erant; *plagae, uiolenti tractus, cathedrae ferreae, secures, trabes, tympana, gladii, retia, stigmata, cruces, rogi.* Vid. EVSEB. *Lib. V, c. 1, Hist. Eccl.* TERTVLL. *Apologet. XII*, PRVDENTII *Hymn. Lib. III et V*, περὶ Στεφάνων, et ARNOBII *Lib. I aduersus gentes.* Bestiis etiam, ut leonibus, pardis, ursis ac tauris dilaniandi obiiciebantur, quod genus supplicii θηριομαχία uocatur. Vid. C. SAGITTARII *Tract. de Martyrum cruciatibus.*

§. 45. Ossa Martyrum collecta Christiani superstites honeste sepeliebant, ut de *Polycarpi* et *Iustini M.* ossibus EVSEB. *Lib. IV, c. 15* testatur. Diem etiam martyrii Sanctorum, ~~instar natalis~~, celebrabant, eorumque nomina in sacris conuentibus recitabant fideles, ut alios ad similem constantiam excitarent. Quae pietas ueterum in Martyres, labentibus seculis ansam superstitioso Martyrum et Reliquiarum cultui praebuit. Vid. DODWELLI *Dissert. Cyprian. V de Diptychis.*

§. 46. Ad *MEMORABILIA* huius seculi etiam spectant alia: ut 1) quod Philosophia Platonica uiguerit, in qua *Maximus Tyrius* excelluit, nec imperiti eius fuerunt ex Christianis conuersis *Iustinus Martyr, Athenagoras*, et alii: 2) Quod studia literarum foue-

rint

rint Imperatores, *Hadrianus*, *Antoninus* Philosophus, *Seuerius*: 3) Quod *Traianus*, a Romanis magnis elogiis ornatus, magnis uitiis laborarit, et in Christianos tyrannus extiterit: 4) Quod Christianis nulla adhuc templa fuerint publica; habuerint licet *conuenticula ac domos DEI*, uid. ARNOB. *aduersus gentes Lib. VI*, LACTANT. *Lib. V Instit. c. 7*, et TERTVLL. *de Idolol. c. VII.* Graecis uocabantur προσευκτήρια. Vid. EVSEBII *Lib. VIII, c. 22*, et VALESII *Not. in h. l.* 5) Quod *Barcochebas*, impostor Iudaeus, se pro Messia uenditarit; sed fraude detecta, a Iudaeis *Barchosba*, h. e. filius *mendacii*, dictus. Conf. EVSEBIVM *Lib. IV Hist. Eccl. c. 6 et 8.* 6) Quod dira Christianorum persecutio Ecclesiam fecerit auctiorem, teste TERTVLLIANO *Apologet. c. 50. Plures efficimur, quoties metimur a uobis. Semen est sanguis Christianorum:* 7) Quod *legio* Christianorum *Fulminatrix* sub *M. Aurelio Antonino An. Chr. CLXXIV*, Romano exercitui grauissima siti laboranti, precibus suis pluuiam impetrarit; barbaros uero hostes fulminibus immissis postrauerit, ut IVSTINVS M. *sub fine Apologet. c. II*, TERTVLL. *Apologet. c. V*, EVSEB. *Lib. V, c. 5*, DIONIS CASSII *in Excerpt. Xiph.* testantur: 8) Horribiles terrae motus Antiochiae, Caesareae et Neapoli facti, apud EVSEBIVM *Chronic. An. Chr. CXIV, XXIIX, et XXX.*

§. 47. Nobis hic iterum obseruare et uenerari conuenit diuinam *prouidentiam*, qua Ecclesiam fouit, auxit atque propugnauit tum aduersus Iudaeorum in Christianos odium, tum aduersus gentilium Philosophorum strophas et tyrannorum uim atque arma, tum denique aduersus tot haereticorum male sanorum deliria, quibus religio Christiana uel contaminabatur,

uel

uel apud imperitos diffamabatur. Eluxit etiam DEI *bonitas*, quod Christianos inter tot agones persecutionum delassatos uelut refocillarit, indulgendo Ecclesiae halcyonia. Nam *Luciano Commodo Antonino* imperante, pax uniuersae per orbem Ecclesiae concessa fuit, teste EVSEBIO *Lib. V, c. 21.* Fas etiam fuerit contemplari hic et imitari ueterum Christianorum innocentiam, morumque sanctitatem, quam ipsorum Apologiae passim loquuntur. Quid? et doctrinae puritas, rituumque simplicitas ac disciplinae sanctioris religio, quae tum uiguit maxime, a nobis in exemplum trahi debet. Contra uero detestanda Satanae uafrities, qua per tot nouas haereticorum sectas monstrosas, duo Christianismi ueri fulcra, fidem seu doctrinam sanam, uitamque sanctam subruere molitus est. Si enim praecipua Religionis Christianae Capita respicias, nullum fuit, cui non haeresis aliqua opponeretur, aut impugnaretur; accedente Gnosticorum colluuie, quae omnem simul uitae puritatem conspurcare aut tollere machinabatur. Nec praetermittendus *Victoris*, Episcopi Romani, inconsultus zelus atque typhus, quo incensus Ecclesias Orientales, ob dissensum leuem, circa Paschatis tempus, anathemate ferire non dubitauit. Vid. EVSEBII *Hist. Eccles. Lib. V, c. 23, seqq.* SOCRATIS *Lib. V, c. 21.* Fallor, aut hoc primum ambitionis et dominatus Sedis Romanae uestigium fuit, quod in historia Papatus annotari meretur.

PERIO-

PERIODVS I CAPVT III

DE

SECVLO III CHRISTIANO

§. 1

Sub initium huius seculi, imperante adhuc *Seuero*, Ecclesia quidem per dissitas orbis prouincias latius propagata, incrementa cepit insignia; sed tamen pluribus iisque truculentis persecutionibus ingruentibus, multo sanguine Martyrum adsperſa fuit. Doctores interim Religionis puritatem, aduersus haereticos strenue asseruerunt.

§. 2. Hos inter, insigniores celebrantur *M. Minucius Felix*, *Hippolytus*, *Iulius Africanus*, *Origenes*, *Cyprianus*, *Gregorius Thaumaturgus*, *Dionysius Alexandrinus*, *Methodius*.

§. 3. M. MINVCIVS FELIX, causidicus Romanus, scripsit *Dialogum* insignem, diu pro octauo *Arnobii* libro habitum; in quo uanissimum Gentilium cultum ingenioſe et uenuste conuellit, simulque Christianorum sectam a calumniis *Caecilii* neruoſe uindicat. Extat ille uariis notis ab *Onzelio* illustratus, qui anno 1672 Lugd. Bat. denuo prodiit. Vid. DVPINI *Biblioth. c. LXXXIV.*

§. 4. HIPPOLYTVS, *Irenaei* discipulus, quem Episcopum fuisse Portus in Arabia, LE MOYNE coniecit *in Proleg. ad Var. Sacr. Librum de Paschate* scripsit, et alia, de quibus GVIL. CAVE *in Hist. Lit.* consulendus, et DVPINI *Bibl. p. 176, seqq.* et de Anti-christo.

§. 5.

§. 5. IVLIVS AFRICANVS, a patria haud dubie dictus, *de Chronographia Libros V* exarauit, quos EVSEBIVS *Lib. VI, c. 31*, laudat. Epistola eius, et opus τῶν Κεστῶν, laudatus *Caue* recenset. Vid. DVPINI *Bibl. cit. p. 181, seqq.*

§. 6. ORIGENES, Aegyptius, circa medium huius seculi maxime clarus, Catecheseon Alexandriae magister, ob labores et industriam indefatigabilem, χαλκέντερος et *Adamantinus* ideo appellatus: [illegible] inter Christianos commentarios in S. Scripturam composuit, librosque plurimos exarauit. Multi in eo naeui notantur. Vid. VINCENTII LERINENSIS *Commonit. c. XXIII*, CHEMNITII *Orat. de Lection. Patr. p. 3*, SCVLTETI *Medull. Patr. Lib. VI*, CAVE *Hist. Lit. fol. 74, seqq.* et HVETII *Origeniana*. Ipse ex S. Codicis interpretatione LXX uirali, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, et aliis, *Hexapla* et tandem *Octapla* ordinauit. De quibus uid. DAN. HEINSII *Aristarchum Sacr. p. m. 208, seq.* conf. DVPINI *Biblioth. cit. p. 190, seqq.*

§. 7. THASCIVS CAECILIVS CYPRIANVS, Carthaginensis, ex gentili Oratore Christianus, et Carthaginensium Episcopus, *Tertulliani* discipulus et admirator. Vid. HIERONYMVM *in Catal. 67*, et VINC. LERIN. *Common. c. XI.* Martyrium eius *Prudentius* περὶ Στεφ. V refert. Opera cum notis *Rigaltius* edidit; quibus non ita pridem Dissertationes Cyprianicae *Dodwellii*, et alia, in noua editione Oxonienſi, opera *Io. Felli*, Episcopi Oxonienſis, accesserunt. Epistolae eius multa, quae ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, egregia continent. Naeuos eius SCVLTETVS *Lib. VIII, M. P.* annotauit; adde CHEMNITII *Orat. c. p. 3*, et DVPINI *Biblioth. p. 230, seqq.*

§. 8.

d. 5. Das ist die erste Chronologie des xtl. Zeitalters, die ein Chronologe von Beruf der Welt geschrieben hat. Dass um die Zeitrechnung bekümmert gewesen.

6.) Catechista, Vorsteher der S. Alexandrinor Katharer, wurde er professor Schole. Damasius Bischof regierte 18 Jahre, starb 384. Hieronymus Presbyter Antiochien, Epiphanius Constantinopel. Hieronymus Presbyter Antiochien, Epiphanius Constantinopel. Hieronymus Presbyter Antiochien, Epiphanius Constantinopel.

Prim Mister hat Card. de la Rue Paris. 1733. fol. Druck gegeben.

E

Es bleibt noch sonderbare Untersuchung der Bibel übrig, ob alle Bücher, oder alle Theile aller Bücher die wahre Beschaffenheit eines Gesetzes erfordern; Ist also z. E. der Prophet. Bücher, ganz und selbst einzelne für Mose die Bibel genannt Theilen unterschieden. Das Mosaische Gesetz selbst besteht, sagt Mose, in den Geboten, Gesetzen und Rechten, welche Gott selbst gestellt und Mose aufgeschrieben, und verordnet hat. Diese sind Moralische Gesetze, Ceremonial Gesetze und Gesetze für die Obrigkeit. Diese Gesetze sind sec. 5. & 6. enthalten, und gehören zu unsrer Zeit nicht. Die Bücher Moses sind Historisch, Lehrend, Prophetisch.

§. 8.) Ja alles ſ. Werken iſt l. Sp. ad Cypr. ü. übersetzt, die übrige nur 10 Sp. ü. die 11te iſt Sparia. Librum de Trinitate non scripſit, potius autem de anima.

§. Schickt mit Convertiten in Rom, die erwirbt d. Bapſt. als ſeine Diſciplen und die Bischöfe in Africa ſo bald ſie sich ihm unterwerfen.

Origines Apocal. nur 2 libr. Specialiſſ. de Resurrectione iſt verloren gegangen u. noch nur einige Fragmente in Eusebio.
Schriften, die iſt wenig, worin er die Fruchtbark. d. Evidenz für jeden Mann hat beweiſen wollen.
Vigilius Taxenſis particulam Symboli Romani recenſuit in libro ſuo, qui Lipsiae editus E p. 76.
ff.) Symbola Epiſcoporum privata ſchöne einfach, aber Rufin hat ſie ausgelaſſen; verlese ein jedes beſonders u. wiederſchreib, um ſie erklären u. prüfen zu können, ob u. was er verbeſſern müſſe. Origenes in Principio, Liber περὶ ἀρχῶν Dorotheus iſt ſuſpect, weil er reformirt iſt.
1) Traditio a patribus Jeniſſen i. dogmatice i.e. die unveränderl. Lehre der Kirche von einer Sache, die in der Sp. erhalten wird.
2) Historice i.e. res ab eccleſia antiqua obſervata, die Praxis in den Conſiſtorio.
2) Altare iſt quadratae mensa. 3.) Sepulcrorum i.e. die Reliquien, welche in Altären bey den Heil. Abendmal beygeſetzt; als Gebet an die Heiligen Gottes Leiden in die Kirche aufgen.
4) Indulgentia i. remiſſas erga lapſos a martyribus, wenn die Confeſſoren den Libelli machen.
meritum Heil eine jede Heil, wodurch Gott Heil. die meritum Heil impetrare qf. Cypriani Ep. 73.

§. 8. GREGORIVS, Neo-Caesarienſis Epiſcopus, a miraculorum dono *Thaumaturgus* appellatus, auditor *Origenis*, ſcripſit Epiſtolam ad *Cyprianum*, quae inter Cyprianicas eſt XXX, *Librum de Trinitate*, et alia, de quibus tamen eruditorum iudicia uariant. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. ſ. 93, ſeq* et DVPINI *Biblioth. cit. p. 285.*

§. 9. DIONYSIVS ALEXANDRINVS, circa medium huius ſeculi clarus, ſcripſit Librum de *Poenitentia*, de *Martyrio Lib. IV* aduerſus *Sabellium*, et alios, inprimis Epiſtolas uarias, quas CAVE *in Hiſt. Lit. p. 69, ſeq.* recenſet. Vid. DVPINI *Biblioth. p. 289. ſeqq.*

§. 10. METHODIVS, Tyri Epiſcopus, tempore *Diocletiani* floruit, *Eubulius* appellatus, de *Reſurrectione Librum contra Origenem*, *Sympoſium X Virginum*, quod *Leo Allatius* edidit. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. ſ. 105*, et DVPINI *Biblioth. p. 303.*

§. 11. *DOCTRINA CATHOLICA*, in Eccleſia hoc aeuo propoſita, ex publicis formulis, ſeu ſymbolis, Romano, Antiocheno et Patribus iam laudatis demonſtrari poteſt. Vid. TERTVLLIANVM *de Praeſcript. c. XIII*, et *de Velandis Virgin. c. I*, et *aduerſus Praxeam*: item GREGORII THAVMATVRGI *Expoſit. Fidei, a Gerh. Voſſio Moguntiae an. 1604 edit. p. 22, 23*, FORBESII *Inſtruct. Hiſt. Theol. Lib. I, c. 4, Magdeb. Cent. III, c. 4, b.* D. BELLELIVS *Antiqu. Eccleſ. Euangel. Sec. III, Art. III, S. 1, ſeqq.* per ſingula fidei Euangelicae capita oſtendit, eandem doctrinam, quam nos hodie profitemur, et illo tempore obtinuiſſe. Quanquam et illud notandum hic ueniat, quod Patres huius aeui uocabulis quibusdam uſi ſint, ut *traditionis*, *altaris*, *ſacrificii*, *confeſſionis*, *ſatisfactionis*, *indulgentiae*, *meriti et ſimilium*, quibus Ro-

manenſes hodie ad palliandos errores ſuos abutuntur, cum illos alio longe ſenſu iſta adhibuiſſe conſtet.

§. 12. *CONTROVERSIAE* inter Chriſtianos hoc ſeculo plures agitatae ſunt. Romae inter *Caium* et *Proclum Montani* ſectatorem diſputatio fuit habita, quam HIERONYMVS *in Catal. c. LIX* laudat. *Agrippinus*, Carthaginenſis Epiſcopus, haereticorum Baptiſmum primus impugnauit, quem poſtea *Cyprianus* ſecutus eſt, ſtatuens eos, qui ab haereticis baptizati fuiſſent, rebaptizandos eſſe. Vid. CYPRIANI *Epiſt. LXX, et ſeqq.* Cui *Stephanus*, Epiſcopus Romanus, hac in parte acriter contradixit. Vid. CYPRIANI *Epiſt. LXXIV*, et EVSEB. *Lib. VII, c. 3*, inde motus grauiſſimi exorti, quos *Dionyſius Alexandrinus*, uir moderatioris animi, poſt exceſſum *Stephani* compoſuit. Vid. EVSEB. *Lib. VII, c. 5*, et NATALIS ALEXANDRI *Hiſt. Eccleſ. Sect. III, P. II, diſſert. 23.*

§. 13. Non minori uehementia, circa medium huius ſeculi, *Nouatus* contra *Cornelium*, Epiſcopum Romanum, contendit, poſt Baptiſmum lapſos in grauiora peccata, inprimis apoſtaſiam, ab Eccleſia non eſſe in communionem recipiendos. Cuius ſententiam etiam *Nouatianus*, Pſeudo-Epiſcopus Romanus, approbauit. Vid. EVSEB. *Lib. VI, c. 43*, et *Lib. VII, c. 5, et 8*, SOCRATIS *Hiſt. Eccl. Lib. IV, c. 23*, EPIPHAN. *Haereſ. LIX.* CYPRIANVS quidem *Epiſt. XLII et XLV*, et *Dionyſius Alexandrinus* hanc litem conſopire laborarunt; ſed fruſtra, uid. EVSEBIVM *Lib. VI, c. 45*, et haec cauſa fuit, cur multi Catechumeni Baptiſmum differrent, ne, ut AVGVSTINVS *Lib. I, c. 11* loquitur, maior et periculoſior in ſordibus delictorum reatus eſſet.

§. 14.

Schisma ist, wenn eine Trennung unter einer Gemeinde entsteht, da der einen Theil dem andern Bischofe, der andere jenem steht, welche beyde verschiedene Systeme haben.

Die Novatiani gehen in der Beibehaltung der Quartadecimaner vor. Die Quartadecimaner endigten Ostern früher. Diesen folgte die Laodicenische Kirche.

Cyprianus hat unter andern auch Stephanum zu Rom getadelt wegen Lapsorum in Ep. ad Antonianum [illegible] Epistola Cornelii incorporata est. Lib. VII. Ep. 16 angezogen.

§. 13. Novatianus war Presbyter in Rom u. widersetzte sich dem Corneli u. gab allerhand Ursache zu vielen Streitigkeiten. Die 2 Bischofsstellen in Rom waren [illegible]. Novatus aber war Presbyter Carthaginensis, der kam nach Rom u. hielt sich selbst an und machte mit den Novatianern gemeinschaftliche Sache. Er stand auf Cornelii Seite. Der reiste zu einer Versammlung nach Carthago Cyprianus suchte den Novatus seiner Handlung wegen abzusetzen. Nun kam er nach Rom u. verfolgte den Cornelium. Euseb. Hist. Eccl. VI. 6. stellt die Scriptor. Eccl. u. Patres als Zeugen der Lehre. Diese Zeugen sind allerdem in der Bibel u. so wurde es einen Classen Beweis geben als Dogmatische Beweis.

§. 15. die Gottheit Christi gegen Schriftgelehrten contra Trinitatem oder deitatem Christi. Socrat. Hist. Eccl. l. III. c. 7. diese Ketzer glaubten a non i) dass der Sohn Gottes keine eigentliche Hypostasin gehabt, sondern eine Kraft, die sich blosse Menschen mitgetheilet worden. 2) weil sie sagten, dass der Sohn der Menschheit Christi nicht geblieben sey, sondern sich wieder abgesondert und Blos einen Körper gehabt.

§. 14. Turbas in doctrinâ enatas auxerunt *Pauli Samosateni* et *Manichaeorum* haereses, fundamenta Christianismi conuellentes, de quibus iam plura memorabimus.

§. 15. Inter *HAERETICOS* huius seculi primos *Helcesaitae*, uel *Elcesaei*, ab *Elkai* quodam dicti, collocandi sunt. Qui cum Ebionitis CHRISTI Deitatem negarunt, et Spiritum S. eius sororem appellarunt; Apostoli *Pauli* scripta reiicientes, librum e coelo delapsum sibique traditum iactarunt. Et quia magiae studio dediti, futura etiam praenunciarunt, *Prognosticos* se dici uolentes. Vid. EVSEB. *Lib. VI, c. 38*, EPIPHAN. *Haeres. XXIX, XXX et LIII*, et ITTIGII *Diss. de Haeres. Sect. II, c. 16.* Iungimus hic ex EVSEB. *Lib. VII, c. 33.* BERYLLVM, Bostrae in ~~Asia~~ Arabia ea Episcopum, qui itidem negauit CHRISTVM θεότητα ἰδίαν *propriam diuinitatem* habuisse, sed solam Patris in eo extitisse.

§. 16. ARABICI, a patria sic dicti haeretici asserebant, animas hominum simul cum corporibus mori et corrumpi, ἅμα τῇ τελευτῇ συν ποθνήσκειν καὶ συνδιαφθείρεσθαι, resurrectionis tempore, ad uitam redituras. Quorum errorem *Origenes* refutauit. Vid. EVSEBIVM *Lib. VI, c. 37.*

§. 17. NOVATIANI, a *Nouato* iano pessimo homine appellati. Vid. CYPRIANI *Epist. XLIX.* Qui teste EVSEBIO *Lib. VI, c. 43*, negauit ἐκ γνώμης μισαδέλφου καὶ ἀπανθρωπότητος, lapsos, licet resipiscentes in sinum Ecclesiae recipi et absolui posse. Fons erroris fuit Stoicismus, aut Montanistarum error, qui uirum grauem non facile flecti aut labi posse asseruerant. Vid. EPIPHAN. *Haeres. LIX*, conf. M. ANTON. DE DOMINIS *de Republ. Eccles. Lib. V, c. 7, n. 51.* Cy-

prianus hac de causa *Nouatianum*, qui cum *Nouato*, philosopho Stoico, fecit, *misericordiae hostem* appellat. Conf. AVGVSTIN. *de Haeres. c. XXXIIX*, ipsi *Nouatiani* sese καθαροὺς, h. e. *puros*, uocabant, quod cum lapsis nullum commercium habere uellent. Maligne hunc errorem nostro *B. Luthero* tribuit BELLARMINVS *Lib. I, de Poenit. c. IX.*

§. 18. NOETVS, (*Epiphanio* ἀνόητος appellatus,) *Praxeae* haeresin instaurans, unam tantum in Deitate personam, uariis nominibus appellatam, statuit. Discipuli eius *Noëtiani* dicti sunt. Qui deinde *Sabellianorum* nomine comprehensi sunt, teste AVGVSTINO *de Haeres. c. XXXVI et XLI.*

§. 19. SABELLIANI, a *Sabellio* Afro dicti, eundem cum *Noëto* errorem fouerunt, SS. Trinitatem negantes: tria tantum Nomina, *Patrem*, *Filium*, et *Spiritum Sanctum*, agnouerunt. Vid. EVSEB. *Lib. VII, c. 6.* Appellati etiam fuerunt *Patripassiani*, quod DEVM Patrem, in Filio passum esse, statuerent. Vid. EPIPHAN. *Haeres. LXII*, et AVGVSTIN. *de Haeres. XLI*, SOCRAT. *Lib. II Hist. Eccles. c. XIX.*

§. 20. SAMOSATENIANI, a *Paulo Samosateno*, Episcopo Antiocheno, Samosata oriundo, appellati, imperante *Gallieno*, haeresin *Sabellii* amplectentes, Filium DEI non λόγον ὑποστατικὸν sed προφορικὸν, nudumque hominem fuisse, blasphemarunt. Vid. EVSEB. *Lib. VII, c. 27, 29, 30*, AVGVSTIN. *de Haeres. c. XXVI, XLI et XLIV*, EPIPHAN. *Haeres. LVII, LXII et LXV*, complices eius παυλιανίσαντες, *Pauliani* et *Pauliſtae*; item Θεοκτίσται, κυριοκτίσται et ἀρνησίθεοι, dicuntur. Conf. NATAL. ALEXANDRI *Hist. Eccles. Sec. III, Part. I, Art. VIII.*

Scripta hujus Pauli inveniuntur in Eusebii Hist. ecc. Lib. VII. c. 30. cf. Bibliotheca Patrum maxima. Tom. II.

§. 21.

§. 22. Ins 1) sonderheit ist, dass sie die Beschneidung als Gebot [illegible] 2) die Verbindlichkeit des Sonntags einzusehen, 3) den Abstand als einen observanz-mässigen.

§. 23. Nepotes hat, nachdem Origenes den Chiliasmum introduciret hatte, denselben widerleget in s. Buch Confutatio Allegoriarum, welche Dionysius Alexandrinus auch in 2 Büchern wider Origenes in s. Buch de promissionibus thut. widerlegt.

§. 24. In Africa wurden zuerst 2 Synoden gehalten zum Behufe der Taufe. Diese sind allerdings eine Observanz der Röm. Kirche gewesen, ja so gar sie selbst ist entstanden [illegible] s. Väter sind darüber worden. Die 2 u. 3 Carthaginensische Synode sind die vornehmsten allgemeinen Concilia gewesen [illegible] Schriften.

In den ältesten Zeiten [illegible] Sect. I. war unter Africa nicht begriffen, als was unter Carthago stund. Im Sec. II. wurde gesagt: Numidien u. gehöre derselben noch ein angrenzender Land Strich.

§. 21. MANICHAEI, a *Manete*, ante *Cubrico* dicto, nomen sortiti, qui duo inter se contraria principia omnium rerum cum *Simonianis* finxit, unum *bonum*, quod *lucem*, alterum *malum*, quod *tenebras* uocauit: Vetus testamentum, quasi a malo Deo profectum, repudiauit. Promiscuam libidinem permisit, ut caro mortificaretur. Haeresin hanc pestilentissimam EPIPHANIVS *Haeres. LXVI*, et AVGVSTINVS *Lib. XVI contra Faustum et Haeret. c. 46*, pluribus descripsit. Conf. EVSEB. *Lib. VII, c. 31*, et NAT. ALEXAND. *Hist. Eccl. Sec. III, Part. I, Art. IX.* Gualterius, Iesuita, per immanem calumniam in *Tab Sua Chronograph. Sec. III, c. 19*, Luthero hanc haeresin tribuit.

§. 22. *Natalis Alexander* loc. cit. HIERACITAE ab *Hieracae*, sectae autore, appellatos propaginem *Manetis* facit. Sed cum praetextu singularis cognitionis, a magistro suo hausstae, errores spargerent, rectius forte *Gnosticis* accensentur. Vid. ORIGENIS *Philocal. c. V*, EPIPHAN. *Haeres. LXVII*, et AVGVSTIN. *de Haeres. c. XLVII.*

§. 23. NEPOTIANI, a *Nepote*, Episcopo quodam Aegyptiaco, appellati, reiecerunt Legem, Prophetas et Euangelia, comminiscentes, τινὰ χιλιάδα ἐτῶν τρυφῆς σωματικῆς ἐπὶ τῆς γῆς ταύτης; ita cum *Cerintho* locum *Apoc. XX* de regno millenario peruerterunt. Vid. EVSEB. *Lib. VII, c. 24.*

§. 24. *SYNODI*, ob controuersias in doctrina enatas uariae, sed particulares hoc aeuo coactae sunt. An. Christi CCXVII *Agrippinus*, Carthaginensis Ecclesiae Episcopus, in Africa omnibus Numidiae Episcopis conuocatis, pro *iterando haereticorum baptismo* decretum fecit. Vid. BARONIVM *ad Annum Christi* CCXVII

contra Stephanum, Episcopum romanum.

CCXVII, *n.* 1, 2, 3. In causa *Lapsorum* CYPRIANVS *An. Christi CCLIV* Synodum egit. Vid. CYPRIANI *Epist. 41, 42 et 55.* In hac *Nouatiani* assectae, eiusque literae ad synodum missae fuerunt reiectae, ipseque *Felicissimus* infelix schismatis autor, tanquam fidei desertor exclusus est. Vid. CYPRIANI *Epist. 40, 52 et 55,* et BARONIVM *ad An. Christi CCLIV, n. 83, seqq.*

§. 25. Eodem tempore Clerus Romanus, ad euitandam inuidiam *Lapsorum*, h. e. *sacrificatorum, thuryficatorum et libellaticorum*, Romae Synodum celebrauit. In qua decretum, ut infirmi quidem de uita periclitantes, praeuia confessione poenitentiae reciperentur; aliorum uero causa et reconciliatio ad electionem noui Episcopi differretur: Ita *Binnius* refert. Anno Christi CCLIV *Cornelius*, Episcopus Romanus, Romae Synodum coëgit, qua decretum Synodi Carthaginensis repetitum et confirmatum fuit; nempe *Lapsos* quidem ad poenitentiam admittendos, sed ad communionem, non nisi satisfactionis Ecclesiasticae tempore adimpleto. Vid. CYPRIANI *Epist. 54, 64 et 67*, et BARONIVM *ad Annum CCLIV, n. 90, 91.*

§. 26. An. CCLVI *Cyprianus* denuo Synodum, ad collapsam disciplinam restaurandam, egit. Vid. CYPRIANI *Epist. 66*, et BARON. *ad An. cit. n. 13*, insequenti anno *Cyprianus*, in causa *Basilidis* et *Martialis*, Episcoporum Libellaticorum, denuo Synodum conuocauit. Apud BARONIVM *ad Annum CCLIX, n. 1, 2, seqq.*

§. 27. Tria etiam *Concilia* Carthagine, de *Anabaptismo* eorum, qui ab haereticis baptizati essent, celebrata fuerunt. In quibus *Cyprianus* rebaptizationem

§. 25. Zu wird vorsin decretum ausgesprochen, daß die zweyte Ehe nicht ungültig sey, so lange sie noch nicht geschieden. Aber hier ist die Absonderung der Ehegatten zu gestatten u. die erste Ehe nicht aufgelöst. Dasselbe, daß sie so nicht getrennt sey und war. Nemes. Ist das decretum wieder Basilium, daß einem ein Laye ist der Ehebruch sey, u. dann müsste mit der Kirche zu communiciren gänzlich, so zwey der Kirche gehen u. wenn die Bischöffe u. Obrigkeit sie binden u. restituiren ist der Kirche all ein Mitglied.

§. 26. Episcopi libellatici wann solche, welche sich selbst verleiten lassen, zur Zeit der Verfolgung gnädig Schein geben zu lassen, um der Verfolgung zu entfliehen. cf. Epistolam Firmiliani ad Cyp. Cypriani N. 70. Dict. Todtelli.

§. 28. Zu Bostra wurde wol 6 Synoden gehalten, u. konnte durch die Schrifft nicht überwunden werden, ohne von Origene, welcher sie zu Bekehrung brachte. Euseb. Hist. Eccles. Lib. VII. 6.

§. 29. Bey den 3 ersten Concilien universalibus ist zu mercken, daß die Römische Bischöffe nie mal dazu invitirt worden, zu erscheinen, viel weniger praesidirt haben solch. Philastr. redet bey dem achten Firmilianus Bischoff. cf. Valesium in Notis ad Euseb. L. VII. 20. Epistola Synodica ap. Euseb. l. c.

§. 30. ubi nota Can. 6. Concilii Constant. magni et imperio gestum wird, wie auch Nicenum, in welchem Can. VI. steht: Mos maneat, ut primae sedis sint Episcopi Romani, Antiochiae &c.

§. 31. Subdiaconi sind ministri et adjutores diaconorum, wie schon die Gemeinde gestanden, und also auch die Ordnung ist schon damals gewesen. Acolythi sind famuli Episcoporum, warum zu Anfang nicht mal ordinirt. Sie sind derselbe, welche sie ordinirt; offters aber auch blos allmal jetzt die Küster sind. Die Exorcisten waren sonst auch Catechetae, sonsten sie den Exorcismum gebraucht, so stehen die Exorcisten die Worte des Exorcismi singels sonsten.

nem ursit. Vid. BARONIVM *ad Annum CCLIIX, n. 42, seqq.*

§. 28. In Arabia, ante Synodo An. Christi CCXLIX habita, haeretici, qui animas hominum cum corporibus extingui statuerant, condemnati sunt. Vid. BARONIVM *ad Annum CCXLIX, n. 6.*

§. 29. Antiochiae An. Christi CCLXVI et CCLXXII duae Synodi congregatae, in quibus haeresis *Pauli Samosateni* cum autore suo condemnata fuit. Vid. EVSEB. *Lib. VII, 27, 28, seqq.*

§. 30. *REGIMEN ECCLESIAE* apud Episcopos et Presbyteros fuit in Ecclesiis plantatis: quorum nullus tamen in alterum habuit imperium, licet Romana Ecclesia ob urbis dignitatem, ordinis quadam praerogatiua gauderet. Quando Synodi conuocabantur, id per literas aut delegatos, absque imperio fiebat. *Papae*, h. e. Patris nomen tum Episcopis commune. Vnde et *Cyprianus*, *Papa* audit. Episcopi se inuicem *fratres*, *collegas*, *coëpiscopos*, et *consacerdotes*, salutabant. Vid. CYPRIANI *Epist. 75.* Officium eorum CLEM. ALEXANDRINVS *Lib. I paedag. f. 99*, exprimit. Ipsi Ecclesiae antistites et ministri praesente et consentiente populo eligebantur. Vid. CYPRIANI *Epist. 68.* Nec populus a consilio in controuersiis decidendis exclusus fuit: ut ex causa de Lapsis recipiendis apud CYPRIANVM *Epist. 13 et 14* apparet. Ad Episcopi tamen dignitatem per gradus ascendebatur. Vid. CYPRIANI *Epist. 33, 34, 55.*

§. 31. *ORDO graduum Ecclesiasticorum*, ex CORNELII Epistola ad *Fabium Antiochenum*, apud EVSEBIVM *Lib. VI, c. 43*, colligitur. Vbi *Episcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Sub-Diaconi*, *Acoluthi*, *Exorcistae*, *Lectores*, et *Ostiarii*, nominantur. Ministerium uerbi

et

et Sacramentorum administrationem solos Episcopos, Presbyteros, et Diaconos obiisse, ex TERTVLLIANI *Libro de Baptismo, c. XVII,* apparet. Ex Lectoribus eligebantur Diaconi, quod CYPRIANVS *Epist. 33* ostendit. Conf. THEOD. BALSAMONIS *Comment. in c. IV, Synodi in Trullo fol. 199, edit. Paris.*

§. 32. *DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE* hoc seculo magnus rigor fuit, ne Christianorum uita Gentilibus scandalo esset. Id quod ex disciplina Lapsorum uel maxime patet: *poenitentia, exomologesis seu confessio, satisfactio*, et gradus *quatuor* poenitentiae, de eadem etiam satis testantur: Qui fuerunt πρόκλαυτις, seu *fletus* ex ra portam oratorii; ἀκρόασις, *auditio in porticu*; ὑποπτωσις, *substratio* intra oratorii aut templi portam cum Catechumenis, σύστασις et σύνθεσις seu *consistentia* cum fidelibus. Hi gradus Can. XI *Gregorio Thaumaturgo* uulgo adscripto, in *Epist. Can.* extant. Quos IS. CASAVBONVS *Exerc. XVI, n. 43*, explicat. Conf. TERTVLL. *Lib. de Poenit.* SOZOM. *Hist. Eccl. Lib VII, c. 16.* (Ideo et hoc seculo confessionem peccatorum non solum publicam, sed et priuatam coram ministro Ecclesiae requisitam fuisse, CYPRIANVS *Serm. II de Lapsis* testis est.)

§. 33. *CEREMONIAS* et *RITVS* in sacris administrandis, hoc aeuo increuisse, uariis indiciis constat. Nam Iudaei et gentiles Christianae religioni accedentes, rituum ante uariorum in sacris suis memores, similes quoque in Christianismo desiderarunt. Quare ne simplicitate Religionis abterrerentur, sensim plures irrepserunt; superstitione tamen, quae subsequentibus temporibus enata fuit, sequestrata. Qui ex infidelibus Ecclesiae aggregabantur, primum fiebant *Catechumeni*, deinde *Competentes*, et postremo *Fideles*, seu

§. 32. poen. canon. s. conf. et satisfactio ist inul. Schrift. ist nun
de Paenitentia handelt. Es folgen viele Canones von den Bischöfen, welche vor die poenitentia vorgetragen,
ob sie kurtz erzehlet werden. Oratorium ist bey den alten ein jeder
ort, wo gebetet ward. προσευκτηριον ist der Platz vor der Stadt, wo
die öffentl. Versammlung z. gebet gehalten wurde. auditio in part:
ist der platz der vor der thüre, aber doch unter dem Hause war, oder
der vorder ungedeckte theil der Häuser, so auf Pfeilern stunden. Portion
ist mit oratorium einerley. stehen bey den Patr. Lect. stehet wenn die Gemeine
versammlet. προσκλαυσις stunden bey den Patr. Lect. die Gemeinde
betete z. und stund auf nach der Paenitentia vollzogen. Fratres ist
der gemeine Christl. Name.
gg. Morini opus de poenitentia, welches hier der Hochmüthige
sich die Bücher gestudiret. Tertullianus Montanist ehe er es war
mit dem etc. hier.

Liber de unius[illegible] Novatianus z. ist Montanist. etc. dies Specim.
des II. stehet in Fabricii etc. ist Montanist; aber doch ist, und hier eigentl.
solche Meynungen vorgetragen werden. gg. Morini de Eucharistia Lib. VIII. c. 8.
§. 22. die Gelindigkeit wie die Verwaltung des Kirchenzuchts war viel
unterschiedig, dass die gemeine Lehre als die feine Gebräuche an viel Orthen
dann nicht einerley gewesen z. E. das einige Fasten; einige Freuden
des Herrn der Fasten nicht statt, die Oeffentlichkeit. die Unart wie ein Gelehrter
ist Verschwiegenheit z. Heimlichkeit. die Unart wie ein Gelehrter ist Vorgeschl.

seu *Christiani*, quibus post susceptum baptismum S. Eucharistia uti licuit.

§. 34. *Ritus* in Sacramentorum administratione usitati, ex TERTVLLIANI *Libro de Baptismo c. XVII*, et *de Cor. Milit. c. III*, CYPRIANI *Epistolis*, et EVSEBII *Hist. Eccles.* passim cognosci possunt. Conf. *Dallaei* (de his ritibus) Libros. *Ieiunia* usitata DALLAEVS *de Ieiuniis* recenset. *Oblationes* fiebant uel in usum eucharisticum, uel in usum pauperum, uel in commendationem mortuorum, ut pro illis preces funderentur. Existimarunt enim aliqui, pie defunctos non nisi post resurrectionem carnis, uisionis DEI beatificae fore participes. Vid. CYPRIANI *Epist. 6*, TERTVLL. *contra Marcionitas Lib. IV, c. 34*, et *de Anima c. 55*. Praeter festa solennia *Paschatis* et *Pentecostes*, iam etiam *festum Ascensionis Domini in coelum* fuisse institutum, aliqui ex *Epist.* AVGVSTINI *118* colligunt. *Martyres* ex hac uita discedentes rogabantur, ut memores superstitum, apud DEVM pro fidelibus intercederent. Conf. *Apoc. VI, 9*, unde ἁγιολατρεία progressu temporis in Romana Ecclesia enata. Martyrum memorias quotannis celebratas, dixere *Natalitia*, de his uid. b. D. SAGITTARII *Libellum*. *Crucis signo*, in aëre manu formato, Christiani domo egressuri se uelut muniebant, memores CHRISTI pro nobis in cruce mortui. Vid. TERTVLL. *de Cor. Milit. et Apologet.* item ORIGENIS *Homil. II in Ps. XXXVIII*. Plures ritus hic recensere instituti nostri ratio non permittit.

§. 35. *PERSECVTIONES* hoc aeuo plures, quam antecedenti, numerantur. Vnde ORIGENES *aduersus Celsum p. 6* scribit: *in Christianorum dogmata Senatus Romanus, Imperatores, exercitus, populi, ipsae fidelium necessitudines conspirant.*

§. 36. *Prima* ergo *persecutio* (quae *quinta* generalis dicitur) ab Imperatore *Septimio Seuero*, Anno Christi CCIII excitata in toto orbe Romano saeuiit, multosque Martyres fecit. Vid. EVSEBII *Lib. VI, c. 1 et 7*, et BARONIVM *ad Annum Christi CCV, n. 27.* Publica is etiam lege uetuit, ne gentiles fierent Christiani. Conf. TERTVLL. *Librum ad Scapul. c. II, IV*, et *Apolog. c. VII et XXXV.* Hanc persecutionem sanguine suo nobilitarunt *Leonides*, *Origenis* pater, *Serenus*, *Heraclides*, *Heron*, *Herais*, discipuli *Origenis*, *Marcella*, *Felicitas*, *Perpetua*, et plurimi alii, aliaeque. Iudaeorum, qui a Christianis non distinguebantur, defectionem ansam huic persecutioni dedisse, ex *Aelio Spartiano*, in *Vita* SEVERI *c. XVI* colligitur.

§. 37. Illam subsecuta est noua, quae *sexta* appellatur, autore *Maximino Thrace*, Imperatore. Vid. HERODIAN. *Lib. VII*, et IVL. CAPITOLIN. *in Maxim. c. IX*, cuius causam EVSEBIVS *Lib. VI, c. 28*, docet fuisse odium erga familiam antecessoris *Alexandri*; quippe cuius non minimam partem Christiani constituebant. Quae tamen mox cum Imperio *Maximini* desaeuiit.

§. 38. Truculentior fuit, quam caeso *Philippo*, *Decius*, Imperator, Anno Christi CCL excitauit, quae *septima* (aliis *octaua*) appellatur. Vid. EVSEBIVM *Lib. VI, 39.* Horribile iste tyrannus edictum publicauit, minans prouinciarum praesidibus mortem, ni Christianos omnes uel deleuissent, uel ad gentilismum traduxissent. GREG. NYSSENVS *in Orat. de Laud. Gregorii Thaumaturgi* illam describit. Cuius atrocitas multos effecit *Lapsos*, *Thurificatos*, *Sacrificatos* et *Libellaticos*, uid. CYPRIANI *Serm. de Lapsis et Epistol.* Quidam etiam fuga martyrii in eremum successerunt,

Pauli

Pauli Thebaei, eremitarum patris imitati exemplum.

§. 39. Post *Decium*, execrabile istud animal, (ut LACTANTIVS *de Mort. Persecut. c. IV* uocat,) *Valerianus*, non dissimili furore correptus, multum, quamuis breui tempore, iusti sanguinis fudit. Haec *octaua* dicitur persecutio: Qua etiam *Cyprianus* Martyr factus. Vid. LACTANT. *de Mort. Pers. c. V*, et EVSEB. *Lib. VII, c. 10.*

§. 40. Inde *Aurelianus*, natura uesanus et praeceps, Christianos crudelitate sua diuexare, Anno Christi CCLXXV occoepit. Sed perficere crudeliter cogitata non potuit: quippe protinus inter initia sui furoris extinctus. Haec *nona* uulgo appellatur. Vid. EVSEB. *Lib. VII, c. 30*, et LACTANT. *de Mort. Persecut. c. VI.*

§. 41. Eo sublato, alta pax in Ecclesia fuit, qua abusi Christiani, iram diuinam irritarunt, ut *Diocletiano* et *Maximiniano* permitteret in Christianos immaniter saeuire. Et haec *decima*, eaque immanissima fuit, quae carnificum manus tandem delassauit, ac in annum usque undecimum seculi insequentis durauit. Fuse illam EVSEB. *Lib. VIII. Hist. Eccl.* et LACTANT. *de Mort. Persecut. c. VII, seq.* describunt, conf. b. D. KORTHOLTI *Librum de Persec. Eccles. Primitiuae. Constantia* autem Martyrum heroica multos gentiles ad fidem Christianam induxit. Conf. KORTH. *loc. cit. c. V.*

§. 42. *MEMORABILIA* huius seculi dicas 1) miram uoluntatem apud Christianos, sanguinem pro ueritate CHRISTI fundendi: unde tantus Martyrum numerus: 2) Nouas uersiones Graecas Hebraei codicis, cum Graeca ubique intelligerentur: 3) Talmud

mud Hierosolymitanum auctore *R. Iochanan* absolutum. Vid. HOTTINGERI *Hist. Eccl. Sec. III, c. 3, et prima* SCALIG. *p. 141.* 4) *Origenis* incomparabilem industriam et πολυγραφίαν. Vid. EVSEB. *Lib. VI, c. 18, 23*, HIERON. *Catalog. c. 61.* 5) *Stephani*, Episcopi Romani, ambitionem, qui iam titulum et potestatem *Episcopi Episcoporum* affectare coepit, in controuersia de rebaptizandis. Conf. HORNEII *Hist Eccl. Lib. III, c. 6, §. 22, seqq.* 6) Platonicae Philosophiae propagatores, hoc seculo qui fuerunt *Plotinus*, et *Porphyrius Malchus*: 7) Figmentum de *Philippi*, Arabis Imperatoris, Christianismo, apud BARONIVM *ad Annum Christi* CCXLIX, CCCXLVI, conf. SCALIG. *in Animaduers. ad Eusebii Chron. n. 2260.* Fauit tamen, sub seculi huius initium, Christianis *Alexander Mammaeae* Imper. 8) Originem *Anachoretarum*, *Eremitarum Monachorum*, *Paulo* et *Antonio* eius instituti autoribus. Vid. HIERON. *in Vita Pauli Sozomeni Lib. I, c. 13.* 9) Fabula de septem dormientibus in *Catal. Sanct.* PETRI DE NATALIEVS *fol. 145.*

§. 43. Ceterum in huius seculi historia admiranda sunt Ecclesiae incrementa sub diristimis gentilium persecutionibus; laudanda seuera Christianorum disciplina; culpanda Episcoporum et doctorum discordia, iurgia fraudesque, quae EVSEBIVS *Lib. VIII, c. 1*, graphice delineat. Obseruanda etiam diuina νίκησις, quae persecutorum crudelitatem ulta est. Quod LACTANTIVS inprimis *Libro de Mort. Persecut.* annotauit. Nec praetermittenda Pontificiorum impudentia, qui in hoc aeuo, Episcopi Romani dominatum et recentiorum rituum superstitiosam pompam quaerere satagunt, comminiscentes in tanta historiae luce fabu-

3. Der Bischof Stephanus I. war beschuldigt, er habe alle Ketzer ohne Unterschied angenommen, wenn sie ihre Ketzerey haben lassen, sich zur orthodoxen Kirche wenden wollen, ohne sie wieder taufen zu lassen, wenn sie nur ob recht oder unrecht getauft worden wären. Darüber wird er mit Recht getadelt. Es ist überhaupt niemanden zuzutrauen, daß er die Sache gründlich fahre. Es zu beweisen, daß der Ketzer Hyginus habe wollen Bischof in der Stadt Cirta gewesen sein. Marcionitische Taufe im Namen Jesu war ihm vielleicht so bekannt, als es selbst einigen vielen im Anfang, wie auch andern in der lateinischen Kirche, unbekannt. Augustinus, gleichfalls haben. Labbe Concil. hat Pandinus (Disp. historica ad Vitas Pontificum Romanorum. Ferrariae. 1725. 8.) bewiesen, daß er unrecht. Stephanus habe in seinem Decret gemacht: Si quis a quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est manus illi imponantur in poenitentiam. Es heißt: in der Kirche, nisi quod traditum est. Anstatt sie von der hergebrachten alten Form der Taufe, da sie dort auf das Haupt gesetzt, wollte man solche den Ketzern nach der alten Gewohnheit die Hände auflegen. — Da damit zugleich der Irrthum der bekehrten Ketzer zwischen Stephano u. Cyprian ist zum Vortheile der rechten in einem Concilio Concil. Arelatense I. verschieden worden, welches Augustinus insonderheit plenarium nennt. Welches aber eigentlich sei? Einige sagen, das zu Arles im Jahr 314 gehalten worden, unter der allgemeine Nicenische. Ihr beyden ist die Frage verschieden u. entschieden worden, daß in dem ersten eigentl. u. categorisch, in dem letzten aus Folge u. Application das zu Arles gemeinte offenbar. Der berühmte Tillemont hat für das zu Arles gestritten. Ernesti ist aber nach Lesung des Pandinus weder für die Nicenische. Augustinus nennt das Concilium plenarium an andern Orten Conc. cunctarum nationum, Conc. orbis terrarum. Das kann es im eigentl. Verstand von dem Concilio Nicaeno sagen. Es kömmt oft darauf an, ob es diese nur plenarium genannt haben könne. Denn kann es gesagt werden, daß Augustinus auch andere Concilia plenaria nennt, die Vergleichung gemeine gewesen. Aber der Gegensatz in Epist. auf eine Nationalversammlung, aber nicht die Christenheit orbis terrarum, omnium gentium. Das ist die Sache der ganzen Wichtigkeit.

Man glaubt, die Stadt sey schon unter Tiberius aufgebaut worden. Allein es scheint, daß ein großer Mann in dem Lande gewesen ist, welcher uns nicht bekannt ist, daß er sie in Lande gebauet habe. Auf die Einführung derselben durch Frumentium ist nicht so viel zu halten, daß man darüber nichts sagen kann. Aber es ist zu Zeiten Const. M. schon da gewesen, ist auch einem Bruder des Kayser Constantii gewesen. v. Mils. Gesner allgem. Weltgesch. 5te Th. 2 B.

Adrianopel Kriegsbau einiges zu Athen, daß der Kayser Philippus der erste Christliche gewesen – ist von Pagi gut widerlegt. In dem Kal. Hales. nam er ein Pontifex Maximus u. verwaltete die Secularia, welches niemals nicht hätte können. Man will es bestätigen damit beweisen, daß er ein Bildniß Christi in s. Hauscapelle gehabt u. unter den andern Göttern angebetet habe. Allein, was ist das wahr, welche Folge? Alle Verbrechen Ehristen, Constantinus M. sey der erste Christ unter den gekrönten Häuptern gewesen.

Ferner der erste Christ welcher Bischof auf der Synode, welche 318 sonnen gehalten worden ist, aber dem es scheint für sehr unwahrscheinlich gehalten werden. Der glaubt es ist unwahrscheinlich, daß sie ohne s. Vorwissen dergl. Mittel hervorgebracht. Die übrigen welche Baldwin gesammelt enthalten bessere Gründe, die einen scheinbaren Anstand haben. Es hat viel Bücher davon gegeben; allein es hat viel mit Gründe, daß viele Episcopos zu Christ wurden. Daß er gab einen Lauf der Ministers und große Kraft die Christen zu große Freiheiten, Rechte zum Beyspiel u. Freude verschaffen. Daß er als die Heiden aus der Stadt vertrieben, ist falsch.

fabulas; ut superstitiones suas antiquitatis praetextu quodammodo pallient.

PERIODVS II

DE

ECCLESIA SVB IMPERIO ROMANO ET BYZANTINO LIBERTATE GAVDENTE

CAPVT I

DE

SECVLO IV CHRISTIANO

§. 1

Quarto hoc seculo Ecclesia nouam uelut faciem induit. Nam *Constantinus M.* Imperator Christianam fidem An. Chr. CCCXII amplexus, eam non tantum in aulam admisit; sed fouit, propagauit, libertate donauit, legibus muniuit, Ecclesiam, eiusque Episcopos ornauit, multis gentilibus ex urbibus in pagos eiectis, unde *Paganorum* nomen. Cum autem Christiani, gentilibus nunc mixti, hos ad sua sacra pellicerent, ipsi Christianismo adhuc simpliciori plures ceremonias, non nisi pompae aut superstitioni materiam praebituras simul affricuerunt. Doctores et Episcopi iam maiori libertate gaudentes, tum haereticos exsurgentes grauiter impugnarunt, tum inter se etiam lites fouerunt cum Ecclesiae offendiculo. Inter turbas

turbas illas inteſtinas, *Iulianus* poſtea rerum potitus, eas in rem ſuam uertit *Apoſtata*, Gentiliſmum reductu-rus. Vid. SOCRATEM *Lib. III, c. 14.* Sed nubecula illa cito transeunte, *Valens* Imperator *Arianae* haereſi addictus, depreſſis catholicis, h. e. orthodoxis doctoribus, *Arianos* iterum fouit atque ornauit: donec Anno Chriſti CCCLXXIX *Theodoſius M.* conſors Imperii factus, Orthodoxis contra *Arianos* praeſidium praeſtaret. Interim ab Apoſtolico aeuo, egregiis et doctis uiris nullum magis, quam hoc ipſum quartum ſeculum floruit.

§. 2. Nos inſigniores aut celebriores Scriptores inter Chriſtianos, hic tantum recitabimus: qui ſunt *Arnobius*, *Lactantius*, *Euſebius Pamphili*, *Euſtathius*, *Athanaſius*, *Iuuencus*, *Antonius*, *Iulius Firmicus Maternus*, *Pachomius*, *Cyrillus Hieroſolymitanus*, *Hilarius*, *Lucifer Calaritanus*, *Phoebadius*, *Eunomius*, *Apollinarius Senior*, *Prudentius*, *Dionyſius Areopagita*, *Fabius Marius Victorinus*, *Vlphilas*, *Damaſus*, *Epiphanius*, *Optatus Mileuitanus*, *Ephrem Syrus*, *Baſilius M.*, *Gregorius Ponticus*, *Gregorius Nazianzenus*, *Amphilochius*, *Macarius Senior*, *Ambroſius*, *Hegeſippus*, *Hieronymus*, *Euagrius*, *Nemeſius*, *Philaſtrus*, *Iohannes Presbyter*, *Rufinus*, *Toranius*, *Pontius Paulinus*, *Auguſtinus*, *Iohannes Chryſoſtomus*.

§. 3. ARNOBIVS, *Afer*, ex rhetore gentili Chriſtianus, Anno CCCIII clarus, *aduerſus Gentes VII Libros* ſcripſit, quibus gentilium calumnias diluit, quod Chriſtiani calamitatum publicarum cauſa dicerentur. *Commentarii breues in Pſalmos*, qui ipſi tribuuntur, iuniorem autorem eius nominis agnoſcunt. Naeui, quos habet, ipſi condonantur, quod ex Gentiliſmi tenebris

Nepos, fanaticus;

Diodorus Tarsensis (v. Socrat. VI. 3. Sozom. VIII. 2.) genus explicandi allegoricum plane repudiare coepit, cujus rationem discipuli, inprimis Theodorus Mopsuhestenus et Jo. Chrysostomus imitati sunt. De interpretatione scripturarum universa in genere grammatico optime meriti sunt. Et Diodori libri excerpta in Catenis PP. reperiuntur.

d.t.) Bey d. Geschichte d. Ketzer ist diese ganz unentbehrl. Beyschrift
sind; negabat Sp.S. personalitatem affirmabat, filium ee
inferiorem patre, et tantum voluntate unum ee cum patre
Jo. XVII. 3) affirmabat praedestinationem 4) Christum e. homi-
nem natura, non culpa ee mortalem.

De ira Dei stellt gegen d. Poiker Hieronym. u. andere, welche den
Zorn Gottl. läugn; um darauf zu beweis, dass er ein moralisch sey.
De opificio Dei beweist d. Sorge Gottl. aus d. vortrefl. Bau
dies, beruft d. Moys. Aussp. u. d. Anlage d. menschl. Leibes, wo-
rin d. Weish. dessen Sorg, auf s. bewundernswürdigste, zeigt.
Lactantii Opera sind unter den Patribus Ecclesiae. die ersten zu
nennen, die eine d. Erscheinung d. Christi: gedacht haben sollen.
d. S. ist ein Episcopus Cabarensis, u. von den andern zwey zu unter-
scheiden, die ein gleiches waren. Eben hat Fragment unter dem
Titel: Fasta Eusebiana noch, welche nicht in s. Chronico
übrig sind. Man zankt sich über die Feder, welchen er streichen. Man
te Worte ihm allen ab. andre spricht ihm eine Lieblingsstelle zu
Sein Styl ist dabey gebraucht, wenn er sagt, wo er s. Nachrichten
setzt, wo er spricht auf eben provocirt, oder wo er das darinner
publice d. Rede u. anbau anführt. wo er ab stellt regiert
in ist er scholastisch. Sein Leben Constantini m. ist gar zu schmeichl.
kast. Durch sein Buch de Praeparatione wollte er die Heiden auf
s. nachfolgende Buch de demonstratione evangelica einleiten
sam machen. Sein Lust in d. Psalmen findet er in der neuen
Montfaucondischen Ausgabe d. Kirchenväter. Gott ihm
für einen Irrthum halten wollen. Clerions Beschuldigung
rel. Casse aber streitet dagegen. In der neuen Zeit hat d. Mont
faucon vieles verbessert u. alle seine Bücher, dafür er. Darauf
wo nächsten so viel steht, dass er glaubwürdig sey.
d. r. Const. m. hat ihn viel Feinde zugezogen, weil er persönl. Gebrechen
gebraucht u. d. Regier. raisonnirt. Constantius s. Nachfolger
tadelt ihn gröb, indem er ab. ab. Orten so urtheilt. Daher er 3 mal von
ihm verjagt wird. Immer aber stand er wieder als Bischof.

bris nuper emerſiſſet. Vid. DVPINI *Biblioth. p. 315, ſeqq.*

§. 4. L. COELIVS LACTANTIVS FIRMIANVS, *Arnobii* diſcipulus, in gentilium theologia plurimum uerſatus, ſed in Chriſtiana puriori non ita exercitatus, ſaepius errauit. Vid. SCVLT. *M. P. Lib. XII*, uulgo *Cicero Chriſtianus* audit. Scripſit *Inſtitutionum Libros VII*, quibus probauit gentilium Deorum cultus falſos eſſe. Deinde et de *Ira DEI*, de *Opificio DEI*, et de *Mortibus Perſecutorum*, a BALVZIO primum edito libello. Alia eius ſcripta, quae allegantur, non extant. Vid. GALLAEI *Edit.* CHEMNITII *Orat. cit. p. 3 et 4*, et DVPINI *Biblioth. p. 319.*

§. 5. EVSEBIVS PAMPHILI, a Martyris huius amicitia intima ſic cognominatus, uir impenſe doctus, uariisque fatis exercitus, ſcripſit *Chronicon* ab *Hieronymo* Latinitate donatum, *Hiſt. Eccleſ. Libros X*, *de Vita Conſtantini M. Libros IV*, *de Demonſtrat. Euangel.* et alia. Vid. GVIL. CAVE *in Hiſt. Lit. p. 131, ſeqq.* qui ipſum etiam ab Arianiſmi labe, quae illi uulgo imputatur, purgat. Vid. CHEMNITII *Orat. cit. p. 4*, et DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 3, ſeqq.*

§. 6. EVSTATHIVS Epiſcopus Antiochenus Anno Chriſti CCCXXV clarus, exul factus Traianopoli in Thracia obiit. Laudant eius uirtutes HIERON. *in Catal. c. LXXXI*, et SOZOM. *Lib. II, c. 19. Orationem breuem ad Conſtantinum M. Commentar. in Hexaëmeron, Diſſertationem de Engaſtrimytho aduerſus Origenem*, et alia, ſcripſit. Quorum fragmenta CAVE *l. c. p. 140*, allegat. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 46, ſeqq.*

§. 7. ATHANASIVS, ex Diacono 329 Epiſcopus Alexandrinus, acerrimus *Arianorum* hoſtis et fidei catholicae de SS. TRINITATE defenſor, ac ea propter uariis

riis persecutionibus obnoxius, CHRISTI *diuinitatem* inprimis aduersus *Arianos* asseruit atque defendit. Opera eius Graece et Latine ex officina Commeliniana prostant, quae et Lipsiae recusa sunt. Conf. SOZOMEN. *Lib. II, c. 17, Hist. Eccles.* THEODORET. *Lib. II, c. 14,* et DVPIN. *Biblioth. Tom. II, p. 60, seqq.*

§. 8. IVVENCVS, Hispanus, poëta nobilis Christianus, et Presbyter, sub *Constantino M.* clarus, *Historiam Euangelicam* carmine heroico Libris IV complexus est, quam *G. Fabricius* edidit. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 44.*

§. 9. ANTONIVS, gente Aegyptius, primus eremi incola, ac ideo *Monachorum Pater* post *Paulum Thebaeum* appellatus, tempore *Constantini M.* celebris, *Regulam Monachis* praescripsit, et *sermones ad Monachos*, itemque *admonitiones* composuit.

§. 10. IVLIVS FIRMICVS MATERNVS, ex gentili Christianus factus, Librum de *Errore Profanarum Religionum* reliquit, in quo causam Christianorum aduersus gentiles agit. Prodiit ille cum Notis *Woweri*. Vid. DVPINI *Biblioth. p. 238.*

§. 11. PACHOMIVS, Aegyptius, ex milite gentili Christianus et Monachus, ab *Athanasio* magni habitus, *Monita* quaedam *spiritualia* scripsit a GERH. VOSSIO cum *Gregor. Thaumaturgo* edita. *Epistolas* eius *Holstenius* publicauit.

§. 12. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, Episcopus, Arianismi fautor, *Catecheses XVII ad Competentes, et Catecheses Mystagogicas V ad recens baptizatos* scripsit. THEODORETVS *Lib. V, c. 9,* eum αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον uocat. Opera eius Graece et Latine *Praeuotius* Parisiis an. 1608. publicauit. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 230.*

§. 13.

Die Synopsis ad Rom. 1. Neuen Testaments ist geschrieben der griechischen Fragment von einem Brief (Epistola festalis) Athanasius ist.

§. 9. Holstenii collectio regularum monachis datarum ist die vollständigste u. ist zu Paris 1663 herausgekommen.

Competentes sind diejenigen welche [illegible] in Deutschland übersetzt. Potentes Gl. Bernisse, dass die Bücher von Gesundheit sind, aber sie wären da, so kommt es sie sehr wohl Bequemlichkeit sie enthalten viele Gebräuche bey der Taufe u. Abendmahl.

§. 13. Die Irrthümer waren 1) daß Athan. Lib. in der Taufe gar keine Wirkung gehabt hätte 2) daß Xti. Natur in dem Moment, als er spricht: Mein Gott! &c. aufgehört.

D. Lucifer, Episc. Calaritani, opera omnia quæ extant, cura Virg. Domin. à Sac. Colitis, fol. Venet. 1778. fol.

§. 14. Auf diese ist sehr Acht zu geben, weil sie Athanasium ad Constantium. zugeben, daß er Gott über die Creatur niedersetzen, sondern à Const. zeigen, daß er damit sagen wollte, daß er für seine Person den Arianismum sehr verabscheute, &c. die Orthodoxen über Länder. Dies will er auf Rollen der h. v. N. T. beweisen. Auch seine angeführten Worte stehn 2, daß sie Luth. Uns. ganz anders als die jetzige Vulgata gegeben, i.e. als sie vor Hieron. gebraucht war. Da die Gegner D. der H. Schr. wünschen sie diese aus der Vulg. corrigirt.

§. 18. Es beschreibt Constantinopel, daß der erste Ver. von Const. M. sehr völlig erbaut worden, &c. Theod. will aber ein Kleines gewesen sein.

§. 13. HILARIVS, Pictauiensis Episcopus in Gallia, Arianorum haeresin strenue impugnauit. Quam ob causam a *Constantio* in exilium actus, *Opus de Trinitate Libris XII*, constans, et alia scripsit. Vid. CAVE *Hist Lit. p. 165*, CHEMNIT. *Orat. cit. p. 4.* DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 136.*

§. 14. LVCIFER CALARITANVS, in Sardinia Episcopus, sub *Constantio* Imperatore Arianos oppugnauit, et ideo exul factus. Laudat eum *Athanasius* in Epistola ad ipsum exarata. Opera eius *Ioh. Tillius* Parisiis 1568 edidit: Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 170, seqq.*

§. 15. PHOEBADIVS, Gallus natione, circa medium huius aeui celebris, *contra Arianos Librum* scripsit, quem *Petr. Pithoeus* Parisiis anno 1586 publicauit. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 184.*

§. 16. APOLLINARIVS SENIOR, Alexandrinus, ex Grammatico Presbyter Laodiceae factus, ducta uxore, ex ea filium sibi cognominem suscepit; regnante *Iuliano*, et Christianis gentilium libros interdicente, multos libros sacros carminibus Graecis expressit. Extat adhuc *Metaphrasis Psalmorum* metrica, quam aliqui filio eius tribuunt: Vid. VOSSIVM *de Histor. Graec. Lib. II, c. 18*, et *de Poët. Graec. c. 9*, DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 216.*

§. 17. Q. AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS, *Hispanus*, ex causidico deuotus Poëta, *Hymnos*, et alia *Poëmata* composuit, uide Opera eius a WEIZIO *edita*, et DVPIN. *Biblioth. Tom. III, p. 7.*

§. 18. DIONYSIVS, (uulgo *Areopagita*, sed perperam, appellatus) medio huius seculi circiter uixisse censetur: Quanquam *Dallaeus* ad sexti seculi initium referre mauult. Theologiam Christianam ad Platonicae ideam formauit. Libri de *coelesti Hierarchia*, de

Diuinis Nominibus, *Hierarchia Ecclesiastica*, de *Theologia Mystica*, et alii, qui illi tribuuntur, Graece et Latine Antwerpiae anno 1634 prodierunt. Vid. CAVE *in Hist. Lit. f. 178, seq.* et DVPINI *Biblioth. nou. T. I, p. 53, seq.*

§. 19. FABIVS MARIVS VICTORINVS, Afer, ex rhetore gentili, in extrema senectute, urgente eum *Simpliciano*, Christianus factus est. Libri eius nonnulli in *Biblioth. P. P. Tom. IV*, extant. Conf. MABILLON. *Tom. IV, Analect.* Cum ipsum *Simplicianus* templum frequentare iussisset, irridens dixit: *Ergo parietes faciunt Christianos?*

§. 20. VLPHILAS, siue VRPHILAS, ortu Gothus et Gothorum Episcopus Arianus, *IV Euangelia* in Gothicam linguam transtulit, quae Holmiae ex codice argenteo impressa sunt. Vid. M. HEVPELII *Dissertat. de Vlphil. et eius uersione.*

§. 21. DAMASIVS, Hispanus, Episcopus Romanus, *Epistolam Synodicam ad Episcopos Illyrici de Concilio Arminiensi*, item *Epist. ad Episcopos Orientis*, *contra Apollinarium*, *confessionem Fidei Catholicae*, et alia, exarauit. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 183*, et DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 261.*

§. 22. EPIPHANIVS, Salaminae in Cypro Episcopus, An. CCCLXIIX clarus, scripsit *Ancoratum*, siue *de Fide*, *Sermonem; Panarium*, siue *aduersus Haereses LXXX*, *de Ponderibus et Mensuris*, et alia. *Hieronymo* dicitur πεντάγλωττος; elogium eius apud SOCRATEM *Lib. VI, c. 10*, extat. IS. CASAVBONVS *Exerc. XV, diat. 7*, in eo nimiam credulitatem arguit. Opera a *Petauio* anno 1622 Parisiis, II Vol. et Lipsiae anno 1682, publicata prostant, conf. CHEMNIT.

Orat

9.24. Ephrem ist kein Mann, der selbst Untersuchung anstellt. Er setzt selbst Hom. II. Syriaco p. 4. Obij ist, daß die Gott. Schrift Gesetze hat. Diese formulare zur Lehre u. die Wahrheit d. heil. Schrift. Aber Ist einer Mehl ü. Untersuchung stehen von den gemeinsten Meinungen u. Gedanken entfernt hatte.

Gregorius von Nyssa hat sich schon wieder eine physikal. Vorstellung eines gelehrten Mannes mit den Worten Jesu sehr stark widerlegt. Die Vorstellung von einem Magnet, wodurch Adam auf eine ganz ungewöhnliche Vorstellung hingezogen sein könne, eine Centaurus Erfindung. Dunkel.

Orat. cit. p. 5, et DVPINI *Biblioth. Tom. II, Part. II, p. 515.*

§. 23. OPTATVS MILEVITANVS, Afer in Numidia Episcopus, acerrimus *Donatistarum* Antagonista, scripsit *contra Parmenianum*, Episcopum, Donatisticum, *Libros VII de Schismate Donatistarum*, qui Parisiis anno 1679 prodierunt. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 187.*

§. 24. EPHREM, gente *Syrus*, floruit An. CCCLXX, uir in monastica Philosophia exercitatus, supra mille *orationes*, et in his *hymnos*, et *carmina*, et alios *tractatus morales ac ascéticos* composuit. Conf. SOZOMEN. *Lib. III, c. 16.* Opera eius Romae et Antwerpiae anno 1619 prodierunt, tribus Tomis distincta. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 249.*

§. 25. BASILIVS MAGNVS, Episcopus Caesareensis, quem *Greg. Nazianzenus*, ipsius commilito, κοινὸν παιδευτὴν ἀρετῆς *communem uirtutis magistrum* uocat. Vid. SOCRATIS *Lib. IV, c. 26.* Promouit is tum exemplo tum conditis regulis institutum monasticum. Opera eius Graece et Latine, cum notis *Frontonis Ducaei*, Parisiis anno 1618 duobus Voluminibus impressa sunt. Conf. COMBEFISII *Basilium restitutum.* Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 265.*

§. 26. GREGORIVS, *Basilii M.* frater, Episcopus Nyssenus, ab Arianis diuexatus, orthodoxam fidem defendit contra illos et *Eunomium*: In matrimonio Theosebiam nomine uxorem habuit. Opera eius Graece et Latine *Frid. Morellus* Parisiis anno 1615 publicauit. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, Part. II, p. 390.*

§. 27. GREGORIVS, a patria Nazianzo *Nazianzenus*, *et Theologus κατ' ἐξοχήν* dictus, *σύγχρονος* et intimus *Basilii M.* amicus, imperante *Iuliano* in pangendis carminibus pene totus fuit; summus quippe Poëta et Orator; id quod *carmina* eius et *orationes* loquuntur. Opera ipsius Graece et Latine anno 1630 Parisiis, et Lipsiae publicata prostant, uid. CHEMNITII *Orat. p. 5*, et DVPINI *Biblioth. cit. Tom. II, Part. II, p. 351.*

§. 28. AMPHILOCHIVS, gente forte Cappadox, ex monacho Episcopus Iconii Lycaoniae factus, uir multa eruditione insignis. Opera eius cum *Methodii Patarensis* et *Andr. Cretensis* Libris, Parisiis anno 1644, Graece et Latine edita sunt. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, Part. II, p. 409.*

§. 29. MACARIVS SENIOR, gente Aegyptius, Monachus, *Magni Antonii* discipulus, circa An. CCCLXXIII clarus, scripsit *Homilias spirituales L., de Integritate, quae decet Christianos.* Graece et Latine illae Francof. anno 1594 in Octauo editae sunt ad Theologiam asceticam utiles. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 118, seqq.*

§. 30. AMBROSIVS, ortu Gallus, nobili familia natus, ex politico Episcopus Mediolanensis, ob eloquentiam celeberrimus morumque grauitate insignis. Opera eius Basileae et Parisiis saepe impressa prostant duobus Voluminibus distincta. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, p. 348, seqq.*

§. 31. HEGESIPPVS, de quo eruditis non satis constat, *Ambrosii σύγχρονος* fuisse perhibetur, quinque Libros de *Excidio Vrbis Hierosolymitanae*, ex *Iosephi* Libris de *Antiquitatibus et de Bello Iudaico* compilauit. Vid. IO. GRONOVII *Obs. in Scriptor. Eccl.*

§. 32.

§. 32. HIERONYMVS, Stridonenſis, optimis et doctiſſimis praeceptoribus uſus, magnam ſibi eruditionem comparauit, quam aduerſus *Ruffinum Apologet. II* ipſe iactauit, ſuos quippe manes paſſus; aduerſarios, quos habuit, aſperrime tractauit, ac quandoque minus orthodoxe locutus eſt, Monachiſmi inprimis et monogamiae defenſor ſtrenuus. Opera eius multa, in XII Tomos diſtincta, uariis in locis impreſſa proſtant. *Eraſmi* tamen editio Baſileenſis aliis praefertur, uid. CHEMN. *Orat. cit. p. 5*, et DVPINI *Biblioth. Tom. III, p. 173, ſeqq.*

§. 33. EVAGRIVS, Eccleſiae Conſtantinopolitanae tandem Archidiaconus, *Hieronymi σύγχρονος* uaria ſcripſit opuſcula, quorum multa *Ruffinus* latine uertit. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. p. 227*, et DVPINI *Biblioth. Tom. III, p. 1.*

§. 34. NEMESIVS, ex Philoſopho inſigni Epiſcopus Emiſſenus, circa Annum CCCLXXX circiter clarus, Librum de *Natura hominis* eruditum, Oxonii anno 1671 editum reliquit, qui ante perperam *Greg. Nyſſeno* tributus fuerat.

§. 35. PHILASTRIVS, Presbyter primum, Arianorum hoſtis, Brixienſis Epiſcopus factus, ſcripſit *Librum de Haereſibus*, ſed exiguo in cenſendis haereticis iudicio uſus. Vid. DVPINI *Biblioth. Tom. II, part. II, p. 428.*

§. 36. IOHANNES PRESBYTER, cui cum *Epiphanio* lites ob *Origeniſmum* interceſſerunt, Opera uaria ſcripſit, quae *Petr. Waſtellus* Bruxellis anno 1643, *Tom. II*, edidit.

§. 37. RVFINVS TORANIVS, Aquileienſis, ob lites cum *Hieronymo* notus, fuit *Origenis* admirator, ſcripſit *Hiſtor. Eccleſ. Lib. II*, *Expoſitionem Symboli ad*

Laurentium Episcopum, uulgo (*Cypriano seu Hieronymo*) tributam. Vid. CAVE *Hist. Lit. p. 238, seqq.* et DVPINI *Biblioth. Tom III, p. 255, seqq.*

§. 38. PONTIVS PAVLINVS, Presbyter primum, tandem Episcopus Nolae (*Nolanus*) in Campania factus, uxorem habuit Therasiam: *Epistolas* et *Poëmata* uaria composuit, quae in *Orthodoxogr. Tom. II.* extant.

§. 39. AVRELIVS AVGVSTINVS, gente Afer, artium liberalium (*Grammaticus*) primum professor, tandem Episcopus Hipponensium factus, circa initium seculi V maxime clarus, cuius uitam *Possidius* descripsit; acri ingenio ualens, contra Pelagianos fortiter dimicauit, et plura scripsit opera, quam multi forte legunt. Editiones eorum uariae extant; sed Basileenses aliis praeferuntur. Conf. CHEMNIT. *Orat. cit p. 5, et 6*, et DVPINI *Biblioth. Tom. III, p. 290, seqq.*

§. 40. IOHANNES, CHRYSOSTOMVS, ab insigni facundia appellatus, Episcopus Constantinopolitanus, uir ob zelum praeferuidum uariis persecutionibus obnoxius, scripsit pene, *Suida* teste, infinita, inprimis tamen exegetica. Horum Catalogum CAVE *in Hist. Lit f. 255, seqq.* exhibet. Conf. CHEMNIT. *Orat. cit. p. 5*, et DVPINI *Biblioth. Tom. III, p. 12, seqq.* Plura iudicia de Patrum huius seculi scriptis apud BEBELIVM *Antiquit. Euangel. Sec. IV, Tom. I*, legi merentur.

§. 41. *DOCTRINAE CATHOLICAE* summa, quam publice in Ecclesia hoc seculo laudati scriptores proposuerunt, in *Symbolo Nicaeno* CCCXVIII Patribus congregatis, Anno Christi CCCXXV condito, et in *Symbolo Constantinopolitano* Anno Christi CCCLXXXI composito continetur. Vid. ATHANASII *Epist. ad Iouinianum Tom. I Opp. fol. 399*, BASILII *Epist. 60 et 78*,

– qua Muratorius in Anecdot. latinis collegit.

† Hesser wurde v. neuem mit einer starken Pension als Prof. der Historie u. Theologie, anstatt des Magisters dem berufen. Über die Fortsetzung Ambrosii kann v. dem J. Jahrsumwand gänzl, weshalb meine J. Mutter mit Abgang nicht hatte erhalten können. Anno v. 1744 v. 1745 Mainzischer Kais. Akad. v. die beiden Bücher Erläuterungen sind da. Aber s. Lib. II. de doctrina Christiana u. de Civitate Dei Lib. XXI. sind gut.

Ejus homiliae in Matthaeum, Johannem, Act. Apost. et Epist. Pauli extant. In Epistolam quidem Pauli ad Hebraeos antiquitus habet, et quidam de Graecis post in hanc Epist. scripsere, ex eo pendent.

Das Symb. Nic. wurde neu in die Messe eingeführt wider die Arianer gestritten u. nach dem Conc. Constant. sind neue Worte eingerückt worden, (Basilius) welche wider die Macedonios gerichtet waren; Mithin war es neu; aber einerley verändert.

das Symb. Athan. ist Bestritten; Darum habe wenig Gebrauch
Recht ist nöthig, das die Dogmata Athanasii erhalten.

+ nec minus Symbola privata seu Confessiones Episcopo-
rum in Patribus allegatos; Canones Conciliorum
particularium seu decreta. leges, quae res eccles.
tractant ex Codice Theodosiano lib. XVI.

78, SOCRATIS *Lib. I Hist. Eccl. c. 8*, FORBESII *Instruct. Histor. Theolog. Lib. I, c. 3. Athanasii Symbolum* uulgo in Ecclesia receptum, recentioris esse autoris, VOSSIVS *de tribus Symbolis*, et BASNAGIVS, probarunt. His addi merentur CYRILLI HIEROSOLYMITANI *Catecheses ad illuminatos*, et quae a Patribus praecipuis contra haereticos ex sacris litteris asserta leguntur. Horum doctrinam, secundum articulorum seriem, *Centuriatores Magdeburgici Cent. IV, cap. IV*, et BEBELIVS *Antiqu. Eccles. Euangel. Sec. IV, Artic. IV, seqq.* excerpserunt atque dispossuerunt. Vnde constat, doctrinam Pontificiorum Tridentinam, hoc seculo fuisse maximam partem ignotam. Conf. SPANHEMII *Tom. I, Introduct. maior. ad Histor. Eccles. Sec. IV, c. 3.*

§. 42. *CONTROVERSIAE*, pace externa, a *Constantino M.* Christiano facto, Ecclesiae reddita, inter ipsos Doctores enatae sunt grauissimae: ut DONATISTARVM, qui rebaptizabant omnes illos, qui a Catholicis, quos pro pollutis et impuris habebant, erant baptizati. Nam negabant, licere uti in Ecclesia ministerio malorum, quod illud inutile atque inefficax esse crederent, uid. AVGVSTINI *Lib. II contra Litteras Petiliani*: MELETIANORVM lites cum *Athanasio*, de quibus SOZOMENVS *Lib. II, c. 21 et 22.* ARIANORVM cum Catholicis, de ὁμοουσία disputationes acerrimae, uid. SOCRAT. *l. c. 6*, THEODORETVS *Lib. I Hist. Eccl. c. 5*, SOZOMENVS *Lib. II, c. 16, seqq.* PHOTINIANORVM, qui cum *Photino* contendebant, Christum esse nudum hominem, nec prius extitisse, quam per obumbrationem Spiritus S. in utero *Mariae* Virginis conceptus esset. Vid. SOCRAT. *Lib. II, c. 30*, et SOZOMEN.

ZOMEN. *Lib. IV, c. 6,* EPIPHAN. *Haer. LXXI.* MACEDONIANORVM, qui filium Patri ὁμοούσιον esse negarunt, Spiritum S. pro creatura habentes. Vid. SOCRAT. *Lib. II, c. 45,* et SOZOMEN. *Lib. IV, c. 27.* AETIANORVM, qui non tantum ὁμοουσίαν Filii DEI negarunt, sed et eum κατὰ πάντα ἀνόμοιον Patri dixerunt. Vid. EPIPHAN. *Haeresf. LXXVI.* EVNOMIANORVM, qui *Aëtii* blasphema dogmata propugnabant, apud EPIPHAN. *Haeresf. LXXVI,* et THEODORET. *Lib. IV Fab. Haer. c. 9.* AVDAEANORVM et ANTHROPOMORPHITARVM, Deo humanam formam et membra nostris similia tribuentium. Vid. LACTANT. *diuin. Instit. Lib. IV, c. 30.* et THEODORET. *Lib. IV, Fab. Haeret.* LVCIFERIANORVM Schisma, de lapsis Episcopis, sub satisfactionis, uel poenitentiae conditione recipiendis. Conf. AVGVSTINI *Librum de Haeresf. c. LXXXI.* APOLLINARISTARVM, qui duas partes humanae naturae in Christo confitentes, corpus uidelicet et animam, sed tertiam partem ipsam mentem, seu animam rationalem in aduentu Christi in carne negarunt, το λόγον eius uicem praestitisse docentes. Vid. EPIPHAN. *Haeresf. LXXVIII,* et SOZOMEN. *Lib. IV, c. 27,* THEODORET. *Lib. V, c. 9.* AERIANORVM, qui non tantum ordinem inter Episcopum et Presbyterum negarunt, ac ieiunia cum festo Paschatis reiecerunt; sed et *Arii* haeresin suam fecerunt. Vid. EPIPHAN. *Haeresf. LXXV.* MANICHAEORVM duos Deos, *Bonum* et *Malum,* asserentium. MESSALIANORVM in communione ueluti Platonica uiuentium, qui, praeter absurdas de DEO et Baptismo opiniones, semper orandum esse statuerunt. Omitto ipsorum Patrum inter

se

Tychonius ist unter den Donatisten
der erste, der die Apocalyps. gänzl. erklärt i.e.
ein Stein des Anstoß darin gefunden hat.

§. 44. Majorinus war der Bischoff der Stadt der Caeciliana
genannt wurde, welche als Gegner d. Bischoff Donati,
der selbst gern Bischoff werden wollte, war abgesetzt worden,
weil Donatus vorgab, er sey von Caeciliano traditoribus (i.e. welche sie in Verfolgung verleugnet hätten
oder Abtrünnige) mit ihm illegitime ordinirt
worden. cf. Aug. quest. Ev. lib. 68 et 156. Nach dieser Lehre
wurde nun Donatus selbst nach Gestalt d. Sache würde
so gross, daß so gar bald vorgeben wurde, daß der Heyl.
Geist nach seinem Tode würde. cf. Aug. quest.

§. 45. Der Grund der Verwerfung ist aus Hieron. adv. Alexan
der genommen worden. Die Geschichte mit einem
Bischoff d. weil sie sich beyde selbst nannten so sieht sie auf beyde Acta
Ecclesiae. Arius wollte den Alexandrum als Sabellianum
Ketzer geben d. beyde gegen d. Gentil. Aus Epistola Arii in
Theodor. Hist. lib. I.

se dissensiones, ut *Hieronymi*, *Vigilantii*, *Ruffini*, *Chrysostomi*, *Epiphanii*, *Augustini*, aliorumque, Controuersia *de celebrando Paschate*, mota tempore *Pii*, circa initium huius seculi uiolentius instaurata fuit; dum alii Christiani *Pascha* cum Iudaeis celebrant XIV luna post aequinoctium uernum; alii et plerique Apostolicam traditionem iactantes, die Dominica sequente. Vbi *Victoris*, Episcopi Romani, Asiaticas Ecclesias hac de causa excommunicantis temerariam insolentiam EVSEBIVS *Lib. V, c. 24*, notat.

§. 43. *Controuersiarum* iam memoratarum autores fuerunt HAERETICI, quos paucis designabimus.

§. 44. Primus inter eos locus assignatur DONATISTIS, a *Donato* quodam e Numidia circa initium huius seculi ueniente, et contra *Caecilianum* Christianum diuidente plebem, nomen adepti. Vid. AVGVST. *Lib. de Haeres. c. LXIX.* Originem haeresis uel schismatis potius OPTATVS MILEVITANVS *Lib. II, p. 40*, exponit. Asserebant illi, Ecclesiam propter uitia morum frequentia, quibus infecta passim, de orbe terrarum, excepto Africae angulo, periisse. Ideo et Catholicorum baptisma negabant esse ualidum. Conf. THEODORET. *Fab. Haeret. Lib. IV, c. 6*, L. ITTIGII *Dissert exhibentem plenam schismatis Donatistarum historiam.* His accensentur, qui se illis aggregarunt, *Circumcelliones*, *Rogatistae*, *Maximinianistae*, *Parmenianistae*, *Circenses* et *Montenses*, Rupitani & Campenses

§. 45. ARIANI, ab *Ario*, Presbytero Alexandrino, *Alexandri*, ibidem Episcopi, aemulo dicti, negarunt τον λόγον, *uerbum*, h. e. Filium DEI ab aeterno fuisse, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, crebra eius uox blasphema fuit. Ideo illum ἐξ οὐκ ὄντων, siue ex nihilo

ortum dicebant; ac adeo negauit esse συναΐδιον καὶ ὁμοούσιον, i. e. *coaeternum et eiusdem essentiae* cum Patre. Vid. SOCRATIS *Hist. Eccles. Lib. I, c. 5 et 6*, THEODOR. *Hist. Eccles. Lib. I, c. 2, 5*, EPIPHAN. *Haeres. LXIIX, seqq.* AVGVSTIN. *de Haeres. cap. XLIX.* Inter *Arianos* ipsos deinde schismate orto, *quidam dicti* sunt Ἀνόμοιοι, quod Christum Patri secundum omnia dissimilem statuerent; ut *Aëtius* et *Eunomius*, qui postea proprias sectas condiderunt: quidam ὁμοιούσιοι *Semi Ariani*, quod Christum Patri ὁμοούσιον dicerent, ut *Basilius Ancyranus*, *Gregorius Laodicenus*, et alii. De quibus in historia Conciliorum, hanc ob haeresin habitorum, agitur.

§. 46. PHOTINIANI, nomen a *Photino*, Sirmii in Pannonia Episcopo, homine loquacissimo sortiti, Christum pro nudo homine habuerunt; quod *Photinus* negaret, eum ante natiuitatem ex *Maria* extitisse. Fecit ergo cum *Samosateno* et *Sabellio*. Vid. ATHANAS. *de Syn. Tom. I, f. m. 691, seqq.* EPIPHAN. *Haeres. LXXI*, SOZOMEN. *Lib. IV, c. 6*, THEODORET. *Lib. V, c. 2*, et ITTIGII *Dissert. V Heptad. de Photino.*

§. 47. MACEDONIANI, a *Macedonio*, Episcopo Constantinopolitano, nominati, dicebantur etiam πνευματομάχοι, quod, *Arianismum* fouentes, negarent, Spiritum, S. esse Patri ὁμοούσιον. Eum enim uel creaturam, uel ἐνέργειαν τοῦ Θεοῦ, appellabant. Vid. ATHANAS. *Tom. I, f. 344, Tom. II, Dialog. aduersus Macedonium, f. 288*, BASILII M. *de Spiritu S. c. X*, GREG. NAZIANZENI *Orat. VI de Spiritu S.* AVGVSTIN. *de Haeres. c. LII*, et SOCRAT. *Lib. II, c. 42, 45.*

§. 48.

Hoatiani, ab Hoatio Episcopo Cæsariensi statuunt
Filium patri similem ac dicendum sine adjunctione omni,
nisi essentiæ et Dei nomine.
§. 26. S. Vincentius in Scriptor. Lec. V. giebt ihnen ein gutes
Lob. Er verdient unser Glauben.

§. 27. ein so grosses Ansehen, daß Hieronymus sagt, die
Päbste stünden in der Kirche zu gleichen.

§. 52. Derivata a Syr. zahla i.e. oravit; apodi Lehr. Aus d. Persianern, ad b. Lehr.

§. 48. EVNOMIANI, ab *Eunomio*, *Aëtii* discipulo et scriba, appellati cum ipso impudenter asseruerunt, Filium Patris esse seruum et ministrum, et Spiritum S. τοῦ υἱοῦ φοβερὸν, filii formidantem. Vid. BASILII M. *Lib. I, aduersus Eunomium*, SOCRAT. *Lib. IV, c.* 7, PHILOSTORG. *Lib. III, c.* 20, et *Lib. VI, c.* 3.

§. 49. AVDAEANI, uel AVDIANI, ab *Audaeo*, Monacho, Syro genere et lingua, nomen habentes, DEVM sibi finxerunt cogitatione carnali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis; quod eorum rusticitati EPIPHANIVS *Haeres. LXX* tribuit, unde et illis nomen *Anthropomorphitarum* adhaesit.

§. 50. APOLLINARISTAE, ab *Apollinari*, uel *Apollinario* filio potissimum, uiro doctissimo, appellati, statuerunt Christum assumsisse uerum quidem corpus humanum, ut amictum quendam, sed sine mente h. e. anima rationali. Vid. SOCRAT. *L. II, 46*, AVGVSTIN. *de Haeres. LV*, THEODORET. *Lib. V Hist. Eccl. c.* 3, EPIPHAN. *Haeres. LXXVII.*

§. 51. AERIANI, ab *Aërio*, Presbytero cognominati, qui indignatus *Eustathium* sibi in Episcopatu praelatum, statuit primum, Presbyterum Episcopo non esse inferiorem; deinde nec Pascha celebrandum, nec pro defunctis orandum, nec ieiunia celebranda quod Iudaismum redolerent. Sectatores eius et *Sabbatici* appellati; quod ex syllabis, *a quo*, *per quem*, *et in quo*, ex *Rom. XI, 36*, de DEO usurpatis, naturae in tribus personis diuersitatem probare uellent. Vid. EPIPHAN. *Haeres. LXXV*, AVGVSTIN. *de Haeres. cap. LIII*, illorum errores Pontificii uulgo *Luthero* per calumniam affingunt.

§. 52. MESSALIANI, quibus nomen a professione inditum fuit, teste *Epiphanio Haeres. LXXX*, Graecis

cis Εὐχῆται, *Precatores* dicebantur; quod semper orarent, iactantes, se DEVM oculis corporis uidere, et Spiritus S. aduentum percipere. Ideo et uisa in somnis prophetias uocarunt. Vid. THEODORET. *Fab. Haeret. Lib. IV, c. 11*, et HIERONYM. *Dial. aduersus Pelagianos Tom. II, fol. 175.* Aliis etiam nominibus appellantur, ut *Enthusiastarum*, *Spiritualium*, *Martyrianorum* et *Euphemitarum.*

§. 53. IOVINIANI, uel, ut *Augustinus* habet, *de Haer. c. LXXXII*, *Iouinianistae*, cum *Iouiniano* monacho docebant, uere baptizatos non posse relabi in peccatum: nihil interesse inter uescentem cibis et abstinentem, modo cum gratiarum actione sumatur; uirgines, uiduas et maritas eiusdem esse meriti, si caeteris uitae opibus non discreparent. Id quod *Hieronymo* maxime displicuit. Vid. ERASM. *in Tom. III Opp. Hieron. fol. 7.*

§. 54. PRISCILLIANISTAE, a *Priscilliano*, nobili Hispano, dicti, teste SVLPITIO SEVERO *Lib. II Hist. Sacr.* Hi occultis contaminationibus dediti, omnes Scripturae sensus allegoriis peruerterunt: Mundum a maligno Spiritu factum somniarunt, multa cum *Gnosticis* et *Manichaeis* habentes communia; ipsorum uelut symbolum fuit:

Iura, periura, secretum prodere noli.

Mulieribus suis etiam docendi munus concedebant. Vid. AVGVSTIN. *de Haeres. c. LXX*, LEON. *Epist. XCIII*, *num. 2*, et BARON. *ad Annum Christi CCCLXXXI*, *num. 109.*

§. 55. COLLYRIDIANI, nomen ab auctore Sectae habentes, in Arabia et Thracia uagantes, B. Virgini *Mariae* κολλυρίδα τινὰ ἐπιτελεῖν, placentam quandam offerre in mensa per mulierculas solebant, de qua

omnes

+ et nihil interesse tempora jejunii

Vigilantius statuit, celibatum idem et cum matrimonio miscuit apud sepulcra martyrum et stranden diaboli reliquias martyrum non et colendas nec in evangeli praeceptum et, opes vendere et vitam monachi, tem vivere.

§. 57. conf. Acta Conciliorum a Symbargio edita. Ebr. mundi Historia Conciliorum generalium 4 Tom. 8v. gest. gut.

Für jede und allgemeine Conc. gesetzt ist, die jenem oder übrig, welche Canon als die Päpste verwaltet haben d. Kirche und gültig d. allgemein für gelten. Als jetzt wurde ob an alle Bischöfe gesetzt standen und an die Metropolitanos i.e. die den Rang ex ordinate praecipue über alle andre hatten. Diese waren Romanus, Antiochenus d. Alexandrinus, die welche jetzt nach dem Constantinopolitanus d. Hierosolymitanus kamen. Diese Metropolitani hatten unter sich Exarchas, welche wieder den Bischöfe als Aufsicht über zubringen episcopi communi civitatis d von diesen kamen um so viel, als Städte gelegene hatten; welche Romanus und über Presbyteros d. Diaconos entbrauchen, als sie in ihren Rathschlägen unterstützen müssten. Es de habendis Conc.

omnes participabant. Vid. EPIPHAN. *Haeref. LXXIX.* Conf. RIVET. *Apologet. II.*

§. 56. SCHISMATICIS, quos alii inter haereticos referunt, accenſemus *Meletianos*, a *Meletio*, Lycopolitano in Aegypto Epiſcopo, appellatos; qui munere ſuo motus, officio tamen ſuo contra Eccleſiae morem functus eſt, aliosque Epiſcopos conuitiatus eſt. Vid. SOCRAT. *Lib. I, c. 6*, EPIPHAN. *Haeref. LXVIII*, THEODORET. *Lib. I, c. 6*, SOZOM. *Lib. II, c. 21, 22.* Sic *Luciferiani* a *Lucifero*, quodam Epiſcopo Calaritano appellati, *Schiſmatici* fuerunt; quod negarent, apoſtatas (clericos) etſi poenitentiam egerint, et ad Eccleſiam redierint, recipiendos ac in priſtinum officii et dignitatis gradum admittendos eſſe. Hos refutauit *Hieronymus*. Vid. ERASMVM *in Argum. Lib. Hieron. aduerſus Luciferum*, AVGVST. *Epiſt. LXXXVII*, et SOCRAT. *Lib. V, c. 5.* Perperam quoque *Vigilantius* haereſis poſtulatur; licet *Hieronymus* in eum grauiter inuehatur. Vid. HIERON. *Tom. III, fol. 55*, et b. CHEMNIT. *Exam. Concil. Trid. Part. III, et IV.* Reliquos haereticorum ex ſuperiori ſeculo, *ut Nouatianorum*, *Sabellianorum*, *Marcioniſtarum* et *Manichaeorum*, hic iterum recenſere omitto.

§. 57. *SYNODI et CONCILIA* ob haereſes et ſchiſmata exorta, hoc ſeculo plurima leguntur coacta: Duo oecumenica, *Nicaenum I, et Conſtantinopolitanum I.* Caetera fuerunt particularia, ut *Synodus Arelatenſis I; Ancyrana, Neo-Caeſareenſis, Elibertina, Arelatenſis II; Mediolanenſis, Ariminenſis, Nidaena Thraciae, Seleucenſis, Romana, Antiochena, Sardicenſis, Philippopolitana Ariana, Sirmienſis, Alexandrina I et II; Synodus Antiochena II; Lampſacena, Laodicena*

Synodi tres Romanae, *Aquileienſis*, *Conſtantinopolitana II*; *Caeſareo-Auguſtana*, *Purtegallenſis*, *Treuirenſis*, *Mediolanenſis II*. De his omnibus obſeruari meretur GREGORII NAZIANZENI iudicium *Epiſt. IV ad Procopium; Nullum ſe conciliorum exitum felicem deprehendiſſe, et malum potius indè exaſperatum, quam imminutum.*

§. 58. Nos ergo paucis tantum de *duobus* oecumenicis hic quaedam annotabimus. *Primum* fuit *Nicaenum* ab urbe Nicaea Bythyniae appellatum. Quod *Conſtantinus M.* Ann. CCCXXV, propter haereſin *Arii* et Schiſma *Meletianum* conuocauit. Vid. EVSEB. *de Vita Conſt. Lib III, c, 6, 7,* in quo CCCXVIII Epiſcopi congregati de dictis capitibus praecipue diſceptarunt. Summus eius praeſes *politicus* fuit ipſe Imperator laudatus; *Eccleſiaſticus* uero *Oſius*, Epiſcopus Cordubenſis, et interdum *Euſtathius Antiochenus*. Vid. EVSEB. *Lib. III, c. 6, 17, ſeqq. de Vita Conſt.* THEODORET. *Lib. I, c. 6, Lib. II, c. 15,* SOCRAT. *Lib. IV, c. 12,* SOZOM. *Lib. I, c. 15, 16,* et EDM. RICHERII *Hiſt. Concil. General, Tom. I, c. 2,* in hoc haereſis Arii damnata, controuerſia de tempore Paſchatis determinata, Nouatiani reiecti, cenſura in Meletium lata, coelibatus Clericorum improbatus, ſedes Metropolitanorum *Can. IV*, determinatae. † Conf. BEVEREGII *Not.* ad hos Canones, et *Acta Concil. Nic.* GELASII CYZICENI. Controuerſiam de *Can.* Canon. *Launoius* et *Fr. Spanhemius* peculiari diſſertatione tractauit.

§. 59. *Alterum Oecumenicum* fuit *Conſtantinopolitanum*, a *Theodoſio M.* Anno Chriſti CCCLXXXI, ob haereſin *Macedonii*, et deſignationem *Gregorii Nazianzeni* ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum capeſſendum, cui Epiſcopi Aegyptii obnitebantur, indictum.

Epiſco-

die Acten, wo sie gehalten wurden, waren meist Tempel oder der Palatium Imperatoris, welchen dieß die principes civitatis. Einer allemal ein Praesidium politicum selbst, welches auch d. Regist. selbst oder s. Deputatus war d. ecclesiasticum, welches auch die Metropolitanen gegeben war. Diese ihre Function war d. Name, daß diese Acta neben dem Registr. standen d. zugleich mit. Daher war ihr Amt die Bischöfl. Gewalt. - Dem Prinz einer von den Metropolit. an, war d. übrigen, welche Praesidi politico d. selben, welches sonst die Patres an machte, also fügen muß zu schreiben. Der Praeses polit. zugab dem Prinz einer von den Metropolit. an, war einer strittigen Sache anderen, da beschuldigt wurde, solche vorzubringen. Da debet nachgesehen werden, wenn Ketzerei, wenn sie gegen Dogmata gingen, d. canones, wenn sie gegen Sitten d. Gebräuche gingen. Dem wurden die Registr. die decreta vorgelegt d. subscribirt von den Theils die Patres, d. d. abgeschrieben d. jede Theile Freunde d. den abwesenden Bischöfen gegeben, welche dem Episc. Synodales hießen.

§. 58. Euseb. hat nur 200 Episcopos d. die arabische Uebersetzung der Actorum hat 206.

Hier stehen die Catholici, ist der päbstl. Nuntius; allein dieß scheint mir, weil alle bald nur mündig bleiben, ist Vicarius d. Vicarius die dem Papste gehorsam. Der Vorsitz ist allein. προεδρεύων der Vorsitzer. προεδρία ist der Vorsitz d. Ausschuß Act. Hier war einerley, als ob ein Freund des Registr. dabey gesetzt wurde, d. ein Beisitzer war, um den Registr. wieder zu sagen, ob die Patres gar Ausschuß oder nicht waren. Hieraus ist Act. dieß Hier als ein particular d. Streit. Bischof selbst sey krank, aber präsidirt Er.

4. Meletius war ein blosser Laicus, kein Cleric.

Die alle Patres sind die Bischöfe, dass sie in celebratum einstimmen alle tum. Allein diese Vorrang der Patriarchen, der Erste d. Zeit gehabt hatte d. diese alt war, wurde die Augustaler. Sie brauchte sich auf Act. 15.10. Daher sind nach die Vorsitz. auf diesel Concilio.

8.) die sollen d. Bischöfe in der Diocese einen andern Diaconum ordiniren.

9.) andern Canones paenitentiales gemacht. die Strafe war so manche Strafe der Sünde eingerichtet, dass sie manchmal auf 20 Jahre ging. Daher die Augustiner darüber klagt d. sagt, sie sey schwer d. grausam, als ob sie Sünden vermindern sollte. Es ist ein Irrthum. Der Pabst Leo will, dass die Metropolitanen nur gleiche Ehre d. Ansehen haben sollen, wie die Bischöfe.

mit Thamasus Epist. Rom. und die Synode stellen.
Christ wurde die Metropol. Ritter der Provinz und. Aber es war
so wichtig, dass ein jeder alte Sorge in Streben allemal stille stehen
muss.

Conc. Antioch. II. war wider Athanasium gerichtet, welcher in
den Exilium gesetzt wurde, weil er allen Arianern feind war.
Im Concil. [illegible] Tag) wurde durch die Hülfe Constantius
ein Arian. Bischof, und die Arianer wurden völlig eingeführet. Denn
besonders Constant wurde es ein Ernst, dass die oriental.
Bischöfe versammelt wurden. Allein die orientalischen Väter giengen wieder
unverrichteter Sache weg [illegible].
Anno 360 oder 364 ist das Concil. Laodicenum gehalten, in welch.
sind die Ob. Bücher bis auf die Offenbarung Joh. angezeigt worden. Das
ist für uns sehr nöthig, wenn wir sehen, wie viel Bücher wir noch
haben, und die Leute sich vor den Fanatischen oder der heutigen
Zeit hüten müssen.

Die Kirchenväter ist d. Name der Scriptoren, und war ein Ehrentitel,
damit die Leute sie ehren, die gescheidt waren. Der Grund davon ist: weil
die Alten d. Schrift übrig. Bücher, denen sie der Kirche so ehrwürdig
hatten. Wer da fleissig wurde für sie selbst hielt, der hatte Ehre. Sonst da die
Kirche alte war ist, so hatte die Kirche der Alten d. übrigen Zeugen
ist um Wichtigkeit.

Episcopi CL in eo conuenerant, quos inter Episcopus Romanus non inuenitur. Primo *Meletius* Antiochenus praefedit, substituto postea *Nectario Constantinopolitano* Episcopo. Vid. SOCRAT. *Lib. V, c. 8, 9,* SOZOMEN. *Lib. VI, c. 8,* et *Lib. VII, c. 9,* et RICHERII *Hist. Concil. c. V.* In hoc symbolum fidei *Nicaenum* confirmatum, eique addita quaedam uerba contra *Macedonium* et *Nouatianos*, conf. istiaec Symbola apud FORBESIVM *loc. supra cit. p. ii,* et G. IO. VOSS. *de Trib. Symb.*

§. 60. Praeter haec *duo uniuersalia* Concilia, digna etiam memoratu sunt, *Elibertinum* in Hispania *primum* pro coelibatu, Anno CCCV habitum.* Multi in eo canones ad disciplinam Ecclesiasticam facientes, conditi: *Synodus Antiochena* II Anno CCCXLI habita: *Concil. Arelatense* I contra *Donatistas* Anno CCCXIV conuocatum: *Sirmiense* Anno CCCLI contra *Photinum* institutum. Vid. SOCRAT. *Lib. I, c. 29, 30,* SOZOM. *Lib. IV, c. 6,* et CARIOLANI, uel CARANZAE *Summ. Concil.* huius seculi.

§. 61. *Canones* et *Decreta* conciliorum HENRICVS IVSTELLVS *in Biblioth. Iur. Can. ueteris*, et GVIL. BEVEREGIVS *in Synodico Magno* exhibent. *De Can. VI, VII*, quibus ordo sedium Metropolitanorum in Imperio Romano constituitur, multa disputari solent. Vid. BEVEREGII *Synod. cit. f. 66, seqq.*

§. 62. *REGIMEN ECCLESIAE* externum, et quidem supremum, hoc seculo sibi merito uindicauit *Constantinus M.* Vid. EVSEB. *de Vita Constant. Lib. IV, c. 24.* Nam teste THEODORETO *Lib. I, c. 8,* et *Lib. V, c. 8,* *Leges Ecclesiasticas* conscribi iussit. Conf. SOCRAT. *Lib. IV, c. 8.* Sed tamen Episcopi et Metropolitani ius praesidendi, consecrandi, ordinandi,

* Codex Theodosiani Lib. XVI.

nendi, reconciliandi poenitentes, poenasque canonicas imponendi habuerunt; nulla uero praerogatiua iuris aut potestatis oecumenicae Episcopo Romano adhuc tributa. Quod ex citatis iam Concilii Nicaeni *Can. VI* et *VII*, apparet. Conf. *Can. II Concilii Constantinopolitani*. Quanquam ambitionem Episcoporum hoc seculo increuisse, certum sit; cum ex distributione nova *Imperii* in *Eparchias*, *Dioeceses* et *Praefecturas* ipsis ansa nasceretur, simul statum Ecclesiae ad formam regiminis politici attemperandi. Hinc nomina *Patriarcharum*, *Metropolitanorum*, *Primatum* et *Archiepiscoporum* enata sunt. RICHERIVS tamen, Sorboniſta doctissimus et integer, in *Hist. Concilii Tridentini* laudata solidissimis argumentis euicit, regimen Ecclesiae monarchicum, quod Papa R. postea affectauit, in Ecclesia fuisse ignotum. Conf. et SALMAS. *de Primat. Papae*, BLONDELLVM, cui SALMASIVS multa debet. BASILII CAESAR. *Epist. X.* Quanquam Concil. Sardicensis Canon IV uideatur Episcopo aliquam praerogatiuam hac in parte concedere. Vid. SPANHEMII *Introduct. in Hist. Eccles. Tom. I, f. 876.* Seriem Episcoporum apud antiquos uariam hoc quoque seculo uide apud BLONDELLVM *in Pseudo-Isidoro ad Clement. Epist. I, p. 41. ſ.* quod idem est, Duriacum fabulantem §. 63. Ceterum τάξιν, seu *ordinem* ministrorum Ecclesiae iam obtinuisse, ex diuersis eorum appellationibus et nominibus, quae in *Canonibus* et apud *Epiphanium* leguntur, patet. Memorantur enim *Episcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Hypodiaconi*, *Exorcistae*, *Catechistae*, *Lectores*, *Cantores*, *et Ostiarii*. De *Acoluthis* adhuc dubitatur, an hoc aeuo noti fuerint. *Chorepiscopi*, qui ἐν χώραις Episcoporum munus obibant, et *Archi-Diaconi*, qui primi in Diaconorum ordine erant,

Blondelle sur la primauté de l'eglise.

das ganze Reich wurde in 4 Präfecturae eingetheilt, in 2 orient. u. 2 occidentales. Jede stand in einer Präfectum Praetorio vor. die 1) orientales. umfaßt Asiam cum Insulis et Aegyptum. die 2) Illyricum, mare Ionicum, Thraciam, Dalmatiam, Dardaniam. die 3) occidentales. umfaßt Italiam sensu latissimo, sogar Pannoniam, den Rhein u. den ganz. Lauf, Noricum, Vindelicien u. Africam (der Küste) 4) die Präfectura Italiae. die 5) Präfectura Galliarum, sie umfaßt Franciam, Spaniam et Britanniam cum omnibus Insulis. Jede Präfectur theilt sich wieder ein in Dioeceses, an deren Spitze Vicarii oder Exarchi stehen. 2) die Dioeceses wieder in Provinciae, deren Vorsteher wechselnden Namen führen bald Consulares, bald correctores, bald Praesides genannt werden. P. Cellarii Notic. Rom. p. 249 ff. die Provinciae werden wieder in Städte eingetheilt die aber in Ansehung der Besorgung unterthänig waren. Diese Eintheilung machte Constant. M. im wesentl. Jahre 2c. die Folge nannten sich die Christen in Sect. V. et VI. manches verändert wurde. Einigen, die sich mit Uebernahme sich. zu eignete. Dem Präfect. Praetor. subsequirt Patriarcha welcher Vicarios Exarchos unter sich hatte. Unter diesen stunden Metropolitani, 2) unter diesen Episcopi.

Constantinus M. verordnet, dass der Sonntag mit der Feyer des Werktags aufgenommen feyn sollte, mit der Einschränkung, dass die Landleute an diese Verordnung nicht gebunden feyn sollten, weil das Wetter sich nicht warten lassen müsste. Hanst. M. Hs. Bibl. 2 B. p. 89.

die Octav. Epiphaniae solen manche gefeyert haben

Im Orient feyerte man das Weihnachtsfest als Geburtsfest Christi an einem Tag mit dem 6ten Jan. welches Tag man Epiphanias im Occident aber feyert man es am 25 Dec. zum Geburtsfeste gebraucht haben. Mosh.
Das Epiphaniasfest ist seit dem 4ten Jh. mit besonderer Andacht gefeyert. Augustin. ep. 118 ad Januar. Concil. Agath. a. 506. c. 24. Constit. Apost. VIII. 33. Valg.

erant, iam innotuerant. Vid. BEBELII *Antiquit. Euang. Sec. IV, Art. II, Sect. II.*

§. 64. *DISCIPLINA*, ut Canones teſtantur, rigoroſior adhuc fuit. Et ut illius uigor conſtaret, *Literae Synodicae Epiſcoporum communicatoriae*, *canonicae* et *formatae* uſitatae erant, in quibus de rebus ad doctrinam et diſciplinam pertinentibus inuicem communicabant. Vid. FR. FERRARII *de Antiquo Eccleſ. Epiſt. genere Libros tres.* Qui ſcelere aut graui peccato contaminatus erat, non niſi publice poenitentia acta, ad uſum S. Euchariſtiae admittebatur: Tempus poenitentiae determinabatur. Vid. *Concil. Nicaen. Can. XII*, et BASILII *Can. LVI et LXXIV.* Ipſum Imperatorem *Theodoſium M.* ob caedem Theſſalonicenſem patratam, hac de cauſa, non ante, quam poenitentia defunctum, *Ambroſius* in templum ad communionem fidelium admittere uoluit. Vid. THEODORET. *Hiſt. Eccl. Lib. V, c. 17.* Rigor tamen graduum diſciplinae antea uſitatorum remiſit; cum crimina graniora Chriſtianorum Imperatores Chriſtiani poenis ciuilibus ulciſcerentur.

§. 65. *RITVS SACRI et CEREMONIAE* hoc ſeculo iam multiplicari coeperant, ut ſplendor Eccleſiae externus maior accederet, imminuta iam priſtini cultus diuini ſimplicitate. *Templa ſplendidiora*, quae κυριακὰ οἰκεῖα, aedes dominicae EVSEB. *Lib. VIII, c. 1, et IX, c. 10*, appellantur, exſtructa. Praeter *feſta ſolenniora Paſchatis et Pentecoſtes*, etiam *Natiuitatis Chriſti*, quod GREG. NAZIANZ. Θεοφανειαν καὶ γενέθλια *Orat. XXXVIII.* THEODORET. *Hiſt. Eccl. Lib. V, c. 18*, CHRYSOSTOMVS *feſtorum* μητρόπολιν appellant, accenſis uigilia praecedente luminibus celebratum fuit. Vid. AMBROS. *Serm. XXVIII, XXIX,*

et PRVDENT. *Hymn. V καθημερ.* De antiquitate huius festi, et quod d. 25 Decembris celebratum fuerit, meretur L. ITTIGII *Dissert. III Heptad.* legi. *Festi* et *Martyrum dies* obseruati, teste EVSEBIO *Lib. IV de Vita Const. 23.* Conf. AMBROSII *Serm. 66, seq.* et BASILII M. *Conciones in Sanctos XL Martyres.* Ritum hunc tamen aliqui improbarunt. Vid. EPIPHAN. *Haeres. LXXVII, seq.* et *Concil. Elibertan. Can. XXXIV et XXXV.* Quidam etiam pro *Sanctis* orarunt, quod gradus gloriae his precibus augeri crederent. Vid. CHRYSOST. *Liturg.* et *Homil. XXIII in Matth. I*, cultus *reliquiarum Sanctorum* hoc seculo iam coepit. Vid. D'ALLAEI *Lib. IV de Cultu Relig. obiecto c. 15. Imagines* etiam et *statuae* in honorem Sanctorum in templis collocari coeperunt. Vid. GREG. NYSSENI *Orat. in Theodosium*, BASILII M. *Orat. in S. Bartholomaeum*, EVSEBII *Lib. VII, c. 18.* Propter abusum tamen *in Concil. Elibert. Can. XXXVII*, decretum fuit, ne imagines pictae in templis ponerentur. Passim etiam *Crucis* signum sanctum haberi coepit, ut ex EVSEBIO *de Vita Const. Lib. I, c. 28, seqq. Lib. II, c. 16, Lib. III, c. 2, 3,* et *Orat. de Laudibus Const. c. VI*, apparet.

§. 66. De conuentibus Christianorum sacris, de uigiliis, de ritibus in administratione Sacramentorum receptis, uid. *Centur. Magdeb. Cent. IV, c. 6,* BEBELII *Antiqu. Euangel. Sec. IV, Art. IX*, et SPANHEMII *Epil. Isag. n. 4.* De Ritu Sacrarum Ecclesiae ueteris Concionum, uid. BERN. FERRARII *Librum cum Graeuii Praefatione* editum. Preces solennes non sine ieiuniis factas esse, ex EPIPHAN. *Haeres. LXXV* constat. Conf. PRVDENT. *Hymn. Ieiunant. n. 7.* Ex AMBROSII *Libro I de Sacrament c. IV*, constat, Sacramenti

menti Euchariſtici uſum quotidianum fuiſſe ~~requiſitum~~ usurpatum. Conf. BASILII *Epiſt. 289, ad Caeſar. Patric.*

§. 67. *PERSECVTIONIBVS* Eccleſiam etiam hoc ſeculo obnoxiam fuiſſe, multa ueterum teſtimonia confirmant. Nam coeptam per *Dioclitianum* perſecutionem *Maximianus Herculius*, et *Galerius Maximinus*, et alii Caeſares gentiles, non tantum continuarunt; Vid. EVSEB. *Lib. VIII. c. 14, 15, 26, Lib. I de Vita Conſtant. M. c. 27, ſeq. Lib. X Hiſt. Eccl. c. 8,* SOCRAT. *Lib. I, c. 2,* SOZOM. *Lib. II, c. 8, ſeq.* THEODORET. *Lib. I, c. 25,* LACTANT. *de Mort. Perſ. c. 20, ſeq* ſed mortuo *Conſtantino M. Conſtantius* ab Arianis inductus, in Orthodoxos et Catholicos ſaeuit. Vid. ATHANAS. *Apolog. et Epiſt. ad Solitarios, f. m. 811, 813, 829, et 841,* SOCRAT. *Lib. II, c. 26.* Quanquam GREG. NAZIANZ. *Orat. 3,* et *4,* contra *Iulianum, Conſtantium* in multis excuſet, quod eius facilitate aulici fuiſſent abuſi.

§. 68. Grauiora Chriſtianis mala intentauit *Iulianus Apoſtata* Imperator, qui non quidem aperta ui et ſaeuitia; ſed aliis artibus prauis uſus, Chriſtianiſmum extinguere moliebatur. (Nam Chriſtianis templa et ſcholas interdixit, libertatem ademit, oneribus et exiliis multauit.) Vid. SOZOM. *Lib. V, c. 5, 16,* THEODOR. *Lib. III, c. 15, 16,* SOCRAT. *Lib. II, c. 14,* NAZIANZ. *Orat. I et III in Iulianum.* Verum ipſe fuit *nubecula cito tranſiens*; cum mox in proelio Anno CCCLIII uulneratus impuram animam miſere exhalaſſet. Conf. *Diſſertationem* noſtram de *Iuliano Apoſtata* et SOCRAT. *Lib. III, c. 14.*

§. 69. Excepit illum *Valens* Imperator, qui impulſu *Iuſtinae* uxoris *Arianae*, et *Eudoxii* Conſtantinopolitani, An. Chr. CCCLXV, diris modis *Catholicos*,

(tum *Homoufianos* appellatos) diuexauit; donec, in expeditione Gothica a barbaris interemtus esset. Vid. THEODOR. *Lib. IV, c. 13, 22, 33 et 34*, et SOCRAT. *Lib. IV, c. 13*, SOZOM. *Lib. IV, c. 14, 20.* Monachos ad militiam sectandam lege etiam lata compulit. Vid. OROS. *Lib. VII c. 19.* Nam *Monachorum* (qui etiam ασκηται et θεραπευται appellabantur) numerus hoc seculo incrementa coeperat. Hinc regulae, quas *Basilius* ipsis praescripsit, notae sunt. NAZIANZENVS etiam *Orat. IX*, et HIERONYMVS passim uitam hanc laudarunt. Conf. SOZOM. *Lib. I, c. 12.*

§. 70. Ad *MEMORABILIA* huius seculi referri merentur *Constantini Magni* conuersio, conspecto in nubibus signo crucis, cum hac Inscriptione: εν τούτῳ νικα, *in hoc uince*, *apud* EVSEB. *de Vita Constant. Lib. I, c. 28.* Translatio sedis imperatoriae in urbem Byzantinam, postea *Noua Roma* et *Constantinopolis* dictam: Vid. CAR. CANGEI *Constantinopolin Christianam.* Conuersio ethnicorum magna: Ecclesiae libertas sub *Constantino M.* Miraculosa destructio templi Hierosolymitani, quod Iudaei, concedente *Iuliano Apostata*, moliebantur. Vid. NAZIANZ. *Orat. IV. contra Iulian.* et MARCELLINVM *initio Lib. XXIII.* *Theodosii M.* uictoria per preces de *Eugenio Tyranno* parta, apud AVGVSTINVM *de C. D. Lib. V, c. 26.* SOZOMEN. *Lib. VII, c. 24.* Eiusdem publica poenitentia et reuerentia erga *Ambrosium*; item clementia eius erga *Antiochenos* laesae Maiestatis reos, apud SOZOMENVM *Lib. VII, c. 23.* Conuersio duorum Philosophorum per simplicitatem duorum senum laicorum Christianorum, apud SOZOMEN. *Lib. I, c. 18.* *S. Spiridonis* Episcopi et simul pastoris ouium, apud SOZOM. *Lib. I, c. 11*, *Epiphanii* erga *Iohannem Chrysostomum*

ſoſtomum peruicax zelus, apud SOCRAT. *Lib. VI, c. 14.* Fabulae duae memorabiles Pontificiorum de *Baptiſmo Conſtantini M.* per *Sylueſtrum*, Romanum Papam, et de *Donatione Conſtantini Magni* facta *Sylueſtro* ob beneficium miraculoſae ſanationis, deque ceſſione urbis Romae et Italiae. Quae ſcriptor Pontificius EL. DVPIN. *Bibliothec. Nou. Tom. II, p. 29,* et *36,* prolixe refutauit. Plura annotare hic non uacat.

§. 71. Nos ſub finem hiſtoriae huius ſeculi notamus iterum ſingularis diuinae *prouidentiae* documentum: quando poſt diriſſimas gentilium Imperatorum perſecutiones, *Conſtantinum M.* Eccleſiae bono excitauit: et cum *Iulianus Apoſtata* Gentiliſmum reducere moliretur, eum ſubito extinxit. Miramur uero Diaboli impudentiam et technas, qui per *Arium* CHRISTI Deitatem, per *Macedonium* Spiritus ὑπόστασιν diuinam, ac adeo Myſterium SS. TRINITATIS tot modis impugnauit, ſed DEVS, excitatis uiris piis, animoſis doctiſſimisque, opprimi ueritatem diuinam haut paſſus eſt. Quanquam et hoc in quibusdam Doctoribus caetera praeclaris nemo facile adprobarit, quod ipſi inter ſe inuicem lites mouerint, ac etiam ambitione ſtimulati, contra CHRISTI regulam, dominatum affectare iam coeperint. An *Conſtantini Magni* indulgentia erga clerum; an uitium ſanctis etiam uiris quandoque familiare, quod ultimo exuitur, in cauſa fuerit; hic non determino. Id longa obſeruatione probari poteſt, florenti Eccleſiae ſtatu externo, morum ſanctitatem inter Chriſtianos remiſiſſe ac pietatem refrixiſſe. Adeo difficile eſt, in hac uita eſſe felicem ſimul et pium.

PERIODI II CAPVT II

DE

SECVLO V CHRISTIANO

§. 1

Quintum, quod ingredimur *seculum*, quo Rom. Imperium in *Orientale et Occidentale* diuisum, non tantum inteſtinis motibus, ſed barbarorum etiam gentium inuaſionibus concuſſum, dilaceratum, tandemque *Romanum* in *Occidente* extinctum fuit. Quae couerſionis rerum mala quoque Eccleſiam afflixerunt. Inſurgentibus ſimul nouis Haereticis *Pelagio*, *Neſtorio* et *Eutychianis*, qui mirum quantum Eccleſiam turbarunt. Interim non defuerunt praeſtantes uiri, qui illis ſeſe oppoſuerunt, ac ſimul Chriſtianiſmum ad Hibernos, Burgundiones et Francos propagarunt.

§. 2. Ex *PATRIBVS* antecedenti ſeculo iam memoratis, huius etiam ſeculi primordia illuſtrarunt *Epiphanius* An. Chriſti CCCCIII, *Chryſoſtomus* An. Chr. CCCCVII, *Hieronymus* An. Chr. CCCCXX, *Auguſtinus* An. Chr. CCCCXXX, mortui. Poſt illos, inter *Latinos* praecipue clari fuerunt Scriptores *Seuerus Sulpitius*, *Sedulius Presbyter*, *Sidonius Apollinaris*, *Paulus Oroſius*, *Iob. Caſſianus*, *Saluianus Presbyter*, *Vincentius Lerinenſis*, *Victor Vticenſis*, *Gennadius Maſſilienſis*, *Gelaſius I* *Leo I.* *Proſper Aquitanicus*, *Remigius*, *Petrus Chryſologus*, *Arnobius Iunior*, *Marius Mercator*, *Maximus Taurinenſis*, *Alcimus Auitus*. Inter *Graecos* doctiores et celebriores fuerunt *Cyrillus Alexan-*

Alexandrinus, *Isidorus Peluſiota*, *Theodorus Syneſius*, *Theodoretus*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Philoſtorgius Cappadox*, *Gelaſius Cycizenus*, *Baſilius Seleucienſis*, *Aeneas Gazaeus*, *Nonnus et Nilus*. Horum, inquam, ſcripta et fata, poſt alios erudite GVIL. CAVE *in Hiſtor. Lit.* deſcripſit. Nos compendii ratione habita, tantum de *celebrioribus* hic pauca commemorabimus, lectorem ſtudioſum ad laudati *Cave* hiſtoriam remittentes.

§. 3. SEVERVS SVLPITIVS, Aquitanus et Presbyter Primuliacenſis in Gallia, uir eloquens, ſcripſit *Lib. II, de Hiſt. Sacra*, item, *S. Martini, Epiſcopi, uitam, et Dialogum de conuerſatione Monachorum*, quos *G. Hornius* et *Vorſtius* cum notis ediderunt. Vid de eo cenſuram RIVETI *Crit. S. Lib. IV, c.* 23.

§. 4. SEDVLIVS, Presbyter et Poeta circa An. Chriſti CCCCXXX clarus, *Lib. V, carminum de quinque mirabilibus DEI operibus, et hymnos duos de Chriſto* in Eccleſia notos reliquit. Vid. LAEBAEI *Tom. II, de Scriptor. Eccl. in Sedulio.* Huic iungimus ſtatim SIDONIVM APOLLINAREM, uirum nobilem et Epiſcopum Auernenſem, cuius extant libri *Epiſtolarum* et *Carmina* pro illius aeui indole non inuenuſta.

§. 5. PAVLVS OROSIVS, Presbyter Hiſpanus, *S. Auguſtini* diſcipulus, qui iuſſu huius *Lib. VII hiſtoriarum aduerſus Paganos* ſcripſit, oſtendens, Chriſtianos non eſſe calamitatum et cladium Romanorum cauſas.

§. 6. IOHANNES CASSIANVS, origine Scytha, ex Diacono *Chryſoſtomi*, Presbyter Maſſilienſis factus, uaria ad *uitam monaſticam* et *aſceticam* pertinentia, et de *Chriſti incarnatione aduerſus Neſtorium*, ſcripſit.

Vid. de operibus eius censuram RIVETI *Crit. S. Lib. IV, c. 7.*

§. 7. SALVIANVS, Presbyter, uel Episcopus Massiliensis, An. Christi CCCC.XL clarus, octo Libros de *Prouidentia et Iudicio DEI, et Lib. IV de Ecclesia* sub nomine Timothei scripsit. Quos *Rittershusius et Baluzius* cum notis publicarunt.

§. 8. VINCENTIVS LERINENSIS, Semipelagianus, Presbyter post Concilium Ephesinum, sub *Peregrini* nomine, stylo satis nitido, *aduersus haereticos Commonitorium duplex*, quod *Filesacus*, *Baluzius* et *G. Calixtus* ediderunt. Confer censuram RIVETI *Crit. S. Lib. IV, c. 21.*

§. 9. VICTOR, *Vticensis*, uel *Vitensis* Episcopus, tres Libros de *Persecutione Vandalica*, quam *Genserico* et *Hunnericus*, Vandalorum Reges, excitarunt, composuit. Libri eius *Diuione* anno 1664 editi prostant.

§. 10. GENNADIVS MASSILIENSIS, Presbyter ac postea Episcopus, librum de *Dogmatibus Ecclesiasticis*, qui inter *Augustini libros* relatus fuit, composuerat. Continuauit etiam *Catalogum Hieronymi de Viris illustribus* ad An. Chr. CCCCXCV. *Bellarminus* eum Semi-Pelagianismi arguit.

§. 11. GELASIVS I, Episcopus Rom. *Epistolas* et uaria opuscula reliquit, quae in *Tom. VII, Bibl. PP.* extant, uid. CAVE *Hist. Lit. p. 374.* et RIVETI *Crit. S. Lib. IV, c. 26.* Huic iungimus LEONEM I, Episcopum Rom. *Magnum* appellatum, qui ante *Gelasium* sedem obtinuerat Romanam: scripsit uaria, quae cum *Quesnelli* additamentis prostant. Vid. RIVET. *Crit. S. Lib. IV, c. 22.*

§. 12.

§. 12. PROSPER AQVITANICVS, *Hilarii* aequalis, Episcopus Rhegiensis, libros tres de *Praedictionibus et Promissionibus DEI*, item alia composuit, quae Louanii anno 1565 prodierunt. Laudat eum RIVET. *Crit. S. Lib. IV, c. 18.*

§. 13. RHEMIGIVS, Rhemorum in Gallia Episcopus, An. CCCCLXXI clarus, *Explanationes in Epist. S. Pauli* Moguntiae publicatas scripsit, quas RIVETVS *Lib. IV c. 27*, ipsi adiudicat. Huic iungimus PETRVM CHRYSOLOGVM, Episcopum Rauennatensem, qui *Homilias CXXII*, breues illas quidem, sed disertas reliquit. Vid. BELLARMIN. *de Script. Eccles. p. 150.*

§. 14. ARNOBIVS IVNIOR, circa An. Chr. CCCCLX clarus, *Commentarios in Psalmos* iuxta *Erasmum*, et *in quaedam Euangelistarum loca*, item *de DEO Trino et Vno*, *de duabus in Christo Substantiis et unica persona* scripsit. Vid. CAVE *Hist. Lit.*

§. 15. MARIVS MERCATOR, *Augustini* studiosissimus, aduersus *Nestorianos* et *Pelagianos* scripsit. Opera eius *Ioh. Gernerius* et *Steph. Baluzius* Parisiis publicarunt.

§. 16. MAXIMVS *Taurinensis* Episcopus, multas Homilias *Hyemales*, *Aestiuales*, et de *Sanctis* reliquit. Vid. CAVE *Hist. Lit. p. 312, seqq.* Huic iungimus ALCIMVM ECDICIVM AVITVM, Archi-Episcopum Viennensem, circa exitum huius seculi clarum, cuius opera *Sirmondus* Parisiis anno 1643 publicauit.

§. 17. Inter *Graecos* primum locum hoc aeuo *Cyrillus*, Alexandrinus Episcopus, uir doctissimus, et *Nestorii* impugnator acerrimus, meretur. Opera eius Graece et Latine VII Tomis Parisiis edita prostant.

Conf. de illo Iudicium b. CHEMNITII *Orat. supra cit. p. 15*, et RIVETI *Crit. S. Lib. IV, c. 19.*

§. 18. ISIDORVS, Peluſiota, *Chryſoſtomi* diſcipulus, Presbyter, et in monte Peluſio monachorum praepoſitus, *Epiſtolas*, quibus multa S. Scripturae loca explicat, reliquit, cum notis *Rittershuſii* et *Andreae Schotti* editas.

§. 19. SYNESIVS, Pentapolitanus, ex Philoſopho Platonico Chriſtianus et Epiſcopus Ptolemaidis factus. *Epiſtolae* eius et *Hymni* elegantes ſunt: *Encomium calvitii* ingenii exercendi gratia ſcriptum uidetur. Opera eius *Petauius* publicauit. Vid. NATAL. ALEX. *Hiſt. Eccl. Sec. V, Part. I, c. 4.*

§. 20. THEODORETVS, gente Syrus, Epiſcopus Cyrenenſis, uir doctiſſimus, ſed Neſtorianiſmo ſuſpectus, multa ad hiſtoriam Eccleſiaſticam utilia ſcripſit, de quibus *Lib. V Hiſt. Eccleſ.* et de *Haeret. Fabulis* teſtantur. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. fol. 316. ſeqq.* Conf. RIVETI *Crit. S. Lib. IV, c. 2.*

§. 21. SOCRATES, Scholaſticus ſeu Cauſſidicus, Nouatianiſmi ſuſpectus, cum *Hermia Sozomeno*, Palaeſtino, *Hiſtoriam Eccleſiaſticam ab Euſebio coeptam, usque ad tempora Theodoſii Iunioris* continuarunt. Vtrumque *Henricus Valeſius* cum notis publicauit.

§. 22. PHILOSTORGIVS, Cappadox, Sectae Eunomianae addictus, *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* ſcripſit, quam IAC. GODOFREDVS cum *annotat. et diſſertat.* Geneuae publicauit, paſſim errores uiri Arianos notando.

§. 23. GELASIVS, Cyzicenus, Epiſcopus Caeſarienſis, *Acta Concilii Nicaeni* collegit, quae ex bibliopolio Commeliniano prodierunt an. 1604. Huic iungimus AENEAM GAZAEVM, ex philoſopho Platonico Chriſtianum

Hier anfangen in Pauli Epist. gröss. edid. Sirmondus Tom. III. Opp. Theod. Ignemyen Scholia
posuit, quem Concatenationem habet. Hoc opus Athosi initium fuit.

stianum factum, qui de *Animae Immortalitate dialogum* a *Casp. Barthio* editum cum notis reliquit.

§. 24. BASILIVS, Seleuciae in Isauria Episcopus, circa An. Chr. CCCCLV clarus, *Orationes in Vet. et Nou. Test. Demonstrationem contra Iudaeos de aduentu Christi* scripsit. Vid. CAVE *Hist. Lit. p. 354.*

§. 25. NONNVS, gente Aegyptius Pentapolitanus, Poeta circa initium huius seculi clarissimus, *Paraphrasin metricam in Euangelium S. Iohannis* exarauit, quam *Dan. Heinsius* in Aristarcho suo sacro censuit et illustrauit.

§. 26. NILVS, Constantinopolitanus, ex urbis praefecto monachus factus in Aegypto, multa scripsit ascetica, quae Romae Graece et Latine *Ioseph Maria Svaresius* publicauit.

§. 27. *Scriptoribus Ecclesiasticis* huius seculi subiungimus *Zosimum*, Comitem et Exaduocatum Fisci, qui in *Libris suis Hist. VI* in Principes Christianos et religionem Christianam iniquissimus fuit. Nam *Constantinum M.* et *Theodosium Seniorem* ualde perstringit, animique sui uirus euomit. *Iohannes* quidem *Leunclauius* pro *Zosimo* prolixam *Apologiam* adornauit; sed nescio, an dignum Christiano homine facinus sit, infensissimum Christiani nominis hostem defendere, ac Principes Christianos cum antistitibus Ecclesiae praeclaris, quales fuerunt *Eusebius*, *Chrysostomus*, *Innocentius*, *Theodoretus*, aliique, infamia notare. Rectius EVAGRIVS *Lib. III, c. 40, 4,* et NICEPHORVS CALLISTVS *Lib. XVI, c. 41, seqq. Zosimi* hac in parte malitiam detexerunt.

§. 28. *DOCTRINA PVBLICA* huius seculi ex *Symbolis catholicis* supra memoratis et *Symbolo Chalcedonensi*, *Capitulis Cyrilli*, *Leonis*, Imper. *Encyclicis*, *Actis*

Actis et Canonibus Conciliorum ac *Patrum* huius aetatis scriptis, inprimis *Augustini Enchiridio*, et *de Doctrina Christiana* Libris petenda est. Vid. *Cent. V, Magdeb. c. IV.*

§. 29. *Articuli fidei orthodoxae* de Peccato originis et Libero Arbitrio, de unione duarum naturarum in Christo hypostatica, de Praedestinatione, de Sanctorum et Reliquiarum cultu, inprimis in controuersiam uenerunt, ualdeque Ecclesiam turbarunt. *Pelagius* enim, Brito, ab *Augustino hostis gratiae* appellatus, cum suis assecIis negauit peccatum originis, uires liberi arbitrii ita extollens, ut eas homini sufficere ad pie uiuendum et legem DEI implendam traderet. Quam improbam doctrinam *Augustinus* praecipue confutauit. Inde *Nestorius* negauit, *S. Mariam* Deiparam esse Θεοτόκον. Cui se opposuerat *Eutyches*, qui in alterum extremum lapsus, Naturas duas in Christo confudit, quas *Nestorius* soluere per suum errorem coarguebatur. Ex male intellectis *Augustini* locis de humanis arbitrii uiribus, *Praedestinatiani*, seu *Praedestinati*, exorti, asserentes, DEVM ante praeuisum peccatum quosdam praedestinasse ad uitam, quosdam ad damnationem. Huius dogmatis assertor praecipuus fuit *Lucidus* quidam, Presbyter, ad quem *Faustus*, *Rhegiensis Episcopus*, epistolam scripsit. Minoris momenti controuersias hic recensere supersedemus.

§. 30. Ex *Haeresibus* superiori seculo exortis adhuc *Donatistarum* ac *Circumcellionum* furores grassabantur, qui in Catholicos saeuierunt. Vid. AVGVSTINI *Epist. L.* Nec *Anthropomorphitarum* error in Aegypto extinctus fuerat; cum rudes monachi eundem adhuc contra *Theophilum Alexandrinum* propugnarent. Vid.

Vid. SOCRAT. *Lib. V, c. 7.* *Manichaeorum* etiam reliquiae adhuc supererant, quae hinc inde propullularunt. Sed famosiores huius seculi *HAERETICI* fuerunt *Pelagiani*, *Nestoriani*, *Eutychiani*, *Praedestinatiani*, *Acephali*, *Theopaschitae.*

§. 31. PELAGIANI, nomen et ortum a *Pelagio*, Monacho e Brittannia oriundo, homine certe non indocto, habent, qui An. Chr. CCCCXIII haeresin spargere coepit. Occasio illi fuit Manichaeorum error, quo omnia peccata ex ipsa mala hominis substantia prouenire asserebatur. Huic Pelagius contradicens, asseruit omnia peccata ex libera hominis uoluntate oriri. Ideo liberum hominis arbitrium usque adeo extulit, ut diuinae gratiae postea maxime derogaret. Vid. AVGVSTINVM *Lib. IV*, contra *duas Epistolas Pelagii c. 4.* Nam asseruit (α) infantes sine ullo peccati originis uinculo nasci: Peccatum originis figmentum Augustini dixit: (β) contendit, hominis arbitrium ante regenerationem esse integrum, ita, ut is sine gratiae diuinae auxilio possit sese ad DEVM conuertere, et legem DEI etiam implere. (γ) Homines non natura, sed imitatione malorum fieri peccatores, quando primorum parentum exempla imitarentur: Gratiae auxilium ad hoc tantum requiri, ut facilius peccata caueri possint. Vid. AVGVSTIN. *Epist. CVI.* Inde uero plures enati errores, quos AVGVSTINVS *libris de Gratia et Lib. Arbitrio, de Natura et Gratia*, et PROSPER AQVITANICVS, impugnarunt et confutarunt. *Pelagii* partes tutabantur *Caelestinus* et *Iulianus.* Vid. AVGVSTINVS *de Haeres. c. LXXXIX.* Ex his porro exorti *Semipelagiani*, qui et *Massilienses* ab urbe in Gallia Massilia dicti sunt. Haeresis huius ortum et progressum G. 10.

VOS-

VOSSIVS, HENR. de NORIS *Lib. de Hiſtoria Pelagiana* fuſe ſatis deſcripſerunt. Ante hos, eius progreſſum in Scholis pontificiorum b. CHEMNITIVS *in Examine Concil. Trident. de Peccato originis et libero Arbitrio* iam oſtenderat.

§. 32. NESTORIANIS nomen fecit *Neſtorius*, Syrus, Praeceptori *Theodoro Mopsueſteno* uſus, Archi-Epiſcopus Conſtantinopolitanus factus, uir natura εὔφωνος καὶ εὐλάλος, ſed parum doctus, ſuperbus tamen. Vid. SOCRAT. *Lib. VII, Hiſt. Eccleſ. c. 29 et 32*, EVAGR. *Lib. I, c. 2*, VINCENT. LIRINENS. *Commonit. c. XVI.* Hic ab *Anaſtaſio* Presbytero ſuo forte ſeductus (conf. EVAGRIVM *Lib. I, c. 2,*) negauit, *S. Mariam* uirginem Θεοτόκον eſſe dicendam. Vnde *Cyrillus Alexandrinus* eum χειρόλυσιν introducere, ac unionem et communionem naturarum in Chriſto negare arguit. Qui illi XII *Anathematiſmos* oppoſuit, quibus totidem uicißim *Neſtorius* repoſuit. Inde tandem ipſe in *Synodo Epheſina* haereſis conuictus damnatus fuit. Conf. THEODORET. *Lib. IV, Fab. Haeret. c. 12.* Multae hinc inter *Cyrillum Alexandrinum* et *Theodoretum* lites exortae.

§. 33. EVTYCHIANI nomen indepti ab *Eutyche*, Monacho ſeu Archimandrita Conſtantinopolitano, qui circa An. Chr. CCCCXLVIII *Neſtorii* haereſin impugnaturus, in errorem huic contrarium prolapſus, docuit Chriſtum quidem eſſe *ex duabus* naturis, ſed non *in duabus*: h. e. duas fuiſſe ante unitionem naturas; unicam uero unius in alteram naturae conuerſionem factam eſſe. LEO I *Epiſt. XIII, et XV, ad Pulcheriam Auguſtam* data teſtis eſt, eum non ex uerſutia, ſed imperitia magis peccaſſe. Quia tamen errorem pertinaciter defendere conniſus eſt, in *Concilio Chalcedo-*

cedonensi An. CCCCLI cum *Dioscoro* damnatus et in exilium electus fuit. Absoluerat quidem illum Synodus Ephesina ἡ λῃστρικὴ dicta An. Chr. CCCCXLIX, coactis subscriptionibus (manu armata) Mox tamen noua certamina exorta, quae *Zeno* imperator postea publicato ἑνωτικῷ componere laborauit, reclamantibus Romanae sedis Episcopis, *Simplicio* et *Felice*. Vid. *Gesta de nomine Acacii, et Concil. Tom. IV, fol. 1079, seqq.* et EVAGR. *Lib. III, c. 14, et Lib. I, c. 9, 10, Lib. II, c. 1, seqq.* THEODORET. *Fab. Haeret. Lib. IV, in fine.*

§. 34. Ex ista haeresi *Eutychiana* postea orti sunt *Iacobitae*, a *Iacobo* Syro obscuri generis homine, qui *Eutychi* errorem amplexus, illum in Aegypto et Oriente disseminauit. Vnde Eutychiani appellati tum *Iacobitae*, tum *Monophysitae*. Quibus opponitur nomen *Malchitarum*, qui Imperatoris fidem in Synodo Chalcedonensi assertam amplectentes ab illis dissentiebant.

§. 35. *Propagines* dictae haeresis etiam sunt *Monotheletae*, qui duas in Christo uoluntates negantes, ἓν θέλημα καὶ μίαν ἐνέργειαν in Christo statuerunt. Vid. PHOTII *Biblioth. Cod. XIX*, et PHILASTRII *Supplem. Catal. Haeret. p. m. 108.* Hinc et *Theopaschitae* orti, qui diuinitatem ipsam unigeniti Filii DEI cruci affixam et in sepulchro collocatam fuisse, finxerunt. Autor eius *Petrus Gnapheus*, siue *Fullo*, Episcopus Antiochenus, fuit, qui τρισαγίῳ ad uerba, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, intrusit, ὁ σταυρωθεὶς δι ἡμᾶς, intelligens ipsam diuinitatem Christi. Huic sese acriter opposuit *Felix II*, circa annum Christi CCCCLXXXIII. Vid. BARONII *Annal. ad hunc annum*, prolixe. Eutychianis ortum suum postea etiam debuerunt *Acephali*, qui

cum

cum neque Episcopo suo, *Petro Mogo*, Eutychiano alias, sed qui Henoticum *Zenonis* receperat, amplius adhaererent; neque cum Catholicis facerent, *Acephali*, quasi *capite carentes* appellati sunt. Conf. BARON. *ad an. CCCCLXXXII.*

§. 36. *Praedestinatiani*, seu *Praedestinati*, ab errore dogmatis nomen habentes statuerunt, DEVM ante praeuisum primi hominis lapsum, quosdam ad aeternam uitam, quosdam uero ad damnationem praedestinasse. Huius erroris sane grauissimi autor fuit *Lucidus*, Presbyter, cui *Faustus Rhegiensis* hac de causa anathema dixit, quod affirmasset, eum, qui periit, non accepisse, ut saluus esse possit; uas contumeliae non posse assurgere, ut sit uas in honorem, etc. Vid. *Epistolam* FAVSTI apud BARONIVM *ad annum CCCCXC, n. 18.* Errorem hunc superiori aeuo resuscitauit *Caluinus*. Ansam illi duriores quasdam *Augustini* locutiones, cum de natura et gratia loqueretur, dedisse, certum est. Vid. IAC. SIRMONDI *Praedestinatum*, et NATAL. ALEXANDRI *Hist. Eccl. Sec. V, P. II, Diss. V.*

§. 37. *Schisma* etiam Romae *Laurentium* inter et *Symmachum*, post obitum Papae *Anastasii* an. Chr. CCCCXCIIX exortum. Nam *Symmachus* in Basilica Constantinopolitana in eius locum electus, Antipapam *Laurentium* in Basilica Mauritiana creatum expertus est. Ex quo dissensu inter Clericos et Senatores Romae dissidia et caedes exortae. Pro *Symmacho* tandem *Theodoricus*, Rex Gothorum, ad quem lis illa delata fuerat, pronunciauit, habitis hac de causa frequentibus Episcoporum Synodis. Vid. BARON. *ad annum Christi* CCCXCIIX, et AMMIAN. MARCELL. *Lib. XVII, cap. III.*

§. 38.

§. 38. *SYNODOS et CONCILIA* hoc Seculo frequentissima fuisse, ex *Tomis Conciliorum* per-est notum. Saepius Carthagine, Mileui, Cirtae in Numidia, Dioſpoli in Palaestina, et Romae, propter haeresin Pelagianam Episcopi conuenerunt; nec tamen extinguere illam ualuerunt. Toleti etiam in Hiſpania, Andegaui et Turonii in Gallia Episcoporum et Presbyterorum congregationes factae sunt ad disciplinam Ecclesiasticam rectius ordinandam.

§. 39. Nos hic tantum duo *Concilia Oecumenica*, EPHESINVM et CHALCEDONENSE, memorabimus. Ac quod EPHESINVM attinet, illud *Theodoſius Iunior*, Imperator *Epheſi*, anno Christi CCCCXXXI, missis literis ad Praecipuos Orbis Episcopos, conuocauit: ut *Neſtorii* haeresis nouiter sparsa examinaretur et damnaretur. In hoc cum *Neſtorius* in conſeſſu Episcoporum comparere et respondere detrectaret, subinde blasphemas uoces repetendo: ego *bimeſtrem et trimeſtrem Deum non dico*; ob pertinaciam erroris ab Episcopis CC condemnatus fuit. Vid. SOCRAT. *Lib. VII, cap. 29 et 32*, EVAGR. *Lib. I, cap. II, ſeqq.* THEODORET. *Lib. IV Hiſt. Eccl.* Acta huius Concilii *Tom. III* exhibentur. Canones in eo VIII *conditi.* Vid. BEVEREGII *Synod. Tom. I.*


§. 40. *Alterum Oecumenicum* huius seculi (quod alias *quartum* dicitur,) *Marcianus*, Imperator, *Chalcedone*, quae est Bithyniae ciuitas, an. Chr. CCCCLI ob haeresin *Eutychianam* indixit. Conuenerunt eo DCXXX Patres, uid. LIBERATI *Breu. cap. XIII.* Hi Eutychis haeresi examinata eam cum Neſtoriana damnarunt, et contra confusionem naturarum in Christo ab illo assertam, Symbolis prioribus addiderunt: ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως,

χύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον. Vid. EVAGRII *Hist. Eccl. Lib. II, cap. III*, et *Tom. IV Concil.* Canones de disciplina et ordine Clericorum XXIIX in eo conditi sunt. Quorum ultimus *de aequalibus honoris priuilegiis* cum Romano, Archi-Episcopo Constantinopolitano concessis, a parasitis Romanensibus in dubium, sed frustra, uocatur. Vid. BEVEREG. *Synod. Tom. I.*

§. 41. Cum post memoratum iam Concilium Chalcedonense Eutychiani uarias turbas excitarent, *Zeno*, Imperator Constantinopolitanus, impulsu *Acacii*, ἑνωτικὸν, seu *Epistolam pacificatoriam* an. Chr. CCCCLXXXIII publicauit, in qua fides orthodoxa ex Symbolis et XII Anathematismis *Cyrilli* repetita et confirmata fuit; licet nominatim Chalcedonense Symbolum non exprimeretur. Illi subscripserunt quatuor sedium Patriarchalium Archi-Episcopi, ut pax et concordia restitueretur. Vid. EVAGRII *Hist. Eccl. Lib. III, 14, 20*, VALESII *in hunc not.* Iniqua in *Zenonem* censura apud BARONIVM *ad an. Chr.* CCCCLXXXII, *num. 26, seqq.* legi potest.

§. 42. Quod *REGIMEN ECCLESIASTICVM* attinet, hoc seculo paulatim τύπον regiminis ciuilis induere coepit; cum Patriarcharum, Primatum, Archi-Episcoporum, Exarchorum, splendida nomina ambitionem Episcoporum stimularent; ut iam de primatu et dominatu certare occoeperint. *Throni* etiam Patriarchales quinque constituti fuerunt, nomen a praecipuis imperii urbibus habentes, *Romanus*, *Constantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Antiochenus*, et *Hierosolymitanus*, uid. *Can. XXIIX Concil. Chalced.* et SALMASII *Libr. de Primatu.* Ac licet Imperatores Christiani nondum ius suum circa sacra et Religionem

in



in Clerum transtuliſſent; (quod conuocationes Synodorum et conſtitutiones Eccleſiaſticae hoc aeuo ab *Arcadio*, *Honorio*, *Theodoſio Marciano*, *Zenone*, et *Anaſtaſio* factae probant. Conf. SOCRATEM *in Prooemio Lib. IV Hiſt. Eccl.*) Romani tamen Praeſules *faſtum* iam prodere ſuum coeperant. *Leo I Petri ſedem* extollere, *uniuerſalem* ſe Epiſcopum quandoque appellare, ſuperbeque agere non dubitauit. Cuius typhum Edictum *Valentiniani III*, Imperatoris, an Chr. CCCCXLV pro eiusdem *Primatu* promulgatum confirmauit. *Simplicius*, *Felix* et *Gelaſius* iam pro imperio decernere, ſibi ex muneris amplitudine licitum arbitrabantur. Faſtum et *luxum* horum animaduertit AMMIAN. MARCELLINVS *Lib. XXVII*, *cap. 3.* Non uacat hic motus per Epiſcoporum ambitionem et certamina excitatos recenſere.

§. 43. *DISCIPLINAM* hoc aeuo laxiorem fuiſſe, tum ex canonibus hac de cauſa in Synodis diuerſis compoſitis, tum ex Cleri uitiis inualeſcentibus colligi poteſt. *Chryſoſtomus* certe illa paſſim *in Homiliis* notauit, et Sacerdotes *ſecundum leges uiuere* iuſſit apud THEODORETVM *Lib. V*, *cap. 18*, inprimis autem miniſtris Eccleſiae grauiſſime inculcat, ne indignos, quos norunt, ad S. Euchariſtiae uſum admittant. Vid. *Homiliam eius LXXXVIII in Matth f. m. 705, ſeqq.* Conf. SOZOMENVM *Lib. IIX, cap 4.* *Confeſſio peccatorum publica* ſub *Leone I* in *priuatam* mutata, ut peccatores confitentes melius erudiri poſſent, id quod ad diſciplinae melioris uſum facit.

§. 44. Veteri Chriſtianorum ſimplicitate, per nouos ſeculi mores, uelut antiquata, *RITVS* et *CEREMONIAE* nouae magis inualuere. Ieiunium quadrageſimale ſancte obſeruarum fuiſſe, ex *Maximi Tau-*

rinenſis Epiſcopi *Homiliis* de eo ſcriptis apparet, uid. DALLAEVM *de Ieiun.* Hiſtoriam Paſſionis CHRISTI quotannis in templis recitatam fuiſſe ex CHRYSOSTOMI *Homil. LXXXVIII in Matthaeum* conſtat. Conciones ex ſuggeſtu uel umbone factas SOCRATES *Lib. VI, c. 5*, et SOZOMENVS *Lib. IIX, c. 5*, memorant. His finitis publicae preces ſubiunctae ſunt, teſte CHRYSOSTOMO *III et IV de Incomprehenſibili DEI nat.* Morem pſallendi per Antiphona, id eſt, choros alternatim ſibi ſuccinentes, *Chryſoſtomus* Conſtantinopoli primum inſtituit, teſte SOCRATE *Lib. VI, c. 8*, SOZOM. *Lib. VII, c. 8.* Litaniarum et ſupplicationum in templis uſum, reſpondente populo, κύριε ἐλέησον, hoc ſeculo fuiſſe, ex NICEPHORI *Lib. XIV, c. 3*, colligimus. Preces pro defunctis factae ſuperſtitionem de *Purgatorio* excitarunt, de quo *Auguſtinus* iam *in Enchiridio ad Laurentium* loquitur. De oblationibus pro dormientium Spiritibus collatis uid. AVGVSTIN. *Epiſt. LX.* Caeterum pompam in funerum deductione iam uſitatam, CHRYSOST. *Homil. IV in Cap. II Hebr.* et *Homil. LXI*, reprehendit, addens: *Perditus, ſi in funere uniuerſam habuerit ciuitatem, nihil lucrabitur.* Conf. AVGVST. *de Ciu. DEI Lib. I, c. 12.* Qui etiam *Epiſt. CXIX ad Ianuarium* de auctо nimis ceremoniarum numero conqueſtus eſt. Conf. *Magdeb. Centur. V, c. 6.* Monachatus incrementa in Oriente et Occidente hoc aeuo facta paſſim notantur. Monachi Acoemetae inprimis hoc ſeculo celebres ita dicti, quod in tres claſſes diuiſi, ſibique inuicem ſuccedentes, diuina officia nullo interpoſito interuallo, nocte dieque celebrarent. In horum uſum plurima Conſtantinopoli ~~monaſteria~~ coenobia conſtructa ſunt, praecipue celeberrimum illud, quod *a Studio,*

Studio, qui consul fuerat, An. CCCCLVI *Studii* nomen traxit. Hi monachi haeresi Nestorianae fauebant. Vid. GVIL. CAVE *Hist. Lit. f. 281.*

§. 45. *PERSECVTIONES* quidem *uniuersales* hoc aeuo Ecclesiam non exercuerunt; Fuerunt tamen particulares sat graues. Non referam de persecutione, quae *Ioh. Chrysostomum*, quae *Flauianum* Constantinopolitanum, in Synodo λῃστρικῇ, quae *Acacium*, quae *Hilarium* Arelatensem, et alios pios uiros, afflixit: sed quae integras Ecclesias pressit, et tantum non oppressit.

§. 46. Huc spectat *Persecutio Vandalica*, qua Christianos *Genserico*, Rex Vandalorum, Arianus in Africa Anno Christi CCCCXXXVII afflixit, occupata Carthagine. De qua uidendus VICTOR VTICENSIS *Lib. I, de Persec. Vandal.* Illius crudelitatem filius *Hunnericus*, Rex Vandalorum, continuauit. Conf. GREG. TVRONENS. *Lib. II de Gestis Franc.* *Gothi*, *Heruli* et *Hunni* Italiam et uicinas regiones inuadentes ac deuastantes, Christianos simul diuexarunt, quod ab ipsorum morum barbarie dissentirent. Nam et *Alaricum*, Regem Gothorum, *Odoacrum*, Regem Herulorum, et *Attilam*, Hunnorum, *Flagellum DEI* dictum, in Christianos passim saeuiisse, annales illorum temporum loquuntur. De *grauissima* Christianorum *in Persia persecutione*, quam regnante *Isdigerde* Anno Christi CCCCXX sustinuerunt, THEODORETVS *Lib. V. Hist. Eccl. c. 39*, memorat. Conf. *Magdeb. Cent. V, c. 3.*

§. 47. *MEMORABILIA* huius aeui dixeris Imperium *Arcadium* inter et *Honorium* diuisum, quorum ille in *Oriente*, hic in *Occidente* imperarunt: sed *Occidentale* imperium An. Christi CCCCLXXV extinctum

fuit: Imperium Attilae tanquam latronis gentium, bella seu latrocinia potius et mors subita. Vid. IAC. GOTHOFREDI *Commentar. Eudoxiae* Augustae documentum humilitatis, quo *Seuerianum Ioh. Chrysostomo* conciliauit, apud SOCRATEM *Lib. VI, c. 11. Codex Theodosianus, Theodosii Iunioris auspiciis* an. Chr. CCCCXXXV publicatus. Rei literariae sub Imperio *Theodosii* laudati incrementa uid. *Cod. Theodos. Lib. XIV, tit. 9, de Stud. Liber.* Historia, an fabula de ampulla Rhemensi cum S. chrismate per columbam rostro delata, quum *Clodouaeus* per *Remigium* baptizandus esset, cuius generis miracula et prodigia *Magdeburgenses Cent. V, c. 3*, plura commemorant. Verior est historia de Pseudo-Mose, Iudaeo impostore in insula Creta, qui Iudaeis reditum in Palaestinam per exsiccatum mare promiserat apud SOCRAT. *Lib. VII, c. 38.* Addi possunt piae et eruditae foeminae hoc aeuo illustres, *Pulcheria* et *Eudoxia* Augustae, *Proba Falconia* Romana, *Hypatia*, Philosopha Alexandrina, et *Eustochium* Paulae Romanae filia apud *Hieronymum.*

§. 48. Si *Iudicium* hic subiiciendum, dignum maxime notatu est, quod diabolus, qui superioribus seculis per haereticos famosos CHRISTI diuinam et humanam naturam impugnarit; hoc seculo naturarum in CHRISTO unionem hypostaticam per *Nestorium* et *Eutychem* conuellere, per *Pelagium* uero CHRISTI satisfactionem et meritum, tollendo gratiam, destruere molitus sit. Adeo CHRISTVS diabolo inuisus semper fuit. Notanda etiam Episcoporum inter se certamina, quae ad crudelitatem usque progressa sunt, ut Synodus λῃστρικὴ, seu praedatoria, testatur. Aliquos etiam uitia, quae rebus secundis obrepere plerumque solent, ualde agitarunt. *Constantinus*

tinus M. Ecclesiae splendorem externum additurus, non tantum templa magnifice exstrui curauerat, sed et ut clericis latius prospectum esset, fundos et praedia donauerat, quae in uita *Syluestri* enumerat *Anastasius* Bibliothecarius, et ex ea Platina. Hinc προσασία in Ecclesia olim non admodum desiderata, iam non sine animae periculo, imo caede et sanguine ambiri coepit. Quod *Ammianus* miles quondam et Graecus *Lib. XXVII, c. 3*, testatur. Inde Episcopi Romani dilatandarum suarum fimbriarum et potestatis in exteras Ecclesias usurpandae ita cupidi et studiosi facti, ut causas Africanas per appellationes Romam deferri ibique decidi, *Zosimus*, *Bonifacius* et *Celestinus* satagerint. Quanquam sedes Constantinopolitana a Synodo Chalcedonensi *Can. XXIIX*, τὰ ἴσα πρεσβεῖα *aequalia* cum ueteris Romae Episcopo priuilegia accepit. *Zenonis Augusti* Ἑνωτικὸν exemplo etiam esse potest, formulas pacificatorias non semper in Ecclesia tollere dissidia. Id, quod *Petri Moggi*, (uel *Mongi*) et *Petri Fullonis*, qui illi subscripserunt, exempla docent. Non praetermittenda hic quoque diuina iudicia, quibus populi sui peccata, immissis barbaris gentibus inprimis Vandalis, Gothis et Hunnis grauiter ultus est, Roma etiam superba orbis Domina illis subiecta. *Prouidentiae* huius diuinae argumenta insigniter AVGVSTINVS *de Ciuitate DEI*, OROSIVS *Hist.* et SALVIANVS *de Prouidentia et Gubernatione DEI*, pertractarunt.

PERIODVS II

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT III

DE

SECVLO VI CHRISTIANO

§. 1.

Sextum Seculum, cuius res Ecclesiasticas strictim enarrare pergemus, ob factiones Eutychianorum ualde turbulentum fuit; rupta tam in Occidente, quam Oriente Ecclesiae pace, miserequе labefactata fide Christiana. Quae tamen inter istas turbas ad peregrinas gentes *Mengrelianas*, (tunc *Lazica* regione nominatas) *Homeritas*, *Aethiopes*, *Armenos*, *Anglo-Saxones*, latius propagata fuit. Vid. *Magdeb. Cent. VI, c. 2*, HOTTINGERI *Historia Sacra* huius seculi *cap. VI, sect. I.*

§. 2, Caeterum si seculum hoc cum duobus antecedentibus contendas, sterile ob inopiam praestantium *SCRIPTORVM* et *DOCTORVM*, ingruente quippe magis magisque barbarie, censeri debet.

§. 3. Inter *Latinos* Scriptores celebriores fuerunt (1) *Fulgentius* Afer, *Augustini* discipulus, Episcopus Ruspensis, cum *Fulgentio Ferrando*, qui *Breuiationem Canonum Ecclesiasticorum* etiam hoc seculo conscripsit, non confundendus; uir doctrina et morum sanctitate insignis, qui aduersus Arianos, et multa alia scripsit, ut in operibus eius uidere est. (2) *Mar-*

cus

divinas lectiones hat er erst 536 gem. wenden Cons. Justin. diese den Justini an gestanden. Er benutzt also den Justinus aber anderen, wie sie diese 4 erst 6te Bü. gefüllt haben den Titel am Ende, da ist erst 5te geschrieben hat.

cus Aurelius Cassiodorius, Senator Romanus, autor est uariarum *Epistolarum Lib. XII.* Historiae *Ecclesiasticae Tripartitae* ab *Epiphanio* Scholastico, exceptae et Latine redditae primum, ac usque ad annum DXIX continuatae, it. *Chronici ad Theodoricum* Regem etc. uid. Opera eius a IO. GARRETO Rothomagi edita. (3) *Benedictus* Vmber, ob uitam monasticam anno DXL celebris, *Regulas Monachorum*, *Epistolas*, *Sermones* et *Sententias* reliquit, quae in *Biblioth. PP. Tom. IX* exstant. (4) *Dionysius Exiguus*, Abbas Romanus, *Collectionem* siue *Codicem Canonum Ecclesiasticorum*, item *Decretorum Pontificiorum Rom. a Siricio ad Anastasium II*, *Cyclum Paschalem*, et alia reliquit opuscula. (5) *Facundus* Hermianensis, in Africa Episcopus, *Trium Capitulorum* defensor acerrimus, pro quibus *Libros XII ad Iustinianum* Imperatorem scripsit. Opera eius Parisiis edita prostant. (6) *Arator*, gente Ligur, Orator et Poëta Christianus, *Actus Apostolicos* carmine epico expressit. (7) *Victor*, Episcopus Capuanus, *Ammonii Harmoniam Euangelicam* Latine uertit, *Catenam in quatuor Euangelia* consarcinauit. (8) *Primasius*, gente Afer, Adrumeti Episcopus, *Commentar. in Epistolas S. Pauli*, *in Iohannis Apocalypsin*, et *de Haeresibus Lib. III ad Fortunatum* Episcopum reliquit. (9) *Liberatus*, Ecclesiae Carthaginensis Archi-Diaconus, *Trium Capitulorum* defensor, *Breuiarium* (sic enim historiam suam Nestorianam et Eutychianam appellat,) a GARNERIO cum *notis* et *dissertationibus* editum Parisiis composuit. (10) *Venantius Honorius Clementianus Fortunatus*, Pictauiensis Episcopus, *Poëmata* uaria, *Epistolas* et *Vitas Sanctorum* conscripsit. (11) *Georgius Florentius Gregorius*, Archi-Episcopus Turonensis, *Historiam* siue *Annales*

Francicorum, *Lib.* X *de Gloria Martyrum et Confessorum* et alia scripsit. Vid. *Biblioth. PP. Tom. XI.* (12) *Gregorius I*, *Magnus* a rebus gestis dictus, Episcopus, seu Pontifex Romanus, uir pietate et eruditione pro captu huius aeui insignis, multa scripsit, quae coniunctim uariis locis edita prostant. (13) *Isidorus Iunior*, Hispalensis dictus, inter eruditiores huius aeui scriptores referendus, *Chronicon*, *Historiam Gothorum*, *Vandalorum* et *Sveuorum*, *Lib. XX Originum*, et alia scripsit. Opera eius coniunctim edita Parisiis et Coloniae prostant. (14) Addimus Philosopho Theologum, *Anicium Manlium Torquatum Seuerinum Boëthium*, siue *Boëtium*, Romanum, qui in carcere *Libros V de Consolatione Philosophica* non tantum scripsit; sed etiam de TRINITATE et aduersus *Eutychen* ac *Nestorium*. Denique agmen claudat *Iornandes* siue *Iordanus*, gente Gothus, Episcopus Rauennatensis, qui de *Rebus Geticis*, siue *Historiam Gothorum*, item *de Regnorum et Temporum successione* scripsit. Vid. VOSSIVM *de Histor. Latin. Lib. II*, *c. 20.*

§. 4. Inter *Graecos* collocamus (1) *Seuerum*, Patriarcham Antiochenum, multarum *Epistolarum*, *Homiliarum* et *Commentariorum* in sacram Scripturam, qui in *Catenis Graecis* allegantur, autorem. (2) *Theodorum*, Ecclesiae Constantinopolitanae lectorem, qui *Libros Historiae Ecclesiasticae* collegit, a ROB. STEPHANO et H. VALESIO editos. (3) *Procopium Gazaeum*, Sophistam, qui *Commentaria in Pentateuchum*, *Scholia in Lib. IV Reg.* et alia ἐξηγητικὰ reliquit. (4) *Simeonem*, *Stylitem* ab habitaculo, *Iuniorem* ab aetate dictum, de quo uide *Euangelium Lib. V*, *c. 21*, et LEON. ALLATIVM *Diatrib. de Simeonum scriptis.* (5) *Procopium Palaestinum*, Sophistam seu Rhetorem, qui de *Bello Persico*,

16) Junilius (ein B. in Italien) (ein wegen seiner redlichen Frömmigkeit und Denkart schätzbarer Mann). Er hat Bücher de partibus div. legis geschrieben. Mißbrauch [illegible] setzt ihn mit Unrecht in das 6te Sec. d. num. 2. [illegible] 8. Er hat sich einen eigenen Ruhm gemacht, der von den H. [illegible] Carth. [illegible] [illegible].

12) Moralis in Johannem [illegible] [illegible] zu Constantinopel [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Leander, B. zu [illegible] [illegible].

13) Isidorus B. von Sevilla, ein [illegible] [illegible], dem Gregor. Mag. s. Comment. über Hiob zugeschrieben. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] erhält ihn [illegible] [illegible] den alten gelehrten [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible].

sico, Vandalico et Gothico, item *Historiam Arcanam Iustiniani* et *Theodorae Augustae* scripsit. MALTRETVS opera eius Parisiis publicauit. (6) *Anastasium Sinaitam*, Patriarcham Antiochenum, qui ὁ ἡγὸν, siue *Ducem uiae*, aduersus Acephalos et alia opuscula reliquit. Vid. CAVE *Histor. Liter. p. 419.* (7) *Iohannem Scholasticum, Climatum a Libro*, quem scripsit, dictum, Abbatem in monte Sina, qui *Scalam Paradisi* et *Librum ad Pastorem* reliquit. Cum quo non confundendus *Iohannes Scholasticus*, Syrus, qui *Collectionem Canonum* et *Nomocanomen*, ac alia opuscula, a IVSTELLO *in Biblioth. Iur. Canon.* allata conscripsit. (8) *Eulogium*, Patriarcham Alexandrinum, qui *Homiliam in Ramos Palmarum*, et *Elenchtica* opuscula apud *Photium* allegata reliquit. (9) *Iohannem Capadocem*, ab abstinentia Νηστευτὴν, seu *Ieiunatorem* dictum, qui de *Pseudo-Prophetis*, de *Poenitentia* et *Ascetica* scripsit. Vid. CAVE *Hist. Lit. p. 427.* (10) *Leontium Byzantinum*, Monachum, qui de *Sectis*, item *aduersus Eutychianos et Apollinaristas, et alios libellos*, composuit. Vid. VOSS. *de Histor. Graec. Lib. IV, c. 8. Leontius* autem *Neapoleos Apologiam pro Christianis aduersus Iudaeos* adornauit. (11) *Euagrium Scholasticum*, autorem *Histor. Eccl. Lib. VI*, quam ab anno Christi CCCCXXXI, ad annum Christi CCCCXCIV, perduxit.

§. 5. *DOCTRINA PVBLICA* tum ex Symbolis, Apostolico, Nicaeno, Constantinopolitano et Chalcedonensi, tum ex Canonibus Conciliorum et Constitutionibus Iustinianaeis, tum ex *Fulgentio, Facundo Hermianensi, Primasio* et *Gregorio I*, inprimis repetenda est. Sed *Chalcedonensis Symboli* doctrina ab Eutychianis et horum assecIis diuersa nomina sortitis uarie

rie impugnata, et accedentibus superstitiosis ritibus contaminata fuit. Nam cultus Sanctorum, praecipue *S. Mariae τῆς Θεοτόκου*, S. Crucis et imaginum increuit. Festa noua *Purificationis*, *Annunciationis S. Mariae*, festum *Natalis S. Iohannis*, consecrationes templorum, *Missae* super defunctis, *Missatici Canones*, reliquiarum Sanctorum cultus, et alia ceremoniarum pompa primis seculis ignorata, hoc aeuo instituta uel aucta leguntur: ita, ut noua sensim Christianismo facies inducta fuerit. De quibus *Liturgiae* et *Gregorii M. Opera* testantur. Conf. *Magdeburg. Centur. VI, cap. 4 et 6.*

§. 6. Puritatem *doctrinae* non tantum superstites adhuc ueterum *haereticorum* errores Manichaeorum, Donatistarum, et in primis haeresis Ariana adhuc late regnans infecerunt. Nam Gothorum Reges in Italia, in Africa Vandali, in Hispania Wisigothi et Sueui Arianismum fouebant; et in Oriente etiam Episcopi ab hac labe non omnes fuerunt immunes. His accesserunt Nestoriani et in primis Eutychiani, in nouas familias seu sectas disgregati.

§. 7. *Eutychiani* uel *Eutychetae* praecipui huius aeui haeretici sunt, qui cum autore sectae suae naturas duas in Christo confundentes, statuerunt ita assumtum fuisse hominem, ut post adunationem humana natura in Christo uelut absorpta fuerit. Admittebant Christum ex duabus naturis consistere, *in duabus uero, post unionem, minime.* Huic sectae *Anastasius* Imperator, *Zenonis* successor, ipse addictus fuit. Vid. EVAGR. *Hist. Eccles. Lib. III, cap. 29, seqq.* P. DIACON. *Hist. Miscell. Lib. XV.* ZONAR. *Tom. III*, sub *Anastasio*, *Dioscoro et Nicephoro Lib. XVI, cap. 35.*

§. 8.

§. 8. Ex dicta iam *haereſi* plures ſurculi uel rami peſtiferi progerminarunt aliis nominibus appellati, ut ſupra memorati *Acephali* anno DXXVI, teſte *Sigeberto*, exorti. Qui cum ſententiam concilii Chalcedonenſis contra *Eutychem* latam impugnarent, et eorum *caput* ignorarentur, dicti ſunt *Acephali*, quaſi *capite carentes*. Quos *Ruſticus* diaconus in primis refutauit. Extat eius *Diſputatio aduerſus Acephalos in Biblioth. PP. Tom. X, fol. 349.*

§. 9. Cum *Acephalis* faciebant *Seueritae*, a *Seuero* per *Iuſtinum II* Imperatorem ſede Antiochena expulſo, et in Aegypto Eutychianiſmum ſpargente appellati. Vid. EVAGR. *Lib. IV, cap. 4*, et ZONARAM *Tom. III ſub Iuſtino Thrace.* Illi fauerat *Theodora*, *Iuſtiniani* Imper. Vxor, quae perſuaſit marito, ut reuocaretur, teſte EVAGRIO *Lib. IV, cap. 10*, mox tamen iterum eiectus et damnatus fuit. Conf. NICEPHORVM *Lib. XVII, cap. 29.*

§. 10. Ab his ortum traxere *Aphtartodocetae* ſeu *Incorrupticolae;* ita appellati, quod negarent, humanam naturam in Chriſto ante paſſionem, paſſionibus naturalibus ſuiſſe obnoxiam; ſed, aeque, ut poſt reſurrectionem, fuiſſe incorruptibilem, h. e. paſſionibus humanis non obnoxiam. Vid. *Magdeburg. Cent. VI, cap. 5, fol. 306, ſeqq.*

§. 11. Inde *Theopaſchitae*, quod diuinitatem ipſam in Chriſto paſſam ac mortuam eſſe, traderent: Vid. NICEPHORVM *Lib. XVIII, cap. 51. Monophyſitae*, quod unam in Chriſto naturam ſtatuerent. Vid. NICEPHORVM *Lib. XIIX, cap. 48 et 50*, orti. Immo et *Monotheletae* ſupra iam allegati, qui unam tantum in Chriſto uoluntatem credebant, uid. *Supplementum Catal. Haeret. Philaſtrii pag. 108.* Qui et *Monergitae* appel-

appellati, quod et unam ἐνέργειαν in Christo statuerent. Vid. PHOTII *Biblioth. Cod. XIX.*

§. 12. Circa medium huius seculi in Aegypto innotuerunt *Agnoëtae*, docentes, τὸν λόγον in Christo quidem omnia nouisse, humanitatem uero illi unitam permulta ignorasse, uid. SPONDANI *Epitom. Annal.* BARON. *ad annum Christi DXXXV, num. 10, et annum DLXIII.* Qua ratione errorem a Nestorianis hausisse, uerisimile est. Si autem, quod alii uolunt, negarunt, Christum secundum Deitatem diem iudicii extremi ignorasse, Eutychianis accensendi ueniunt. Vid. NICEPH. *Lib. II, cap. 30, et Lib. XIIX, cap. 45.*

§. 13. *Iacobitae* a *Iacobo* quodam Syro, *Seueri* et *Gnaphei* discipulo dicti, Nestorianam haeresin in Oriente propagarunt. Vid. NICEPHOR. *Lib. XIIX, cap. 52*, et EVTYCHII *Annal.* His *Melchitae* opponuntur, qui concilium Chalcedonense et Imperatoris decreta tuebantur.

§. 14. De reliquiis superiorum temporum haeresium, ut MANICHAEORVM, THEODORVS LECTOR *Lib. II*, et PAVLVS DIACONVS *Lib. XV, Hist. Misc.* agunt. ORIGENISTARVM, qui damnatorum poenas finem habituras asserebant, GREGORIVS M. *in cap. XLI Iobi*, et EVAGRIVS *Lib. IV, cap. 38*, de DONATISTARVM erroribus nondum extinctis, GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. V, Hist. cap. 44*, memorant, conf. *Magdeburg, Cent. VI, c. 5.*

§. 15. Plurima hoc aeuo *CONCILIA* habita leguntur, sed unum tantum *Oecumenicum*, quod ordine *quintum* fuit. Hoc Imperator *Iustinianus* in urbe regia *Constantinopoli*, ex plurium sententia, anno Christi DLIII conuocauit: ut repullulantes Origenista- aliorum multorum DLI.

rum

rum controuersiae et litigia, de *Tribus Capitulis*, ex controuersiis Nestorianis enata, componerentur. Cui *Vigilius* Papa, licet praesens Constantinopoli, ob contentionem cum Episcopo Constantinopolitano de *Primatu* interesse noluit. In eo *Eutychius*, Patriarcha Constantinopolitanus, Mennae successor, praesedit, praesentibus Episcopis CLXV, qui fidem IV Conciliorum oecumenicorum ante habitorum confirmarunt, *Theodori Mopsuesteni* libellum ceu blasphemum, *Theodoreti* scripta Nestorianismo fauentia, et Epistolam *Ibae* ad Marin Persam, quippe Nestorianum, quae coniunctim sumta, *Tria Capitula* uocabantur, damnarunt. Deinde anathematizarunt *Origenis*, *Arii*, *Macedonii*, et aliorum errores, quae omnia octo sessionibus seu collationibus acta sunt.

§. 16. Quod autem *Tria* illa hoc aeuo decantata *Captula* attinet, paucis de origine illorum notandum est: quod damnato in Concilio Ephesino *Nestorio*, apud SOCRATEM *Lib. VII, c. 34*, patroni Nestorianismi *Libellos tres* in uulgus sparserint, quibus *Nestorii* errores de Persona et Naturarum in Christo unione palliare et disseminare laborarunt; ne concrematis *Nestorii* Libris, simul haeresis eius extingueretur. Isti Libelli *Tria Capitula* dicebantur. Quorum *primum Theodori Mopsuesteni* in Cilicia Episcopi fuit: qui duas quidem in Christo naturas contra Eunomianos agnouit; sed quo simul duas personas statuere uidebatur; uid. PHOTII *Biblioth. Cod. 38, 81 et 117*. *Secundum* fuit *Theodoreti*, Cyri in Syria Episcopi, qui instinctu *Iohannis Antiocheni*, XII *Cyrilli Alexandrini* editos Anathematismos acri censura notauerat, *Nestorium* simul haud obscure defendens. *Tertium* fuit *Epistola Ibae*, Edesseni in Syria Episcopi, ad *Marin Persam*,

Theo-

Theodori discipulum, scripta, qua itidem *Cyrilli Alexandrini* XII Anathematismos contra *Nestorium* perstrinxit; contra uero *Theodorum* et *Nestorium* laudauit. Vid. LIBERATI *Breuiar. cap. XXIV*, EVAGRIVM *Lib. IV, cap. 38*, FACVNDI, *Hermianensis Ecclesiae Episcopi, Lib. XII ad Iustinianum Imperat. cum Iacobi Sirmondi Not.* NICEPHOR. *Lib. XVII, c. 26 et 27.*

§. 17. Caeterum finito isthoc Concilio, multa certamina inter *Vigilium* Papam et Orientis Episcopos exorta sunt; cum ille cum suis affectis hanc Synodum adprobare nollet. De quibus BARONIVS *Vigilii* partium studiosus multa, sed, sine teste, ad *annum Christi DLIII n. 224*, narrat.

§. 18. *Concilia particularia* tum in orientali, tum occidentali Ecclesia, in Gallia et Hispania inprimis habita recensentur in *Tom. IV et V Concil.* Quorum epitomen *Franc. Cariolanus* et *Caranza* in *Summa Conciliorum* exhibent. Spectant illa praecipue *disciplinam Ecclesiae*, quae aucto clericorum numero, et uitiis uariis inolescentibus iam ualde labefactari coeperat. Conf. *Magdeb. Cent. V, c. 9.*

§. 19. *ECCLESIAE REGIMEN* ad se pertrahere Patriarchae et Episcopi connitebantur: in primis autem *Romanus et Constantinopolitanus* Patriarchae siue Episcopi de *Primatu* in Ecclesia certabant. Vterque praerogatiua *Vrbis* nitebatur: ille *Veterem*, hic *Nouam* allegabat *Romam*. Hinc *Oecumenici* titulum Constantinopolitanus Episcopus sibi a *Iustiniano* in Codice et Nouellis tributum iactabat. Sed post *Pelagium II* ipsi maxime refragabatur *Gregorius M.* in Epistola ad *Gregorium Mauricium Augustum* CXCIV, diserte scribens: *Ego autem fiaenter dico, quisquis se uniuersalem Sacerdotem uocat, uel uocari desideret, in elatione*

elatione sua Anti-Christum praecurrit, quia superbiendo se caeteris praeponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille, qui Deus uideri uult super omnes homines; ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super caeteros sacerdotes se extollit, etc. Vid. *Tom. II Opp.* GREGOR. *edit. Basil. fol. 888.* Conf. eiusdem *Epist. XXXII*, et Decretum GRATIANI *Distinct. XCIX Canon. Eccles.* Interim alios Episcopos Romanos ab hac *Gregorii I* modestia longe abfuisse *Symmachum*, *Laurentium*, *Bonifacium II*, *Dioscorum*, *Syluerium et Vigilium*, eorum uitae et gesta loquuntur. Conf. etiam BARONIVM *ad annum Christi DXXXVIII.*

§. 20. *Ius* tamen *circa sacra* et *in clerum*, Imperatoribus Christianis hoc aeuo nondum ademtum fuisse, inter alia etiam Constitutiones Ecclesiasticae *Iustiniani* Imper. probant, etsi BARONIVS *ad an. Chr. DXXVIII, n. 11*, et parasitus Graecus Ecclesiae Rom. LEO ALLATIVS *de Perpet. Consens. Lib. I, cap. 25*, hac de causa laudatum Imperatorem fugillant. Conf. *Magdeb. Cent. VI, c. 7.*

§. 21. *CORRVPTAM* huius aeui *DISCIPLINAM* tum contentiones Episcoporum inter se, tum Canones Synodorum, ob emendanda cleri uitia conditi abunde testantur. *Ceremoniae* et *ritus* in sacrorum celebratione non tantum increuerunt; sed superstitionibus uariis etiam contaminati sunt. Collegerunt illos *Centur. Magdeb. Cent. VI, c. 6.* Patronus ceremoniarum in primis *Gregorius M.* fuit, qui ideo et *Pater ceremoniarum* appellatur. Referri huc possunt ordines Monachorum aucti *Benedictorum* a Benedicto Nursino appellati, *Apostolicorum*, *Gregorianorum*, de quibus *Hospinianus* consuli potest.

§. 22. Inter hos inteſtinos motus ſupra memoratos, Eccleſia non caruit *PERSECVTIONIBVS.* Quarum autores in Africa *Hunnericus*, Vandalorum Rex. Vid. PROCOPIVM *Lib. I Vandal.* et EVAGRIVM *Lib. IV, c. 14. Procopius* etiam *Theodorici*, Gothorum Regis, tyrannidem l. c. notat. Deinde *Hunnorum*, *Francorum*, *Longobardorum*, qui, Italiam inuadentes, et uicinas prouincias depopulantes, Chriſtianos uariis modis ſimul diuexarunt. In Oriente *Choſroes*, Rex Perſarum, etiam in Chriſtianos ſaeuiit: quod PROCOPIVS et EVAGRIVS *Lib. IV, cap. 25, ſeqq.* et *Lib. V, cap. 7*, teſtantur. Plura in *Magdeb. Centur. VI, c. 3*, de his perſecutionibus annotata legi poſſunt. Iudaei Samaritanis iuncti etiam in Chriſtianos ſaeuierunt. Vide ELMACINI *Hiſt. Sarac. p. 264.*

§. 23. *MEMORABILIA* huius aeui ita multa ſunt, ut compendium ea uix capiat. (1) *Aera Chriſtiana* a *Dionyſio* Abbate ordinata, anno Chriſti DXXXII publice in numerandis annis recepta. (2) *Theodorici*, Regis Gothorum, uiſo capite piſcis mirae magnitudinis appoſito, quod *Symmachi* innocenter occiſi caput eſſe putabat, ac adeo conſternabatur animo, miſer obitus uel interitus. (3) Duae ſanctiſſimae uirgines *Brigida* Scota, et *Genofeua* Pariſienſis Francorum patrona. (4) Iuris Romani ueteris autoritate *Iuſtiniani* Imper. per *Tribonianum* collectio et diuiſio in partes et libros. (5) Templi τῆς ἁγίας Σοφίας, ſeu aeternae Patris ſapientiae IESV CHRISTO dicati exſtructio magnifica *Iuſtiniani.* Vide EVAGR. *Lib. IV, cap. 31.* (6) *Iuſtiniani* Imper. conſtitutio, Pontificis Rom. electionem irritam eſſe debere, niſi approbata et confirmata eſſet ab Imperatore, quam ONVPHRIVS PANVINIVS *in Annot. ad Platinae uitam*

uitam Pelagii II recitat. (7) Schiſma inter *Syluerium* et *Vigilium*, Pontifices Rom. ortum. Vid. LIBERATI *Breuiar. cap. XXII*, et EVAGRIVM *Lib. IV, c. 19.* (8) Longobardorum Rege *Alboino* an. Chr. DLXIIX ingreſſus in Italiam: ut ibi nouum Regnum conderent. (9) Multorum Iudaeorum in Gallia conuerſio, de qua FORTVNATVS *Lib. V, Carm.* canit. (10) Peſtis inguinaria Romae exorta diriſſima anno Chriſti DXCI, qua ſternutando homines paſſim animas efflaſſe dicuntur. Quam ob cauſam *Gregorius M.* ſeptiformi Litania inſtituta, iram DEI placare uoluit. Conf. MARIANVM SCOT. *Lib. II, aet. 6.* (11) Pſeudopropheta, qui in Gallia anno Chriſti DXCIII pro Chriſto ſe uenditauit, et ultra 3000 hominum poſt ſe traxit in perniciem. Vid. SIGEBERTVM GEMBLACENSEM *ad hunc annum*, et GREGORIVM TVRONENSEM *Lib. X Hiſt. c. 21*, BARON. *ad annum* DXCV, *n. 82 et 83.* (12) Terrae motus horrendi Antiochiae apud EVAGRIVM *Lib. II, c. 12*, conf. PHILOSTORGII *Lib. XII, n. 8, 9, ſeqq.* Miracula per demortuorum reliquias, imagines, per Sanctorum inuocationes patrata addere ſuperſedemus; cum multa ſuperſtitionem aeuo hoc inualeſcentem redoleant. Euolue ſis *Euagrium*, *Gregorium Turonenſem*, et *P. Diaconum.*

§. 24. Si de ſtatu Eccleſiae huius ſeculi ex hiſtoria *iudicium* ſummatim ferendum eſt; mirari licebit, ut Neſtorianorum et Eutychianorum haereſes plurium nouorum feraces errorum Eccleſiam mire turbantium fuerint: ut ſuperſtitio per nouum ceremoniarum adparatum, uerum DEI cultum contaminarit et obſcurarit magis: ut Epiſcopi, in primis Romanus et Conſtantinopolitanus, dignitate et poteſtate ex nimio Principum fauore aucta, de primatu et dominatu contra

regulam Christi inter se certare non erubuerint: ut Synodi tollendis litigiis temere excitatis impares fuerint. Hinc non mirandum adeo, DEVM immissis malis et calamitatibus publicis scelera haec et uitia grauiter ultum esse. Nam irruentibus barbaris populis, bella, uastationes, et pestem Ecclesiam et rempublicam hoc seculo afflixisse, *Procopius*, *Euagrius*, *Gregorius Turonensis* et *P. Diaconus*, aliique testes sunt.

PERIODVS III

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

DE

ECCLESIA PER PONTIFICES ROMANOS ET MVHAMMEDANOS PRESSA ET OBSCVRATA

CAPVT I

DE

SECVLO VII CHRISTIANO

§. 1

Cum *tertia periodo* Historiae Ecclesiasticae, *septimum* aggredimur *Seculum*, quod Ecclesiae Christianae ob ingentes rerum mutationes fatale fuisse uidetur. Nam in *Occidente* seu Rom. Ecclesia *Antichristus* emersit, quando *Bonifacius III*, Pontifex R. auxilio *Phocae*, flagitiosissimi Imperatoris, titulum Episcopi *oecumenici* et *primatum*, ut caput omnium

omnium essent Ecclesiarum, obtinuit. In *Oriente* uero impostor sceleratus *Muhammed*, (uel Mohammed,) gente Arabs, conditione seruus primum exortus, qui se mentiendo Prophetam magnum a DEO missum, sectam nouam et blasphemam, Ecclesiae orientali exitiosam condidit. Vnde barbarie simul latius grassante, turbarum et calamitatum omnia plena in Ecclesia. Vid. HOTTINGERI *Hist. Sacr. N. T. Cap. VII, Sect. I.*

§. 2. In hac igitur temporum barbarie magna sterilitas *doctorum* et *scriptorum* bonae frugis extitit. Nam post horrendas illas barbararum gentium excursiones, collapso iam Imperio Romano et politioris literaturae et sacrarum literarum cognitio simul ruerat; ingeniorum et literarum meliorum cultus ueluti peste contactus emarcuerat, ut inter *Latinos* pauciſſimi essent in bonis literis uel mediocriter uersati. Vid. DEGOREI VVHEAR *Method. Leg. Hist. Sect. XXXVI*, et *Catal. Test. Ver. Lib. VII.* Celebriores ergo tantum SCRIPTORES memorabimus, qui inter *Graecos* fuerunt, sequentes:

§. 3. IOHANNES, *Philoponus* a studiorum assiduitate dictus, Grammaticus et Philosophus insignis, initio huius seculi clarus, qui *Tritheitarum* sectae autor et antesignanus habetur. Scripsit in *Hexaëmeron Commentarium*, *disputationem de Paschate* et uarios *Commentarios* in *libros Aristotelis.*

§. 4. IOHANNES MALALA, Antiochenus, *Chronographiam* composuit, quae an. MDCXCI Oxonii Graece et Latine cum notis prodiit.

§. 5. HESYCHIVS siue ISYCHIVS, Patriarcha Hierosolymitanus, initio huius seculi clarus, scripsit *Explanationes in Leuiticum*, Στιχηρὸν siue κεφαλαια

in *XII Prophetas Minores et Esaiam*, et alia apud CAVE *in Hist. Lit.* allegata.

§. 6. THEOPHYLACTVS, Simocatta dictus, gente Aegyptius, descripsit *Mauritii Imp. res gestas Libris VIII*, et *Epistolas LXXXV* uarii argumenti.

§. 7. SOPHRONIVS, Damascenus, ex sophista primum et monacho Patriarcha Hierosolymitanus factus, *Epistolam Encyclicam*, *Orationes II in crucem*, *Homilias* et alia reliquit. Conf. VOSSII *Lib. II, de Hist. Gr. c. 23.*

§. 8. IOHANNES MOSCHVS, siue EVIRATVS, aliis *Eucrates* cognominatus, *Opus historicum* condidit. Conf. COTELERII *Monument. Eccles. Graec. Tom. II, p. 341.* Huic iungimus ANDREAM, Damascenum, Archiepiscopum Cretensem, qui *Homilias*, *Canones* et alia conscripsit. Vid. FR. COMBEFISIVM, qui opuscula eius Graece et Latine publicauit.

§. 9. GEORGIVS PISIDES, Diaconus et Chartophylax Constantinopolitanus, *Cosmopoeiam* seu carmen Iambicum in Hexaëmeron, et alia composuit. Tribuitur ipsi *Chronicon Alexandrinum*, seu *Fasti Siculi* uulgo dicti, quibus mundi tempora per omne aeuum ad annum Christi DCXXIIX ordinantur. Vid. CAVE *Hist. Lit. pag. 454.*

§. 10. MAXIMVS *Constantinopolitanus*, ex Secretario *Heraclii* Imper. Monachus factus, sectam Monotheletarum impugnauit, multa *Theologica* et *Ascetica* opuscula scripsit. Opera eius *Fr. Combefisius* duobus Tomis, Parisiis anno 1675 euulgauit.

§. 11. Inter *Latinos* Scriptores pauciores docti memorantur. His primo loco accensemus *Eligium Lemouicensem* Gallum, *Dagoberti*, R. Galliae, aetate clarum. Qui *Homilias XVI*, *Epistolam* ad *Desiderium* Car-

Cardurcensem, et *Tractatum de rectitudine Catholicae conuersationis*, *Augustino* uulgo adscriptum, reliquit. Vid. *Biblioth. Patr. Tom. XII, pag. 300.*

§. 12. ILDEFONSVS, gente Hispanus, ex monacho Episcopus Toletanus, circa medium huius seculi clarus, librum *de illibata uirginitate B. Virginis* contra infideles, *Sermones de Assumtione B. Mariae*, item *de Natiuitate eius* et *Purificatione* scripsit, quos *Fr. Feuardentius* Parisiis anno 1576 edidit.

§. 12. BEDA, *Venerabilis* dictus, gente Anglus, circa exitum huius seculi et sequentis initio clarissimus scriptor, multa tum *historica* et *philosophica*, tum *theologica* opera composuit, quae a CAVE *in Hist. Lit. fol. 474, seqq.* recensentur.

§. 14. *DOCTRINA CHRISTIANA*, in Symbolis olim Oecumenicis proposita quidem, in *Concilio IV et VI Toletano*, nec non in *sexta Synodo Constantinopolitana* reperita publiceque asserta fuit: At uero cum Ecclesiae Doctores sacrarum literarum fere rudes, traditiones ac ceremonias ecclesiasticas cum fabulis de miraculis Sanctorum magis propagare, quam sincera fidei dogmata explicare sategerunt, superstitiones iam inolescentes magis, lucem Euangelii ualde obscurarunt. Nam Missas Latinas a *Gregorio M.* Canone sancitas, festa et cultus Sanctorum, Litanias, horas canonicas, Monachorum uota orationes pro defunctis in Purgatorio haerentibus, et similia instituta humana cultum diuinum fere absoluisse, ex *Platina, Walafrido, Durando, Polydoro Virgilio* et aliis constat. Vid. *Cent. Magdeb. Cent. VII, c. 4.*

§. 15. Praeter *superstitiones* memoratas, *contentiones* uariae Ecclesiam exercuerunt: quas inter praecipua fuit *Monotheletarum*, unam in CHRISTO uolunta-

luntatem asserentium haeresis, quae orientalem non tantum Ecclesiam peruasit, sed occidentalem etiam infecit, ipso Honorio Papa R. hac labe maculato. Serpebant etiam adhuc *Arianorum*, *Pelagianorum*, *Nestorianorum* et *Eutychianorum* errores, superioribus licet seculis reiecti atque proscripti.

§. 16. Paucis ergo etiam *Haereses*, quae uocantur, attingendae sunt. *Monophysitae*, Eutychianorum propago, unam in CHRISTO post incarnationem naturam asseruerunt, teste NICEPHORO *Lib. XIIX, cap. 46 et 47.* Hunc errorem Leontius Monachus, et Georgius Pisides refutarunt.

§. 17. Maiores in Ecclesia turbas excitauit *Monotheletarum* haeresis circa annum Chr. DCXXX, opera *Sergii*, Episcopi Constantinopolitani, et *Cyri* Alexandrini ex Eutychianismo prognata. Horum dogma fuit, unam tantum in CHRISTO esse uoluntatem, unamque operationem, solo scilicet Verbo uolente et operante per humanitatem. Ipse Imperator *Heraclius* per promulgatam ἔκθεσιν, non tantum hoc dogma confirmauit, sed Papa etiam Rom. *Honorius I*, illi assensus est. Vid. FORBESII *Instruct. Lib. V, cap. 1.* Crescente indies litigiorum super hoc errore segete, *Constantinus Augustus Typum*, seu edictum ann. Christi DCXLIIX publicauit, quo utrique litigantium parti silentium indixit.

§. 18. Memorantur etiam *Pauliciani* anno Christi circiter DCLIII orti, qui a *Paulo* quodam Samosatis in Armenia nomen habentes, Manichaeorum errores de duobus rerum principiis resuscitarunt atque sparserunt. NATALIS ALEXANDER *Hist. Eccles. Sec. VII, cap. II, Art. III*, plures istis errores tribuit ex *Cedreno*, qui tamen in illo non leguntur.

§. 19.

§. 19. NICEPHORVS *Lib. XVIII, cap. 54, Chazinzarios*, seu *Staurolatras* inter haereticos recenset, qui crucem tantum (quae ipsis *Chazus* dicebatur) adorare et colere ferebantur. Praeterea etiam cum Nestorianis duas in CHRISTO personas fabulati sunt, quarum alteram in cruce passam, alteram ab ea segregatam seorsim stetisse ac passionis spectatricem fuisse.

§. 20. Multa *CONCILIA NATIONALIA* hoc aeuo passim habita fuisse, *conciliorum tomi* testantur. Nos *duo* tantum *Oecumenica* memorabimus: quorum *unum Constantinopolitanum III*, alterum paucis post annis, (uulgo πενθέκτη, seu *quini-sexta Synodus* audit,) in imperialis Palatii *Trullo* conuocatum dicitur.

§. 21. *Constantinopolitanum* Imper. *Constantinus Pogonatus* an. Chr. DCLXXX in sede Regia, propter haeresin *Monotheletarum* indixit. In hoc praesidente ipso Imperatore CCLXXXIX Episcopi praesentes instituto prius examine, *Monotheletarum* haeresin damnarunt, anathemate etiam *Honorio* Papae dicto. Vid. *Concil. Act. 18*, et FORBES. *Instruct. Lib. V, c. 18, et seq.* NATALIS ALEXANDER *Hist. Eccles. Sec. III, Dissert. II*, contra *Baronium pag. 320*, asserit, *Honorium* Papam iuste fuisse damnatum: quod cum infallibilitatis priuilegio papali parum congruit.

§. 22. *Alterum* oecumenicum Concilium ἡ πενθέκτη Σύνοδος ideo appellatur, quod in supplementum Concilii V et VI a *Iustiniano II.* Imperatore an. Chr. DCXCI indictum esset: quia in dictis illis Conciliis nulli Canones de disciplina, moribus clericorum, Monachorum et ritibus ecclesiasticis fuissent conditi. Locus conuentus huius erat *Trullus*, seu palatium Imperatoris,

ratoris, et in eo regia Cuppula seu lucerna. Canones in hoc CII sanciti memorantur. BARONIVS *ad an. Christi DCXLII, n. 1, et seqq.* hoc Concilium Pseudo-Synodum et conuenticulum nuncupat, quod papali autoritati praeiudicium adferrent *Canones III, XIII, LV*, et alii. Conf. NATALEM ALEXANDR. *loc. cit. Dissert. III.*

§. 23. Fuerunt praeterea *concilia* multa *nationalia* ac *prouincialia* in Italia, Gallia, Hispania et Britannia habita: quae cum Clericorum et Monachorum disciplinam uel ceremonias ecclesiasticas tantum fere spectent, ea haec praeteribimus. Obseruatu tamen dignus uidetur *Canon XVI in Concilio Nannetensi* sanctus: *Si quilibet Presbyterorum defunctus fuerit, uicinus Presbyter apud secularem Seniorem* (i. e. loci Dominum) *nulla precatione, uel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat, sed neque capellam, sine consultu Episcopi.* Vnde NATALIS ALEXANDER *Hist. Eccles. Secul. VII, pag. 139*, recte colligit, Ius patronatus tunc fuisse penes dominos seculares. In *Concilio Cabilonensi* a *Clodoueo II.* Rege Galliae, conuocato, *Canon XIX* mandat: *Foemineos choros turpia interdum et obscoena cantantes in Basilicarum dedicatione, aut festiuitatibus Martyrum, arceri mandat ab Ecclesiarum septis, porticibus et atriis: Si se emendare noluerint, excommunicatione feriuntor.* In *Concilio Toletano* XI, *Canon VII* cauet, ne Episcopi clandestinis Iudiciis poenas in subditos decernant, sed regula a *S. Leone* tradita obseruetur: *Plus ergo corrigendo agere debet beneuolentia, quam seueritas; plus cohortatio, quam commotio; plus charitas, quam potestas.* Conf. NATAL. ALEXANDR. *Hist. Eccles. Sec. VII, cap. 3*, et *Cent. Magdeb. VII, cap. 9.*

§. 24.

§. 24. *GVBERNATIONEM ECCLESIAE* Episcopos sibi arrogare coepisse, ex historia Conciliorum huius aeui liquet; cum *Bonifacius III*, Pontif. Rom. titulum Episcopi Oecumenici et Primatum in Ecclesia pessimis iam artibus obtinuisset. Nam uidens ille *Phocam* Imperatorem *Cyriaco*, Constantinopolitano Patriarchae, quod truculentiam eius improbaret, infensum, et uereri, ne Italia facinoris sui odio a se deficiat, ab ipso, anno DCVI impetrauit, ut Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum caput esset. *Hic Phocas*, ait PAVLVS DIACONVS *Lib. IV, de Gestis Longobard. cap. 37, rogante Papa Bonifacio, statuit Sedem Romanae Ecclesiae et Apostolicae Ecclesiae caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.* Vid. *Platinam in Bonifacio III.* Hinc *Antichristi* et *Monarchiae Papalis* primordia, quae dein, turbato Ecclesiae statu, maiora incrementa sumsit. Ex Conciliis tamen duobus Oecumenicis §. XX. et XXI. memoratis patet, Imperatores ius conuocandi concilia Rom. Episcopis nondum concessisse. Caeterum officia et ordines Ministrorum in Ecclesia, eorumque nomina et gradus *Isidorus* de *Officiis* recenset. Vid. *Centuriatores Magdeburgicos Cent. VII, cap. 7.*

§. 25. *DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM* corruptis Cleri moribus cum doctrina Christiana corruptissimam fuisse, adeo mirum uideri haud debet: ubi enim, dicente Augustino, *male creditur, male uiuitur.* De eo Canones in diuersis Synodis hac de causa facti testantur. Sacerdotes coelibatum fouentes, impuras concubinas alebant. In quos hanc ob causam CAESARIVS *Hom. IX*, inuehitur, asserens *in Homil. XXXIII, pag. 191, multo meliorem esse humi-*

humilem coniugalitatem, quam ſuperbam uirginitatem. Auctis aut nouiter paſſim exſtructis monaſteriis, numerus Monachorum increuit; cum ipſi Reges et Principes hoc uitae genus admirarentur, multosque ſumtus alendis Monachorum gregibus non tantum liberaliter impenderent; ſed diadema cum cucullo commutare non erubeſcerent. Ita cumulatae Monachorum opes ſanctorem olim in Monaſteriis diſciplinam extinxerant. Nam pietas (ſimulata) peperit diuitias: ſed filia deuorauit matrem.

§. 26. *CEREMONIAE et RITVS*, quibus cultus diuinus maximam partem conſtabat, non tantum multiplicati ſunt; ſed in foedam ſuperſtitionem degenerarunt, oppreſſo puriori DEI cultu, qui in Spiritu et ueritate conſiſtit. (Praeſertim cum, *Vitaliano* Papa anno Chr. DCLXVI iubente, in Eccleſiis omnia Latino Sermone fieri deberent. Vid. BALAEI *Cent. I, p. 81.*)

§. 27. Cultus imaginum, Reliquiarum, Sanctorum frequentior in templis, quam CHRISTI Saluatoris. Inde templa imaginibus et ſtatuis exornata: Altaria in uſum Miſſae exſtructa in templo plura. Romae *Pantheon* gentilium hactenus clauſum, in *Panagium* ſeu templum omnium Sanctorum conuerſum eſt, a *Bonifacio IV*, horum gratia nouo feſto inſtituto. Ignis purgatorius ex gentilium fictus morituros maxime terrere coepit. Vnde Miſſae et Orationes pro defunctis multiplicatae fuerunt. Vid. *Centur. Magdeburg. Cent. VII, cap. 6.*

§. 28. *PERSECVTIONIBVS* ut Eccleſia nunquam caruit, ita nec hoc aeuo, quae illam exercerent, defuerunt. In *Oriente Choſroës*, Rex Perſarum, ob interfectum a *Phoca Mauritium*, Syriam, Armeniam,

Cap-

Cappadociam, Galatiam, et alias Prouincias Imperii aggressus et Caesarea Cappadociae et Damasco potitus, in Christianos saeuiit, multis eorum Iudaeis diuenditis, et ab eis crudeliter necatis, *Zachariam*, Praesulem Hierosolymitanum, et Crucis Dominicae lignum, ceu spolium secum in Persidem anno Christi DCXIV abduxit. Vid. NICEPHOR. *Lib. XIIX, cap. 44*, P. DIACON. *Histor. Misc. Lib. XVII et XIIX*, MARIAN. SCOTVM *Lib. I, Act. 6. ad annum Christi DCIV*, OTTON. FRISINGENS. *Lib. V, c. 8.* Maiorem cladem Ecclesiae intulit *Muhammed* insignis impostor et Pseudo-Propheta, in urbe Arabiae desertae Mecca natus, et ex camelorum pastore seductor Orientis factus. Nam nouas reuelationes Angeli *Gabrielis* iactando, opera *Sergii*, Monachi Nestoriani, *Iohannis Antiocheni* Ariani, et *Iudaei Abdiae* (Arabibus *Abdallae* dicti) nouam eamque pestilentissimam sectam condidit. Quam *Saraceni* amplexi, late per Orientem oppressis Christianis, ui et armis propagarunt. Summa eius in *Alkorano* continetur. Vid. HOTTINGERI *Hist. Oriental. Lib. II, cap. 4, Histor. Sacr. cap. VII, Sect. II, pag. 396, seqq.* et FORBESII *Instruct. Lib. IV, cap. 4.* Qui sectae nouae nomen dabant, *Musulmanni*, h. e. fideles appellari gestiebant. Interim furor *Monotheletarum* etiam Ecclesiam afflixit. Vid. *Epistolam* CONSTANTINI POGONATI *in Epist. ad Occidentales missam, Actione XIIX, Sextae Synodi.*

§. 29. In *Occidente Longobardi*, *Mauritii* nece animati, maiori immanitate, quam antea quoque in Italia saeuierunt. Plurimi enim Christiani a Barbaris trucidati, nec infantibus parcitum est: ut P. DIACONVS *de Gestis Longobardorum Lib. IV, cap. 12*, et BLONDVS

DVS *Lib. IX, Decad. I, p. 118 et 119*, memorant. De *Slauis* et *Auaribus Zonaras Annal. Tom. III*, refert, quod Ecclesias incendiis uastarint et Christianos in seruitutem abduxerint. Furorem *Iudaeorum* Antiochensium in Christianos exercitum NICEPHORVS *Lib. XVIII, cap. 44*, describit. Plures Christianorum afflictiones, quas hoc aeuo passim in aliis regnis sustinuerunt, *Magdeburgenses Cent. VII, cap. 3*, annotarunt.

§. 30. *MEMORABILIA* huius aeui, ut in compendio recitemus, fuerunt plura: (1) *Mauritii* Imperatoris miseranda caedes, et *Phocae* tyrannis. (2) Origo duorum *Antichristorum magnorum* in Occidente et Oriente, quorum ille *Romanus Pontifex* Ecclesiam Latinam afflixit, hic, *Muhammed*, multas Orientis Ecclesias euertit. (3) Muhammedanorum *Hegira*, siue Aera numerandi annos, Anno DCXXII coepta. (4) *Monotheletarum* haeresis multarum turbarum et calamitatum causa. (5) Christianae religionis licet superstitionibus infectae per Occidentem latior propagatio inter Britannos, Anglo-Saxones Frisios, Westphalos, Francones, Alemannos, Thuringos et Heluetios: conf. HOTTING. *Hist. Eccles. Sec. VII, Sect. III.* (6) Saracenorum ab obitu impostoris Muhammedis progressus in Arabia, Syria, Armenia, Aegypto et Africa usque ad mare Atlanticum. (7) Pontificum Rom. libertas a iure uectigalis, quod pro ordinatione Pontificis R. dari Imperatori sueuerat. Vid. ONVPHR. PANVINIVM *ad Platinam in uita Pelagii II.* Remisit id iuris *Constantinus V*, Pogonatus. Vid. ANASTASIVM *in Agathone.* (8) Origo schismatis Graecam inter et Latinam Ecclesiam, quod controuersia de Processione Spiritus S. a Patre

Filioque

Filioque iam parcius agitata, mox magis auxit. (9) Schismata in electione Canonis et *Sergii* Pontificum Rom. apud *Anastasium* in horum uitis. (10) Propagatio Christianismi per regnum Chinae ann. Chr. DCXXXVI facta. Vid. P. LVDOVICI *Comitis Soc. Iesu nouum Commentar. de Statu hodierno Chinae, Tom. II, Epist. III.*

§. 31. Miranda uero hic iusta DEI *iudicia* sunt, quando duobus uelut flagellis Ecclesiam hactenus tot contentionibus laceratam barbarieque foedatam castigauit; cum in Occidente *Papa Rom.* caput Antichristianum efferre, et in Oriente *Muhammed* Christianismum euertere uno simul aeuo coepissent. *Gratiae* tamen *diuinae* tribuendum est, quod in hac literarum et morum barbarie Religio Christiana in Occidente ad gentes barbaras latius transplantata fuerit, certo argumento, Ecclesiam etiam cum castigatur, ipsi curae esse. Nobis uero hoc documento est, Ecclesiam non locis certis aut gentibus alligatam esse. Migrat illa de gente ad gentem, prout *diuinae sapientiae* uisum est. Gratia hac etiam Germaniae nostrae tum frui datum est, quando *Kilianus*, Monachus Hybernus, Francis Orientalibus, *Willibrordus*, *Suibertus* et *Wilibaldus* Frisiis et Westphalis Euangelium de Christo annunciarunt. Vid. ADONIS VIENNES. *Chron. Aet. VI, ad an.* DCLXXXVI, SIGEBERT. GEMBLACENS. *ad an.* DCXCIV *Abbat. Stadens. ad an.* DCXCV.

PERIODI III

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT II

DE

SECVLO VIII CHRISTIANO

§. 1.

Triſtia fata Chriſtianam Eccleſiam hoc aeuo exercuiſſe, cum Saracenorum progreſſus armorum longe lateque uictricium, tum lites et ſchiſmata intra Eccleſiam, ob cultum imaginum praecipue exorta teſtantur. In *Oriente* tres Patriarchae Saracenorum tyrannidi ſubiecti, libertatem amiſſam luxerunt: In *Occidente* quidem, praeſertim in Saxonia et aliis Germaniae partibus, Religio Chriſtiana latius diſſeminata fuit. At ſimul ſuperſtitiones ac traditiones humanae iam in Eccleſia Romana receptae omnia impleuerunt, cum pauci admodum eſſent, qui in Eccleſia ſupra rude Monachorum uulgus ſaperent, atque S. literas intelligerent. Conf. FLAC. *Catal. Teſt. uerit. Lib. IIX, fol. 691, ſeqq.*

§. 2. Inter *SCRIPTORES et DOCTORES* LATINOS praecipuus fuit *Beda Venerabilis*, a nobis iam antecedenti proxime ſeculo §. XIII memoratus; licet ipſe hoc ſeculum maxime illuſtrarit, cum anni Chriſti DCCXXXIV demum uita exceſſiſſet.

§. 3. BONIFACIVS, Winefridus patria lingua dictus, gente Anglus in Friſiam transfretauit, poſtea literis

teris a *Gregorio* Papa missoriis impetratis, per Boioariam et Thuringiam praedicauit Euangelium, tandemque in Frisia Martyr factus est. Vid. BARON. *ad annum Christi* DCCLV, CAVE *Hist. Lit. fol. 481*, et D. SAGITTARII *Antiqu. Thuring. Lib II, cap. 4, Lib. III*, prolixe. Discipulus huius *Bonifacii*, et in praedicando Euangelio in Germania ipsius adiutor fuit *Willibaldus*, Anglus, qui postea Episcopus Eistatensis factus, uitam *S. Bonifacii*, quae *Tom. IV, Part. II*, apud *Canisium* habetur, scripsit. Vid. MABILLON. *Secul. Benedict. III, Part II*, et ALBERTVM STADENSEM *ad annum* DCCLV.

§. 4. FLACCVS ALBINVS, uel ALCVINVS, natione Anglus, Bedae discipulus, *Caroli M.* Magister, filiorumque eius praeceptor, uir in sacris literis pro aeui huius indole exercitatissimus. Inter uaria eius opera referuntur *Homiliae* ex Patrum scriptis collectae, per annum singulis Dominicis legendae. Vnde *Postillorum* Origo. *Homiliarium* enim a *P. Diacono* iussu *Caroli M.* collectum Specimen *Postillorum*, quae uocantur, continet. Vid. MABILLON. *Analect. Tom. I, pag. 25*, et CAVE *Hist. Lit. fol. 496, seqq.* Conf. MABILLON. *Elogium Historicum Alcuini c. 16.*

§. 5. PAVLVS VVARNEFRIDVS, Diaconus Aquileiensis, et *Desiderii*, ultimi Longobardorum Regis Secretarius, seu Cancellarius, ac postea Monachus, *Carolo*que *M.* Imper. carus, *Historiam Longobardicam et Miscellam*, ~~qua decem libri *Eutropii* continuantur~~, scripsit. Vid. *Histor. Lit.* CAVE *fol. 494.*

§. 6. THEODVLPHVS, Italus, primum Abbas Floriacensis, *Carolo M.* charus et familiaris. *Capitula* ad Presbyteros suae Parochiae XLVI et alia opera scripsit,

quae *Iac. Sirmondus* publicauit. Vid. BARON. *ad an.* DCCCXXXV *et Biblioth. P. P. Tom. XIV.*

§. 7. FREDEGARIVS Scholasticus *Excerpta Chronica*, siue Epitomen historiae Francorum a *Gregorio* Turonensi compositae collegit et auxit. Vid. *Tom. I, Hist.* FRANC. ANDR. DVBESSENII.

§. 8. In hoc seculum *Vsserius* et *Caue* referunt librum *Ordo Romanus* inscriptum, qui *de diuinis Officiis et Ministeriis*, per totius anni circulum agit. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 485.* Huc etiam pertinet *Liber Diurnus*, quo solennes literarum, aliarumque rerum ecclesiasticarum Formulae a Rom. Pontificibus usurpari solitae continentur. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 479.*

§. 9. Inter Graecos doctores excelluit *Ioannes Damascenus* a patria, *Chrysorrhoas* ab Eloquentia et *Mansur* ab Arabibus appellatus, Presbyter Hierosolymitanus, qui primum inter Graecos *Theologiam* methodo scholastica et philosophica construxit: id quod libri eius IV, *de Fide orthodoxa*, testantur. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 482. seq.* et NATAL. ALEXANDRI *Hist. Eccles. Sec. IIX, cap. 3, Art. 4.*

§. 10. THEOPHANES, *Isaacius* a patre et *Confessor* a malis, quae expertus est, appellatus, *Chronographiae* autor est. *Georgius*, Monachus Constantinopolitanus, Tarasii Patriarchae Syncellus, *Chronicon* scripsit. Vid. VOSSII *Lib. II de Hist. Gr. c. 24.* TARASIVS ex Secretario Patriarcha Constantinopolitanus factus, *Epistolam Encyclicam* ad Patriarchas orientales exarauit. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 499.*

§. 11. Post Scriptores celebres, DOCTRINA huius aeui PVBLICA uidenda est. Quae, quod *Graecam Ecclesiam* attinet, ex IOH. DAMASCENI *Lib. I,*

Lib. I, cap. 8, III et IV, et *Confessione Fidei Tarasii*, Patriarchae Constantinopolitani, peti potest. In *latina Ecclesia Symbola ueteris Ecclesiae recepta*, summa fidei Christianae capita proponunt. Caetera uero dogmata theologica ex *Bedae et Alcuini* in primis operibus colligi possunt. *Magdeburgici* illa per locos et articulos digesserunt *Centur. IIX, cap. 4.* Consuli etiam merentur *Caroli M.* Imper. *Capitula* ex Bibliotheca Pithoeana Parisiis anno 1640 edita, quae cum ritibus etiam quaedam doctrinae capita complectuntur. Vid: CAVE *Hist. Lit. fol. 492.*

§. 12. Verum *doctrina uetus Catholica* per *superstitiosos* cultus iam in Ecclesiam inuectos et insuper auctos ualde contaminata fuit: Ita, ut *Traditiones* et *Canones ecclesiastici* atque *decreta Pontif. Rom.* praeualerent. Cantiones et Missae in templis, orationes ad statuas et imagines Sanctorum, obseruantia festorum et memoriae Sanctorum cum Monachatu praecipuam cultus religiosi partem constituebant. Legere et cantare Psalterium Latinum, recitare Orationem Dominicam et Symbolum Apostolicum, frequentare Missam, et obseruare festa Sanctorum, primarius DEI cultus fuit. Haec ipse Pontificius Scriptor MEZERAEVS *in Hist. Gallicana Tom. I.* in *Carolo M.* de rebus Ecclesiae scribit: *Sub Praelatis adeo rudibus et ignaris, nihil mirum crassam ignorantiam occupasse plebes. Religio tota conuersa erat in superstitiones.* Monachus San. - Gallensis *Lib. I, c. 9*, equidem *Caroli M.* curam religionis commendat; at deerant uiri idonei, qui huic satisfacerent: *Gloriosissimus*, inquit, *Carolus per totum regnum suum studia literarum florere conspiciens, sed ad maturitatem Patrum praecedentium non peruenire condolens, et plus quam mortale laborans, in hanc tae-*

diatus uocem erupit: o utinam haberem XII Clericos ita doctos, omnique sapientia sic perfecte instructos, ut fuerunt Hieronymus et Augustinus! Quod ALCVINVS aegre tulit, cum diceret: *Creator coeli et terrae similes illis plures non habuit, et tu uis habere duodecim.* CATHVLPTVS apud *Andr. du Chesne Tom. II, Carolo M.* inter sanctissima praecepta boni regiminis suasit: *ut Missam S. Michaelis et passionum S. Petri per regnum suum celebrari curaret.* Ita specie magnae pietatis ac fidei superstitiones inualuerunt magis. Multus enim in externis rebus splendor: Sanctorum et notitia et cultus, fabulis, et confictis miraculis, et translationibus corporum, et reliquiis propagabatur.

§. 13. Praecipue in *Graeca* et *Latina* Ecclesia, famosa *Controuersia* fuit de cultu imaginum, quae totum pene seculum exercuit. Seculis tribus circiter antecedentibus sanctorum Martyrum, Episcoporum et quandoque Principum picturae, et imagines cum signo crucis CHRISTI in templis et templorum uestibulis collocari coeperant, ut earum intuitu fideles gesta, fidem et uirtutes eorum imitarentur, simulque templa iisdem ornarentur. Verum superstitione inualescente, salutatio, genuflexio accesserunt, cerei accensi, et imaginibus diuinus cultus habitus fuit. Propter hunc abusum et superstitionem *Philippicus Bardanes*, Imperator, et cum eo *Iohannes*, Patriarcha Constantinopolitanus, imagines eorum ex S. Sophiae templo eiecerunt, promulgato hac de re edicto anno DCCXIII. Hanc ob causam Papa *Constantinus Philippicum* excommunicare ausus, Graecos maxime offendit. Feruente adhuc illa controuersia, *Constantinus Copronymus* edicto Constantinopoli anno DCCXLI publicato, denuo imagines e templis sustulit, exacto etiam

iam a subditis iuramento, ne quisquam imagines adoraret. Denique in *Synodo VII Oecumenica* anno DCCLIV Constantinopoli habita cultus imaginum a CCCXXXIIX Episcopis reiectus atque prohibitus fuit. Sed huius Synodi decreta *Irene* Imperatrix, effraenis foemina, Nicaeae an. DCCLXXXVII noua Synodo indicta, assumto in concilium *Tarasio*, Patriarcha Constantinopolitano, in cultum imaginum satis prono, prioris Synodi Constantinopolitanae decreta aboleuit, decreto facto, uiuificam crucem CHRISTI et b. Virginis, Angelorum, Sanctorumque imagines, in Ecclesiis et domibus esse proponendas, uenerandas, colendas cereis, suffitu aliisque προσκυνήσεως signis honorandas. Transmissis in Occidentem huius Concilii Actis, *Carolus M.* Imperator Francofurti Synodum CCC Episcoporum anno DCCXCIV indixit: qua decretum est, imagines non esse adorandas, damnatis et rescissis actis Synodi Nicaenae ab *Irene* conuocatae. Historiam hanc FR. SPANHEMIVS peculiari libro *Sect. VII, VIII, IX*, prolixius enarrat. NATAL. ALEXANDER partium studio abreptus, *Hist. Sec. IIX, cap. II*, in gratiam *Iconolatrarum* multa narrat, quae a *Io. Dallaeo* iam refutata fuerant. Quanquam ipse etiam *Dissert. VI*, laudati *Dallaei* IV Libros aduersus cultum imaginum confutare aggressus est, ausu sane longe impari.

§. 14. Interim ICONOMACHI, seu ICONOCLASTAE, a Pontificiis Scriptoribus inter praecipuos huius aeui HAERETICOS recensentur. Cuius, ut loquuntur, *haeresis* ortum et progressum NATALIS ALEXANDER *Hist. Eccl. Sec. IIX, cap. II*, prolixe describit. Inprimis autem in *Leonem Isaurum* cultus imaginum hostem inuehitur; *Irenem* uero, quae cultum earum restituit, laudat.

§. 15. Potiori iure haereticis erroribus accenſetur FELICIS et ELIPANDI ſententia; CHRISTVM ſecundum humanam naturam non eſſe proprium DEI Filium, ſed adoptiuum; unde *Adoptionarii* appellati. Vid. FORBESII *Inſtruct. Hiſtor. Theol. Lib. VI.* Fuerat *Felix* iſte natione Hiſpanus, Vrgellae, quae urbs eſt in Pyrenaei montis iugo ſita, Epiſcopus, qui ab *Elipando*, Toletano Epiſcopo, per literas conſultus, quid de humana CHRISTI natura ſentire debeat: *Vtrum ſecundum quod homo eſt, proprius, an adoptiuus DEI Filius dicendus ſit?* Hic ſolum *adoptiuum* eſſe reſpondit, libro etiam, quo hanc ſententiam firmare auſus eſt, ad *Elipandum* ſcripto. Vid. EGINHARDI *Annal. ad annum* DCCXCII. Hunc igitur errorem ALCVINVS maxime impugnauit et confutauit. Vid. *Lib. eius IV* initio aduerſus *Felicem.* Inde alter *Felicis* et *Elipandi* error enatus fuit: CHRISTVM hominem eſſe *Patris aeterni ſeruum.* Vid. D. DORSCHEI *Collation. ad Concilium Francofurt. Sect. III, cap. 2.* Hinc noua quaeſtio exorta; an *Felix* et *Elipandus Neſtorii* haereſin inſtaurarint? Quod VASQVESIVS *Diſput. LXXXIX, in III Part. Thomae cap. 8*, affirmat. *Tannerus* contendit, *Elipandum* directe Neſtorianiſmum fouiſſe. Vid. NATALIS ALEXANDRI *Hiſt. Eccleſ. Sect. VIII, Diſſert. V, quaeſt. un.* et DORSCHEI *Collat. cit. p. 108.* Sed error hic quinque ante Synodis damnatus, cum autoribus ſuis expirauit. Quanquam in ultima *Synodo Aquisgranenſi* anno DCCXCIX conuocata, *Felix Vrgelitanus* ab *Alcuino* erroris conuictus, rectae fidei profeſſionem amplexus dicatur; ac adeo haereticorum numero eximendus ſit.

§. 16.

§. 16. Superfuerunt tamen in diuersis locis ueterum haeresium reliquiae: ut in Hispania *Arianismi*, teste VOLATERANO, in Africa *Manichaeismi*, attestante GREGORIO II, *in Epist. I*, ad uniuersum clerum Thuringiae. In Oriente multi adhuc erant *Monotheletae*, Aegyptum fascinabant *Iacobitae*, qui sedem Patriarchalem per XCVII annos occupauerant, teste ELMACINO *Hist. Saracen. p. 84*, idem *p. 123*, memorat Sectam *Abrahamianorum*, quae tempore *Cyriaci*, Patriarchae Antiochiae, ab *Abrahamo* quodam nomen habens, turbas excitauit.

§. 17. BEDA in *Boëthium* de TRINITATE meminit haeresis *Vetularum*: *Extirpanda est*, inquit, *haeresis Vetularum, quae iurant per tres partes DEI.* Idem *in Psalmo VII* memorat de *Astrologicis Theologis*, qui damnationem malorum et saluationem bonorum, non iusto DEI iudicio, sed fato, uel constellationi tribuerint.

§. 18. NATALIS ALEXANDER *Hist. Eccles. Sec. VIII, cap. II, art. II*, ex BONIFACII *Epist. XXXV*, *Adelbertum* et *Clementem* duos Pseudo-Prophetas, uel Fanaticos plebem in Francia seducentes haereticis annumerat. Quorum ille *Epistolam* quandam ineptissimam, uelut IESV CHRISTI e coelo transmissam, diuulgauit, et ignotorum Angelorum nomina in *Oratione* a se composita inuocauit, aequiparans semet Apostolis CHRISTI. Oratoria etiam et cruciculas in campis ad fontes, uel ubicunque sibi uisum fuerat, exstrui curauit, iussitque, ibi publicas preces fieri, populo ad conuenticula conuocato, qui dixit: *Merita S. Adelberti adiuuabunt nos.* Sed is in *Synodo Suessionica* anno DCCXLV damnatus fuit, cruciculis, per campos exstructis, ante concrematis. Huius damnatio-

mnationem *Zacharias* Papa literis ad *Bonifacium* datis connrmauit. . Assecla eius *Clemens* Scotus, qui S. Patrum scripta et canones repudiauit, ac CHRISTVM descendentem ad inferos, pios et impios simul abstraxisse affirmauit: matrimonium cum fratris uxore etiam legitimum pronuncians, in *Synodo Romana* anno DCCXLVI a *Zacharia* Papa anathemate percussus et officio sacerdotali exutus fuit.

§. 19. Contentio etiam inter *Bonifacium* et *Sacerdotes Boioariae* de Baptismo iterando exorta fuit; cum rudis quidam Sacerdos infantem baptizasset, barbara hac usus formula: *Baptizo te in nomine Patria et Filia, et Spiritus Sancta.* *Bonifacius* hunc rebaptizandum censuit: sed *Sidonius* et *Vergilius*, Episcopi negarunt. Horum autem sententiam, cum erratum linguae tantum fuisset, Pontifex *Zacharias* approbauit. Vid. AVENTIN. *Annal. Boior. Lib. III, fol. 220.* Eodem tempore, AVENTINO teste, *Zacharias* Papa contra *Vergilium*, *antipodes dari* cum *Augustino* asserentem, tales esse inepte negauit.

§. 20. Schisma *Theophylactum* inter et *Paulum*, Pontifices Romanos, item inter *Philippum*, *Constantinum* et *Stephanum III* exortum, scriptores uitarum Pontificum commemorant.

§. 21. Inter *CONCILIA OECVMENICA Graeci* numerant *Constantinopolitanum IV*, quod *Baronius* cum Pontificiis pro conciliabulo et conuentu Satanae habet. Indixerat illud an. DCCLIV *Constantinus Copronymus*, conuocatis CCCXXXVIII Episcopis, ut controuersiam de cultu imaginum, acerrime tum agitatam, componerent. In hoc, longo examine instituto, sex Conciliorum Oecumenicorum decreta aduersus haereses repetita, et imaginum ac picturarum cultus cum omni idolatria

lolatria reprobatus fuit. Vnde imaginum per Orientem subuersio secuta Pontifices Rom. ualde offendit. Vid. NATAL. ALEXAND. *Hist. Eccles. Sec. IIX, cap. II, §. 2*, ubi *p. 76*, BARONII *ad an.* DCCLIV, *num. 38*, errorem notat.

§. 22. Huic anno DCCLXXXVII alia Synodus, quae uulgo *Oecumenica septima* et *Nicaena II* appellatur, opposita fuit. Nam *Irene* Imperatrix *Constantino VII* filio adhuc impubere, suasu *Tarasii*, Patriarchae Constantinopolitani, *Nicaeae*, dicto anno, *Concilium* indixit, in quo, confluente magna Episcoporum, Abbatum et Monachorum multitudine, decretum fuit: imagines non tantum in usum historicum haberi posse; sed et ad cultum religiosum in templis reponi debere: imo eas osculandas, uenerandas, colendas, adorandas, cereis et suffitu honorandas esse, excepta latria soli DEO debita. Vid. LONGI DE CARIOLANO *Summ. Concil. fol 625, seqq.* NATAL. ALEXAND. *loc. cit.* §. 3, et SPANHEMII *Hist. Imag. restitutam Sect. VII.*

§. 23. Imaginum cultu inualescente *Carolus M.* Imperat. anno DCCXCIV, *Francofurti ad Moenum*, Episcopis ex Italia, Gallia, Germania et Britannia CCC conuocatis, *Synodum* indixit. In qua primum *Felicis Vrgelitani* et *Elipandi* errores de Christo Homine Filio DEI adoptiuo reiecti; deinde reprobatis *Synodi Nicaenae II*, decretis de cultu imaginum, decretum fuit: imagines habere in templis, et aliis locis, impium per se quidem non esse; sed eas adorare et uenerari, a fide Christiana prorsus alienum esse, et cum superstitione gentilium congruere. Vid. EGINHARD. *in uit. Caroli M.* RHEGINON. *Lib. II, Ann. Francor.* DORSCHEI *Dissert. supra allegat. et Rescriptum Caroli M.*

de non adorandis imaginibus apud GOLDASTVM *Conſtit. Imper. Tom. II.* Hoc cum ipſe BARONIVS *ad annum* DCCXCIV, *n.* 27, fateatur factum eſſe; mirari ſubit, qua fronte FR. LONGVS a CARIOLANO *Summ. Concil. fol.* 632. et NAT. ALEX. *Hiſt. Eccleſ. Sec. IIX, pag.* 205, id negare auſi ſunt. Conf. HINCMARVM *Remenſem Libro contra Iaudunenſem Epiſcopum c. XX.*

§. 24. Particulares *Synodi* in *Concil. Tomis*, et a *Sirmondo*, *Goldaſto* et *Baluzio* plures memorantur. Inter has digna memoratu eſt Synodus *Liptinenſis* in Belgio anno DCCXLIII imperante *Carolomanno* Principe Francorum habita, qua edictum promulgatum pro reformanda religione et diſciplina, et populo Chriſtiano *ad ſalutem animae producendo.* Sub *Adriano I*, et *Carolo M.* anno DCCLXXIV in Synodo *Romana*, accedente Senatus Conſulto, Regi ius creandi Pontifices, et inueſtiendi Epiſcopos confirmatum fuit, teſtante GRATIANO *Diſtinct. LXIII.* Plura uide ſis apud *Magdeburg. Cent. IIX, cap. 9.*

§. 25. *ECCLESIAE GVBERNATIONEM* hoc aeuo maximam partem ſibi Romani Pontifices arrogarunt: adeo, ut non tantum Epiſcopos quaquauerſum iuramento fidelitatis Sedi Romanae, praeeunte *Bonifacio*, apud BARON. *anno DCCXXIII, num. 4*, obligare coeperint; ſed etiam principatum temporalem affectare iam niterentur. BARONIVS ideo *ad an. DCCX, num. 1*, obſequium *Iuſtiniani II*, Imperatoris, erga Sedem Rom. laudat. *Gregorius II*, Papa, *Leonem Iſaurum* Iconomachum anathemate ferire et imperio indignum pronunciare iam auſus eſt. Vid. BARON. ad annum DCCXXX. Quid *Gregorius III* tentarit, idem BARONIVS ad annum DCCXL memorat. Non mode-

modestior fuit *Zacharias*, qui *Childericum* Regem Franc. Pontificio decreto abdicauit. Vid. BARON. ad an. DCCLII. Idem etiam Papa tres Reges ad monachismum, *Carolomannum*, *Rachisim* et *Childericum* induxit. *Stephanus II, (aliis III,)* Exarchatum Rauennatensem et Pentapolim, pulsis *Longobardis* et deluso *Constantino Copronymo* Imp. sibi subiecit, uid. ANASTASIVM *in eius uita*, et BARON. an. DCCLIII et DCCLV, *Adrianus I*, Papa, uestigia antecessorum suorum premens, *Carolum M.* Romae in atrio Basilicae superbe excepit; obsequium ab ipso exigere haut uerecundatus: etsi postea mitior factus sit. Vid. SIGEBERTVM *Gemblacensem* ad an. DCCLXXIII et MVTIVM *Lib. VII. Leo III*, Papa, praeuio assensu S. P. Q. R. in festo natalitio an. DCCC *Carolum* Imperatorem Rom. quidem salutauit et coronauit; sed Imperium Rom. in eum non transtulit, quod ipsius non esset. Antea enim, inquit *Monachus Engolismensis*, Dominus *Carolus* uocabatur ab omnibus Rex Francorum et Patricius Romanorum. Conf. SIGONIVM *de Regno Ital. IV*, GOLDASTI *Politic. Imperial. Part. IX*, et CONRING. *de Imp. Germ. Rom. cap. VI.*

§. 26. Equidem negari nequit, *Carolum M.* in Pontifices fuisse indulgentissimum tum precibus, tum priuatorum meritorum ratione inductum. Nihilo tamen minus ius *nomotheticum* in rebus Ecclesiasticis sibi uindicauit, quando *Capitularia* condidit, *Ius eligendi pontificem, ordinandi sedem Romanam* ap. GRATIANVM C. *Adrianus Dist. LXIII*, item inuestiendi Archi-Episcopos, Episcopos per singulas prouincias defendit, ac Synodo, praeter Francofurtensem, alias conuocauit. Conf. FLACII *Catalog. Test. Verit. Lib. IIX*, et ipsius BARONII *Annal. ad annum* DCCLXXIIX, *num.* 17,

18, seqq. Extant etiam in *Bonifacii Epistolis* loca uaria, quae Papali autoritati alias iactatae derogant. Ex *Epistolis expostulatoriis Zachariae* et *Adriani*, Paparum, item *Centuriis Balaei* et *Annalibus Baronii* liquet, Episcopos plures in Germania, Francia et Britannia iugum Pontificium non admisisse: quin etiam Rauennatenses Archi-Episcopos restitisse. Conf. HOTTING. *Hist. Sacr. Sec. IIX, Sect. V.*

§. 27. Interim ea dignitate ac potestate curia Romana nondum splendebat, qua *Hildebrandino* postea aeuo eminuit. *Cardinales* erant Presbyteri urbis, ut a Presbyteris agrorum distinguerentur. Quibus Archi-Episcopi, Episcopi et Abbates praeferebantur. Certum tamen est, monarchiae Papalis fundamenta hoc aeuo fuisse firmata magis; cum, quos in Occidente emitteret Apostolos, ut *Bonifacium* et alios, reuerentiam sedis Romanae populo inculcarent, Romanas superstitiones simul propagantes.

§. 28. Ceterum ut *Clerici* a profanis hominibus seu *laicis* distinguerentur, *Carolus M.* ordinauit, ut *ne ianitoribus quidem liceret communi habitu in Ecclesia ministrare*, quod SIGEBERTVS ad ann. DCCXCV annotauit. Ritus et ceremonias in Sacris obseruandas ALCVINVS *Lib. de diuinis Officiis* describit. *Monachus Engolismensis in uit. Caroli* ad annum DCCLXXXVII de *Antiphonariis S. Gregorii* cantoribus commendatis memorat: item de arte *organandi*, h. e. organa musica pulsandi ex Graeca Ecclesia in Latinam translata olim. Vid. AVGVST. *in Psalm. LVI*, et ISIDORVM *Lib. III, Origin. XX.*

§. 29. *DISCIPLINA ECCLESIASTICA* per *capitula Caroli M.* ordinata, seuere, teste MONACHO SAN-GALLENSI *Lib. I, cap. 1*, obseruata fuit.

In

In Annalib. Francorum ad an. DCCCI, et apud RHEGINONEM legitur, quod *Carolus disciplinam et decus Ecclesiae in legendo et psallendo instaurauerit non semel, et quod Romae, et in Italia non tantum publicas, sed etiam Ecclesiasticas et priuatas res ordinauerit.* MVTIVS insuper memorat ex *Nauclero*, quod *Carolus non dubitauerit, non modo uerbis reprehendere et consutare Episcopos, sed ex Ecclesiis eiicere, propter mores pastore indignos.* MONACHVS SAN-GALLENSIS ipse *Carolum Episcoporum Episcopum* salutat. Vid. *Lib. eius I, cap. 1, seqq.*

§. 30. *Carolus* laudatus etiam *uulgatam Bibliorum Versionem*, per *Alcuinum* emendauit, teste BARONIO *ad annum* DCCLXXIIX, *num. 22. Per manum Pauli Diaconi sui decerpens optima quaeque de scriptis Catholicorum Patrum, lectiones unicuique festiuitati conuenientes, per circulum anni in Ecclesia legendas* (ut *Sigebertus* et *Rolewinckius* loquuntur,) *fecit.* Sub Exemplo *Hieronymi, Bedae, Flori*, per *Vsuardum* uitas sanctorum et martyria colligi curauit, atteſtante BARONIO *an. cit. num. 20*, in propaganda et ordinanda Religione Christiana magnum et laudabile ipsius studium fuisse, CRANZIVS *in Metropoli*, ADAMVS BREMENSIS *in Chron.* AVENTINVS *in Annalibus suis* testantur. Dimissi sunt quaqua uersus Presbyteri, Episcopi, Abbates, qui Euangelium praedicarent et baptizarent. Idola Saxonum, *Irmensulam* et *Crodonem* destruxit. Vid. MEIBOM. *de Irmens.* Nouos Episcopatus fundauit et liberaliter nimis dotauit. Conf. *Monument. Paderbornens.* FÜRSTENBERGII. Scholas instituit plurimas; Episcopis quoque praecepta scholarum cura, et monasteria hoc nomine ordinata.

nata. Vid. LAVNOII *de Schol. Libr. Parisiis anno 1672 edit.*

§. 31. *PERSECVTIONES Saracenorum*, Christianos in *Oriente*, item in *Thracia*, *Sardinia* et *Hispania* sustinuisse grauissimas, P. DIACONVS *Lib. XX et XXI*, BEDA *Lib. II de Ration. Temp.* et *Lib. V Hist. Eccl. cap. XXIV*, item P. AEMILIVS *Lib. II de Gest. Franc.* testantur. *Constantinus Copronymus* Imper. etiam Iconolatras diuexauit. In Germania *Rathobodus*, Frisiorum regulus, trans Rhenum circa Coloniam Agrippinam omnia Christianorum templa diripuit, eosque ualde afflixit, teste AVENTINO *Lib. III Annal. Boior. Wittekindus*, Saxonum Dux, antequam ipse Christianus fieret, in Christianos saeuiit. Vid. CRANZII *Saxon. Lib. II, c. 14*, et *Metropol. Lib. I, c. 7 et 11.*

§. 32. *MEMORABILIA* huius aeui multa congeri possent, si quae *Chronicorum monasticorum* compilatores, de miraculis a sanctis et eorum reliquiis profectis recensent, et a BARONIO *Tom. IX*, infarcta memorantur, fide digna essent. Huc pertinent etiam portenta uel miracula apud WERN. ROLEWINCKIVM ad an. DCCXCIV, DCCCIV, quod *sol steterit trium dierum, ut Carolus uinceret;* apud SIGEBERTVM ad annum DCCXCVIII, quod *sol obtenebratus fuerit per dies XVII.* Sed his praeferimus certiora: ut (1) *Saracenorum* latissimos progressus armorum: (2) Originem duplicis *Caliphatus* Babylonici in Bagdad; Aegyptii in Cairo: Vid. HOTTING. *Hist. Sacr. Sec. VIII, pag. 511, seqq.* (3) *Turcarum* ex Portis Caspiis egressum anno Christi DCCLV factum; Vid. HOTTING. *l. c. pag. 517.* (4) Conuersiones in regno *Galliae*, ubi familia Carolingorum regia secunda eminuit; in *Hi-*

spaniae

Spania imperii West-Gothorum oppressio per Mauros ex Africa euocatos; in *Italia* regni Longobardici destructio; in *Germania* nouum regnum opera *Caroli* constitutum: Conf. HOTTING. *Hist. Sacr. Sec. VIII, Sect. I, pag. 481.* (5) *Caroli M.* gesta heroica, et studium in Ecclesiam, in artes liberales et literatos. (6) Culturam literarum in *Germania* pro captu seculi haut infelicem. (7) *Pontificum* Rom. studium magis augendae potentiae, quam repurgandae religioni deditum. (8) Religionem Christianam in *Oriente* et aliis locis pressam, per Germaniam et partem Septentrionis propagatam. (9) *Organa musica* primum in Francia nota, cum illa *Constantinus* Imp. *Pipino* cum aliis donis misisset. (10) Episcopatus nouos in Germania institutos: *Saxonum* conuersionem ad fidem Christianam, propagatam etiam ad *Hunnos* seu *Hungaros* et *Slauos*.

§. 33. Diuinae *prouidentiae* iterum documentum est, quod Ecclesia in *Oriente* et *Africa* per Saracenos pressa uel oppressa, in *Occidente* magis dilata fuerit: licet cum Religione simul superstitiones inolitae latius diffusae, cum conuersores iisdem iam essent innutriti sedique Romanae addicti. Zelus etiam praeposterus circa *cultum imaginum* argumento est, quousque homines feruidi et uera DEI cognitione destituti prolabi queant. Spissae ignorantiae tenebras *Carolus M.* quidem per uiros pios et doctos dispellere laborauit; at puriorem Euangelii lucem in ista ruditate seculi reducere haut ualuit. Grata interim mente diuina *benignitas* praedicanda uenit, quod in tenebris istis Germaniae lucem Euangelii oriri fecerit. Vtinam uero Pontifices Romani in curam religionis repurgandae magis, quam dilatandi dominatus sui incubuissent.

PERIO-

PERIODI III

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT III

DE

SECVLO IX CHRISTIANO

§. 1.

Infelix Seculum IX uocatur, cum dicente PLATINA *in Formoſo I*, una cum induſtria Imperatorum, ſimul etiam Pontificum uirtus et integritas defecerit; uel quod infelicitatem magis arguit, cum ſuperſtitio in templis, barbaries in Scholis, uitia morum in uita et contentiones et ſchiſmata in Eccleſia regnarent.

§. 2. Nos primum clariores *SCRIPTORES* recenſebimus; quos inter *Nicephorus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui prolixam *Epiſtolam* ad Leonem III, Papam Rom. exarauit. Vid. BARON. *Tom. IX. ad annum* DCCCXI, *num. 19.* Scripſit etiam *Breuiarium Hiſtoriae*, quod *Dionyſius Petauius* publicauit: item *Chronologiam Tripartitam* Graece a *Scaligero* primum cum Chronico Euſebiano editam. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. fol.* 507.

§. 3. THEODORVS STVDITES, a monaſterio, cui praefuit, ita dictus. Varia eius *opuſcula in Biblioth. PP. Tom. XIV*, extant. Recenſet illa CAVE *in Hiſt. Lit. fol.* 511. *Bellarminus* ait, eum miraculis clarum anno DCCCXXVI migraſſe in coelum. Diſci-

pulus

pulus eius *Naucratius*, Monachus Constantinopolitanus, strenuus iconolatriae assertor, *Tr. de persecutionibus* εἰκονοδούλων scripsit.

§. 4. AGOBARDVS, Gallus, uaria *opuscula* collegit, quae *Papyrius Massonius* primum publicauit. *Opera* eius *Baluzius* cum notis anno 1666 edidit Parisiis. Conf. PETR. DE MARCA *Concord. Imper. et Sacerd. Lib. IV, c. 11, §. 3, 4.* Sed hoc clarior fuit *Eginhardus* Germanus, *Carolo M.* a Secretis, et deinde Abbas Selingstadiensis factus; praeter *uitam Caroli M. Annales rerum gestarum Pipini*, et alia conscripsit. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 517*, et NATAL. ALEX. *Hist. Eccles. Sec. IX, pag. 180.* Agobardus scripsit aduersus Felicem libros.

§. 5. FRECVLFVS, Episcopus Lexouiensis, *Chronicon* in duos Tomos diuisum reliquit, Heidelbergae editum. Item *Epistolam* ad *Rabanum Maurum*, Abbatem Fuldensem et deinde Episcopum Moguntinum, qui *commentarios* in sacram Scripturam collegit. *Opera* eius in VI Tomos distincta Coloniae anno 1627 excusa prostant. CAVE *Hist. Lit. fol 541.*

§. 6. VSVARDVS, Gallus, *Alcuini* discipulus, *Martyrologium* condidit, de quo uid. NAT. ALEX. *Hist. Eccles. Sec. IX, cap. III, art XVII.* ISIDORVS *Mercator Epistolas decretales* compilauit, quae sub nomine Pontificum Rom. extant. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 514, seqq.*

§. 7. PASCHASIVS RATHBERTVS, Abbas Corbeiensis, tempore *Ludouici* Imperatoris Librum *de Corpore et Sanguine DOMINI* composuit, qui in *Biblioth. P. P. Tom. XIV* extat. Laudat illum BELLARMINVS *de Script. Eccles.* libro. *Bertramus* uel *Ratramus*, Monachus uel Presbyter Corbeiensis, Librum de *Eucharistia* composuit Pontificiis exosum,

quod Transsubstantiationis dogma refellit. Plura eius scripta CAVE *Hist. Lit. fol. 530*, recenset.

§. 8. WALAFRIDVS STRABO, seu STRABVS, *Rabani Mauri* discipulus, ex Monacho Benedictino Abbas factus, praeter Librum de *Officiis diuinis*, alia opuscula collegit. Tribuitur ipsi etiam *Glossa ordinaria interlinearis in sacram Scripturam* ex Patribus collecta. Vid. NATAL. ALEXANDR. *Hist. Eccles. Sec. IX, c. 3, p. 232.*

§. 9. HINCMARVS, nobilis Gallus, Episcopus Rhemensis, inter celeberrimos huius aeui scriptores relatus, uir pius et doctus, multa composuit *opera*, quae *Sirmondus II* Tomis digesta publicauit. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 537.*

§. 10. REMIGIVS, Gallus, Archi-Episcopus Lugdunensis, *Hincmari* Antagonista, libellum de *tenenda immobiliter sacrae Scripturae ueritate* composuit. Vid. CAVE *fol. 545.* Huic iungimus *Iohannem Erigenam*, Scotum, *Caroli Calui* Imperatoris tempore clarum, quem discipulos ob inflexam morum duritiem stylis et graphiis confodisse, traditur; de *Diuisione naturae libros V.* Oxoniae anno 1681 editos reliquit: item Librum de *Praedestinatione* contra *Gotteschalcum* composuit.

§. 11. GOTTOSCHALCVS, etiam *Fulgentius* dictus circa medium huius seculi clarus, gente Gallus, Monachus, libellum de *Praedestinatione*, scripsit; et cum de *absoluto Praedestinationis decreto* curiose magis, quam pie disputaret, alios doctores offendit, et *Caluino* hoc errore praeluxit. *Vsserius* historiam eius composuit, quae Hanouiae an. 1662 recusa fuit.

§. 12. ANASTASIVS, Abbas Romanus et Bibliothecarius, uir Graece et Latine doctus, *Hist. Eccles.*

et

et *uitas Pontificum* descripsit. VOSSIVS *Lib. II, de Hist. Lat. cap. 35.* cum *Anastasio* Presbytero, Cardinali *S. Marcelli* confundit. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 559,* et LABBEVM *Tom. I, pag. 252.*

§. 13. HAYMO, Anglo-Saxo, discipulus *Alcuini*, Episcopus Halberstadiensis circa medium huius seculi clarus, *commentarios in libros sacrae Scripturae*, et *pericopas Euangelicas Dominicales*, *homilias* non tantum reliquit: sed et *Epitomen Hist. Eccles.* a *Madero* Helmstadii editam composuit.

§. 14. EVLOGIVS, Presbyter Cordubensis, Martyr factus, iuxta *Mabillonium* studio, non professione Monachus fuit; qui *Memoriale Martyrum*, item *Apologeticum* pro Martyribus, *et Exhortationem* ad Martyrium conscripsit. Vid. *Bibl. PP. Tom. XIX*, edit. Lugdun.

§. 15. PETRVS SICVLVS, uir nobilis, *Basilii* Imperatoris aetate celebris, cuius etiam legatus ad Armenos pro redimendis captiuis fuit. *Matth. Raderus* eius *Historiam de Manichaeorum* haeresi anno 1604 Ingolstadii publicauit.

§. 16. RHEGINO, Monachus Prumiensis in dioecesi Treuirensi, circa exitum huius seculi celebris, duos Libros *Chronicorum*, duosque Libros de *Eccles. disciplina et Religione Christiana* a *Steph. Baluzio* cum notis editos, quae editio Helmstadiensi praefertur, reliquit.

§. 17. Plures hic ex *Latinis* Scriptoribus celebres, ut *Aimonius*, Monachus Gallus, *duo* Viennenses, *Amalarius* Fortunatus, *Ludgerus*, *Nidhardus*, *Aluarus*, *Theodulphus*, *Notgerus*, et alii, memorantur, quos BELLARMINVS *de Scriptor. Eccles.* LABBAEVS, NATAL. ALEXANDER et CAVE *in Hist. Lit.* describunt.

§. 18. Nos ex *Graecis* adhuc addimus doctiſſimum et celeberrimum *Photium*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, librorum helluonem incomparabilem. *Bellarminus* et *Baronius* eius ambitionem notant, quod autor ſchiſmatis inter Eccleſiam Graecam et Latinam fuiſſet. Extant inter opera eius μυριόβιβλοι ſiue *Bibliotheca*, *Epiſtola*, *Nomocanon*, libellus *de Synodis* et alia a CAVE *in Hiſtor. Lit. fol. 552*, recenſita. Ex libro eius de *Officio Principis* excerpta edidit NAT. ALEXANDER *Hiſtor. Eccleſ. Sec. IX*, *art. 25*.

§. 19. Antagoniſta *Photii* fuit NICETAS *Dauid Paphlago*, Epiſcopus in Paphlagonia, qui reliquit *uitam S. Ignatii*, Patriarchae Conſtantinopolitani, item *XII Apoſtolorum Concordiam* apud COMBEFISIVM *Auctar. Biblioth. PP.* Vid. L. ALLATIVM *in Tom. I, Graec. Orthod.*

§. 20. METHODIVS, *Homologeta*, ſeu *Confeſſor* dictus; gente Siculus, circa medium huius ſeculi celebris, *Encomium S. Dionyſii Areopagitae* et *Orationes* ſcripſit. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. fol. 533*.

§. 21. THEODORETVS, *Abucara* dictus, Cariae Archi-Epiſcopus, uaria *Opuſcula* compoſuit a *Gretſero* Ingolſtadii publicata. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. fol. 557*. Huic iungimus MICHAELEM PSELLVM, Philoſophum magis, quam Theologum. Vid. L. ALLATII *Diatrib. de Pſellis*.

§. 22. Agmen hic claudat BASILIVS MACEDO, Imper. factus Conſtantinopolitanus, inter optimos Principes numerandus, qui *Capita exhortationum ad Leonem Filium*, Pariſiis et Hamburgi Graece et Latine publicata, item *Orationes* et *Epiſtolas* compoſuit. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. fol. 556*.

§. 23.

§. 23. *DOCTRINA PVBLICA* ex Symbolis Oecumenicis quidem in Orientali et Occidentali Ecclesia retenta, sed superstitionibus et erroribus iam inoleris contaminata fuit. *Vtraque* enim *Ecclesia* illam profitebatur, et in Synodo *Arelatensi* anno DCCCXIII habita, eadem cum declaratione quorundam articulorum fidei repetita fuit. Vid. *Magdeburg. Cent. IX, c. 4.* RABANVS MAVRVS *Lib. II, de Institut. Clericor. cap. 57*, summa fidei Christianae capita ex Symbolis repetit.

§. 24. *Doctrinae* tamen *symbolicae* multi errores de inuocatione Sanctorum, cultu imaginum, Purgatorio, Missa, operum merito, de Transsubstantiatione panis et uini Eucharistici error *Paschasii Rathberti*, de absoluta praedestinatione error *Godeschalci* additi et defensi fuerunt.

§. 25. In *Orientali Ecclesia* adhuc de cultu imaginum certatum fuit; cum eundem *Leo* Armenius anno DCCCXIV sustulisset; *Theophilus* uero *Augustus* et *Michael III* restituissent. Sed maiorem contentionem excitauit causa *Photiana*. Nam *Photius* anno DCCCXLIX, electo *Ignatio*, Patriarcha Constantinopolitanus factus, et post obitum *Ignatii* denuo confirmatus, dominatui Rom. Pontificum in Ecclesiam Graecam mascule repugnauit. Vnde odium Pontificum Rom. in *Photium* et eiusdem successores. Praesertim cum *Photius* a[illegible]litionem ad Symbolum de processione Spiritus S, Filioque, a Latinis factam damnaret, ac *in Encycl. p. 51*, ὥσπερ καπῶν χορονδα Latinis exprobraret repudiaretque. Accessit deinde litigium de *Bulgaris*, quos *Nicolaus* Papa suae iurisdictioni, reclamante *Photio*, asserere contendit. *Photius* enim urgebat, Bulgariam Imperii Orientalis partem, gen-

temque hanc a Graecis primo ad fidem Christianam fuisse conuersam, adeoque Patriarchatui Constantinopolitano se etiam submisisse. Hinc *Schisma* inter *Latinam* seu *Romanam* et *Graecam Ecclesiam* exortum, quod in hodiernum usque diem durat.

§. 26. Ceterum uero, praeter Iconolatras hoc seculo *Godeschalcus*, (aliis *Gottoschalcus*,) Belga, professione Presbyter, *haereticis* iuxta SIGEBERTVM anno DCCCXLIX accensetur. Quia, ut RABANVS *in Epistola* ad *Euerhardum*, Comitem, scribit: *Diuulgatum in his partibus constat, quendam sciolum apud uos manere, qui dogmatizet, quod praedestinatio DEI omnem hominem ita constringat, ut etiam, si quis uelit saluus fieri, et pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad uitam aeternam per DEI gratiam ueniat, frustra et incassum laboret, si non est praedestinatus ad uitam: quasi praedestinatione sua cogat hominem interire, qui autor est salutis nostrae, non perditionis, etc.* Hac de causa in Synodo *Moguntina* a *Rabano* conuocata *Godeschalcus* condemnatus, et a *Lupo Seruato* confutatus fuit. Vid. AVENTINVM *Lib. IV, Annal. fol. 312.* In Gallia *Hincmarus* et alii Episcopi a *Carolo Caluo*, Rege, *Carisiacum* conuocati *Godeschalco quatuor Capitula* oppossuerunt, quae F. SIRMONDVS *Tom. III Concil. Galliae* inseruit. Vid. NAT. ALEXANDRVM *Hist. Eccl. Sec. IX et X, Dissert. II, §. 8*, et VSSERII *Godeschalcum et Praedestinat. ex trouersiae historiam Hanouiae an. 1662 edit.*

§. 27. In Oriente PAVLICIANI, a *Paulo* et *Iohanne* nomine composito appellati, errores quosdam Manichaeorum resuscitarunt, quos Imperator *Michael* extinguere molitus est. Vid. ZONARAM *Tom. III in uita Michaelis fol. m. 126*, et *Continuatorem Historiae*

riae P. DIACONI. Peſtilentior fuit haereſis *Michaelis Balbi Amoraei*, in Phrygia nati, qui, memorante ZONARA *Tom. III, fol. 110. Copronymum* in omnibus imitans et Iudaeis addictus, Sabbato ieiunari iuſſit: reſurrectionem mortuorum et Daemonum exiſtentiam negauit, atque ſcortationem approbauit. *Zonaras* σύμμικτον αἵρεσιν appellat, quod ex Gentilium et Iudaeorum placitis mixta et conſarcinata eſſet Secta.

§. 28. RATRAMVS, (uulgo BERTRAMVS dictus,) Monachus Corbeienſis, in Gallia natus, Librum *de Corpore et Sanguine DOMINI* euulgauit, quo realem et ſubſtantialem Corporis et Sanguinis CHRISTI in S. Euchariſtia praeſentiam impugnauit, panem et calicem conſecratum pro ſignis Corporis et Sanguinis CHRISTI tantum habens. Ideo a quibusdam ipſi haereſis impacta eſt. Sunt tamen quidam Pontificii, qui ipſum excuſant, eumque in partes ſuas, quaſi tranſubſtantiationi fauiſſet, pertrahere laborant. Vid. *Cardinal.* PERONII *Lib. II de Euchariſt. in auctore 39, cap. 1,* PETR. DE MARCA *in Epiſtola ad P. Lucam d' Acherium* editorem Spicilegii *Tom. II*, ſubnexa.

§. 29. Anno DCCCXLVIII mulier quaedam Sueuica THEODA (uel ut Annal. *Francor. Fuldenſibus* ad annum Chriſti DCCCXLVII uocatur, TIOTA) Pſeudo-Prophetiſſa ſectam condere molita, uiſiones coeleſtes iactauit ac diem extremum eo ipſo anno inſtare praedixit. Et cum multos dementaſſet, tandem confeſſa eſt, Presbyterum quendam ſibi ea ſuggeſſiſſe. Iudicio igitur Epiſcoporum apud *S. Albanum* decretum fuit, ut flagellis cederetur. Vid. *Annal. Metenſ.* ad hunc annum et AVENT. *Annal. Boior. Lib. IV, fol. 302.*

§. 30. *Donatiſtarum* reliquias etiam hoc ſeculo ſuperfuiſſe, ex REMIGIO *in Pſalm. X*, colligi poteſt. Nam in illos inuehitur, qui Corpus CHRISTI ſcindunt, et eo ſeſe ſeparant; cum nullus iuſtificetur, niſi per CHRISTVM, ſiue per Miniſterium iuſti hominis. *Vos autem* (*ait*) *dicitis, nullum poſſe iuſtificari, niſi per Miniſterium iuſti alicuius. Nonne Corpus CHRISTI ſeparatis ab eo, et potentiam eius uobis uſurpatis?*

§. 31. *SYNODI* et *CONCILIA* hoc aeuo multa in *Latina Eccleſia* conuocata leguntur; ſed quae magis diſciplinam Cleri, regimen Epiſcoporum, uel ipſas cauſas Principum, quam religionem ſpectarunt. In *Orientali* uero *tria Conſtantinopolitana*, celebrata ſunt, quae ſtylo ueteri *Oecumenica* ab ipſis appellantur, et cauſam *Ignatii* Patriarchae ac *Photii* inprimis attinent. Primum *Michael* Imper. anno DCCCLXI conuocauit, in quo *Ignatii* eiectio confirmata, et Photius in eius locum euectus, Patriarcha Conſtantinopolitanus declaratus fuit. Secundum *Baſilius Macedo* anno DCCCLXIX indixit, in quo, *Photio* depulſo, quod Baſilium ob parricidium a ſacris ſummouiſſet, *Ignatius* reſtitutus fuit. Et hoc *Romanenſes* ſolum ex his tribus pro *Oecumenico octauo* habent: quia Photius, Papae Rom. antagoniſta acerrimus, in eo exauctoratus fuit. Conf. BARON. *ad an.* DCCCLXIX et *an.* DCCCLXX, *num.* 73. Tertium *Baſilio* nominato adhuc imperante anno DCCCLXXIX habitum, quo *Ignatio* e uiuis ſublato, Photius Patriarchatum iterum adeptus eſt.

§. 32. Inter *Occidentales* Synodos, *Aquisgranenſis* praecellit anno DCCCXIX habita, in qua multa de Statu Eccleſiarum atque Monaſteriorum tractata atque ordinata

ordinata sunt, teste EGINHARDO *in Manual. ad annum* DCCCXIX. Laudat hanc PLATINA *in uita Gregorii IV*, quando optat: *Vtinam nostris temporibus, Ludouice, uiueres! indiget nunc Ecclesia tuis sanctissimis institutis, tua censura, adeo in omnem luxum et libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo; coccineos et trabeatos nunc inspiceres, non homines, quod leue fortasse uideretur, sed equos et iumenta, praecedente, dum incedunt, magno adolescentum et altero presbyterorum agmine subsequente, non in asinis, ut CHRISTVS nostri dogmatis autor, et bene uiuendi unicum in terris exemplar, sed in equis praeferocibus et phaleratis, ac si ex hoste triumphum ducerent. De argenteis uasis et egregia eorum suppellectile, deque cibariis non attinet dicere, cum et Siculae dapes, et Attalica ornamenta, et uasa Corinthia, si haec inspicias, nullius pretii sint.* Ludouicus enim *Pius*, Imperator, cleri mores iam tum in omnem deformitatem lapsos emendare laborauit, quod *Capitula*, ut tum uocabantur Canones et leges Ecclesiasticae, abunde testantur. Vid. LINDENBROGII *Cod. LL. Antiq.*

§. 33. Paruam ideo gratiam apud clerum inierat Imperator. Nam Episcopi concitatis in hunc filiis, anno DCCCXXXIII apud Compendium sub *Gregorio IV*, Papa, congregati *Ludouicum* accusatum et inauditum imperio exuerunt. Autor huius iniquitatis fuit *Ebbo*, Rhemensis Episcopus, cui Papa adstipulatus est. Vid. *Scriptorem uitae Ludouici*, et ANDR. DV CHESNE *Tom. II Script. Fr.* et BARON. *ad annum* DCCCXXXIII *et* DCCCXXXIV. Ideo a cordatis Scriptoribus hoc Concilium *sacrilegum* et ex memoria rerum expungendum appellatur.

§. 34. *Lothario I*, imperante, plures *Synodi* institutae, ut *Meldenſis* in Regno *Caroli*, Franciae Regis, de bonis Eccleſiaſticis non profanandis. Vid. BARONIVM *ad annum* DCCCXLV, *num. 30, ſeq. Moguntina*, auſpiciis *Ludouici*, Germaniae Regis, celebrata, qua *Godeſchalcus* damnatus eſt. Vid. *Annal. Fuldenſ. anno* DCCCXLIIX, BARON. *ad annum* DCCCXLIIX, et VOSSIVM *Hiſtor. Pelag. Lib. VII, cap. 4. Romana*, quam BARONIVS *ad annum* DCCCLIII refert, de moribus Cleri reformandis, et in qua *Anaſtaſius*, Presbyter et Bibliothecarius depoſitus eſt, quod ſuam Eccleſiam quinquennio deſeruiſſet. Vid. VOSSIVM *de Hiſt. Lat. II, 35.*

§. 35. Synodus *Ticinenſis* anno DCCCLV imperante *Ludouico II*, uiuo adhuc *Lothario*, habita memorabilis eſt, quod Imperator Epiſcopis mandauit, ut ea diſquirerent, quae emendatione opus haberent, ſibique renunciarent; Quod BARONIVS *ad annum* DCCCLV, *num. 4*, agnoſcit, ſed ut morem ex calamitate temporum enatum parum reuerenter perſtringit. Patres autem ibi congregati fatentur, Epiſcopos tum in coetibus non eam adhibuiſſe curam, quam debebant, eosdemque et Sacerdotes doctrinam et praedicationem uerbi ſatis negligenter tractaſſe: Archipresbyteros autem et aliorum titulorum cuſtodes auaritiae ſtudio Eccleſiarum reditus in priuatos uſus redegiſſe, in eaque re laicorum auxilio et fauore uſos eſſe. Vid. L. ALLATIVM *de Eccleſiae Occident. et Orient. perpet. conſ. Lib. I, c. 23.* De aliis *Synodis* hoc aeuo conuocatis, uid. *Magdeb. Centur. IX, cap. 9.*

§. 36. Quod *REGIMEN ECCLESIAE* externum attinet, Pontifices Romani illud quidem affectarunt *abſolutum;* ita, ut *Nicolaus I*, Papa, non dubitarit *Michaeli*, Imperatori Conſtantinopolitano, exprobrare, quod ſe inconſulto *Ignatium* ab Epiſcopatu remo-

remouiſſet. Teſtantur de hominis typho etiam *Epiſtolae eius Decretales.* Vid. BLONDELL. *Prolegom. Pſeudo-Iſidori cap. XIX, pag. 90, ſeqq.* Ipſe quoque, *Rheginone* teſte, magnanimo pectore Regibus et tyrannis imperauit, eisque, ac ſi *Dominus orbis terrarum* eſſet, autoritate praefuit. Erat enim, ut *Platina* iudicat, *tantae uenerationis ac maieſtatis*, ut ab omnibus *tanquam Numen* coleretur. *Rauennatenſem* etiam Eccleſiam, quae ſeſe diu Papae primatui oppoſuerat, ſibi cum Archiepiſcopo ſubiecerat. Vid. PLATIN. *in eius uita. Hadrianus II*, Papa, *Carolo Caluo* excommunicationis fulmen ob uſurpationem regni Nepotis ſui *Lotharii*, comminari non dubitauit. Veruntamen non *Photius* tantum huic quaeſito dominatui maſcule contradixit, ſed et Imperatores uel Reges Germaniae nondum ius ſuum in Papam Rom. abdicauerant. Nam EGINHARDVS fide maxima dignus ſcriptor, cum mortem *Eugenii* Papae memoraſſet, *Annal. ad annum* DCCCXXVII addit. *Quo defuncto, Gregorius Presbyter ſancti Marci electus, ſed non prius ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris Romam ueniret, et electionem populi examinaret.* Conf. VOLATERAN. *Lib. XXII, pag. 503.* Electio *Sergii II*, qui ante *os porci* dictus, Papa factus nomen mutauit, *a Lothario* Imperatore, filio Romam miſſo, confirmata fuit, teſte SIGEBERTO *Gemblacenſi* ad annum DCCCXLIV. Conf. *Annales Bertinian.* ad annum eundem. Ipſe BARONIVS *ad annum* DCCCLV, *num. 4*, agnoſcit, id moris fuiſſe, *ut Epiſcopi, quae uellent in Eccleſia ordinari atque diſponi, non niſi ſacerdotali auctoritate per Canones conſtituerent, ſed ea per capita digeſta mitterent in palatium probanda ab Imperatore. Carolus Caluus* anno DCCCLXXV Imperator creatus, iuris ſui in eccleſiaſtica tenaciſſimus

fuit,

fuit, quod ex actis *Synodi Pontigonenſis*, quae *in Annalibus Bertinianis* ad an. DCCCLXXVI extant, ſatis adparet.

§. 37. Non omittenda hic *Iohannis VIII*, uulgo *Iohannae Papiſſae*, hiſtoria; quae inter *Leonem IV*, et *Benedictum III*, Romanam ſedem, mentita ſexum, obtinuiſſe, magno Pontificiorum Scriptorum conſenſu traditur. Narrationem hanc de dicta Papiſſa longa ſeculorum ſerie, in ipſa Rom. Eccleſia usque ad Reformationem coeptam pro ueriſſima habitam, ſuperiori aeuo primus *Iohannes Aucatinus*, qui *Baronio* eſt haereticus, pro fabella uenditare auſus eſt. Sed ueritatem eius *Frid. Spanhemius* peculiari libro uindicauit. *Salmaſius* penes ſe fuiſſe *codicem manuſcriptum Anaſtaſii* Bibliothecarii teſtatur, in quo difertis uerbis *Iohannis Papiſſae* uita lecta fuerit. BOECLERVS etiam *in uita Lotharii I, Imper. pag. 118* refert, *Salmaſium* ſibi in Suecia confirmaſſe, ſe, ut primum per ualetudinem poſſet, literis mandaturum, quae ad adſtruendam rei fidem pertinerent. Conf. Cl. SARRAVII *Epiſt. ad Salmaſ. pag. 172 et 173, pag. 183 et 224.*

§. 38. Propagatio Religionis interim *Ludouico Pio* Imperat. curae fuit. Nam *Anſcharium*, Archiepiſcopum Hamburgenſem a ſe conſtitutum, in *Daniam*, *Sueciam* et *Norwegiam*, ad praedicandum Euangelium ablegauit, addito adiutore praedicationis *Ebone*, Remorum Archiepiſcopo. Vid. EGINHARD. *Annal.* ad annum DCCCXXIII, *S. Anſcharii uitam geminam*, Holmiae a CLAVDIO ARRHENIO editam, et CRANZII *Metropol. Lib. I, cap. 19, ſeqq.* Gens *Slauonica*, per *Poloniam*, *Bohemiam* et *Morauiam* diſperſa, *Auares* in *Dacia* conſidentes, *Bulgari* et *Ruſſi* denique hoc etiam aeuo religione Chriſtiana imbuti ſunt. Vid.

SPAN-

SPANHEMII *Compend. Introduct. ad Hist. Eccles. Sec. IX, p. 259, seqq.*

§. 39. Ceterum *DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM* hoc seculo ualde collapsam fuisse, non *Canones* tantum *Synodorum* probant, sed SIGONIVS etiam *Lib. V de Regn. Ital.* ad annum DCCCLXXXIII annotauit: *Regibus*, inquit, *et Pontificibus, assiduis certaminibus occupatis, paulatim uetus Ecclesiae disciplina est lapsa. Siquidem praeter caetera turpi Simoniacorum et Nicolaitarum haeresi polluta ac corrupta sunt omnia. Quorum illi interdicta sacrorum commercia, hi prohibita clericorum connubia defendebant.* Vbi male, sed usitato tamen Pontificiis conuitio *Nicolaitae* uocantur, qui clericorum coniugio fauebant; cum *Nicolaitae* olim repudiato coniugio ad promiscuas libidines ferrentur. Ideo *Huldericus*, Episcopus Augustanus, *Nicolaum I*, Papam, monuit, ut a diris execrationibus, quibus *clericos connubio iunctos* infectabatur, desisteret: cum obscurum non esset, ad continentiae donum non omnes esse a DOMINO uocatos. Vid. *Orthodoxogr. Patrum pag. 481*, conf. *supra §. XXXI.*

§. 40. Ad melioris doctrinae et disciplinae incrementum *Ludouicus Pius* sacras literas in *linguam Theudiscam*, h. e. Germanicam transferri primum curauit, ut ab omnibus ad aedificationem legi possent. Vid. ANDR. DVCHESNII *Tom. II, p. 326*, ubi tamen obserues pro genio seculi, homines magis sollicitos fuisse de S. literarum *mystico sensu*, *tropologia* et ἀναγωγῇ, quam *de literali*: quae praeposterа exponendi ratio quantum in Ecclesiam mali inuexerit, posteра secula testantur. Hunc tamen sensum etiam *Ludouicum* nouisse, THEGANVS *cap. XIX* in laude eiusdem reponit.

ponit. *Otfridus*, Monachus S. Galli, circa annum DCCCIII *Euangelia carmine germanico* expreſſit. Quae *Beatus* Rhenanus primum Friſingae, inuenit. Vid. *Libr. eius II de rebus German.* *Matth. Flacius* illa Baſileae anno 1571 publicauit hoc titulo: *Otfridi Euangeliorum liber, ueterum Germanorum Grammaticae, Poëſeos Theologiae praeclarum monumentum.*

§. 41. Maiorem *cultus diuini externi* partem in ſanctis colendis, reliquiis requirendis transferéndisque, Miſſis celebrandis ac miraculis confingendis, itemque peregrinationibus ad loca ſacra meriti cauſa fuiſſe, omnes fere huius aeui Scriptores teſtantur. Monaſteria etiam Monachi per Occidentem, otio, luxuria et flagitiis implere magis coeperunt. Fuerunt quidem in Synodis Sacerdotum et Monachorum uitia, ut ignauia, auaritia, luxuria et concubinatus uetita; Simonia etiam et uenationes Epiſcoporum reprehenſa: At illis tollendis omnis diſciplina impar fuit. Etſi poenitentiae publicae gradus canonicos aliqui in Eccleſiam reuocare ſatagerent.

§. 42. *Monaſteriorum*, quae olim inſtar Scholarum erant, memorabilis hoc ſeculo *diſtinctio* occurrit. Nam *Ludouicus* Imperator anno DCCCXVII conſtituit, ut quaedam monaſteria in Imperio et regno Francorum militiam facerent et dona ferrent: quaedam ſolis orationibus pro ſalute Imperatoris uel filiorum eius ac ſtabilitate Imperii uacarent. Vid. ANDR. DVSCHENII *Tom. II, fol. 323*, et NAT. ALEX. *Hiſt. Eccl. Sec. IX et X, cap. V, art. VII.*

§. 43. *Scholae* officinae literarum et diſciplinae melioris hoc aeuo conſtitutae a IO. LAVNOIO peculiari *Libro de Scholis* memorantur. Nam praeter *Pariſienſem* a *Carolo M.* ſuadente *Alcuino* iam erectam, in

Germania

Germania *Osnabrugensis*, *Corbeiensis*, *Fuldensis*, et *Hirsaugiensis* apertae sunt. In Italia iam *Papiensis*, *Patauina*, et *Bononiensis* florebant; quippe quae originem ad *Carolum M.* referunt.

§. 44. *PERSECVTIONES* Imperii et Christianorum hostes *Mauri* et *Saraceni* ex Africa et Hispania erumpentes, Ecclesiam deuastarunt, et in Christianos simul in *Italia*, *Sicilia*, *Sardinia*, et aliis locis grassati sunt. *Genebrardo* memorante, anno Christi DCCCL tres *Arabum* persecutiones in *Hispania* intra decennium Christianos afflixerunt, quas *Eulogius Martyr tribus Libris* descripsit. Irruptiones eorum in *Graeciam* et *Thraciam* ELMACINVS *in Hist. Saracen.* conf. etiam ZONARAM *Tom. III in uita Basilii*, *Nordmanni* seu *Norwegi* e Scania nauigiis egressi, et innumerabili multitudine in oras maritimas *Frisiae*, *Flandriae*, *Picardiae* et *Galliae* effusi, omnia caede, flammis et rapinis miscuere, ac Christianis passim magnum terrorem incusserunt; ut *Litaniae* hac de causa nouae institutae fuerint. De quorum grassationibus Rerum Normannicarum et Francicarum scriptores passim memorant. Conf. *Magdeburg. Centur. IX, cap. XVI de Motibus Polit. Vandali*, *Slaui* et *Bohemi*, feroces adhuc gentes, Christianos in *Germania* uicinos passim infestarunt, martyrio ipsos afficientes. PAVLINVS GOTHVS *Hist. Arct. Lib. II*, *cap. 44*, de *Danis* Christiana religione nondum mitigatis memorat, quod in uicinos Christianos saeuierint. Conf. CRANZII *Lib. II Metropol. cap. III et XVII.*

§. 45. In *Annalibus Bertinianis* ad an. DCCCXLVII *Bodo*, Diaconus gente Alemannus, qui ex Christiano Iudaeus factus, Christianos in *Hispania* grauissime afflixit. Nam Saracenos contra Christianos concitauit,

ut

ut omni crudelitatis modo hoſce premerent. Quapropter Chriſtiani ad *Carolum Caluum*, Regem Franciae, regnique Epiſcopos literas dederunt, ut ille apoſtata ex Hiſpania reuocaretur.

§. 46. *MEMORABILIA*, ſi miracula et prodigia a Monachis ad confirmationem erroris de inuocandis ſanctis, de celebrandis miſſis et purgatorio conficta recenſere operae pretium foret, plurima occurrunt. Sed omiſſis illis aut leuiter tactis, ueriora ex annalibus annotabimus. Qualia ſunt (1) *cometa* terribilis an. DCCCXIIX uiſus *Ludouicum Pium*, Imperatorem, terruit, cui Aſtronomus dixit, *metum hunc paganis, non DEI cultoribus conuenire*: At LVDOVICVS repoſuit, *ſolum cometae creatorem ſe timere; non tamen dimittendas poenitentiae occaſiones his uelut indiciis demonſtratas.* Vid. GASSENDI *Meteorol. Epicuri fol. 163*, et *uit. Peireſck. Lib. III.* (2) Interitus *Popieli*, *Poloniae* Principis, a muribus conſumti cum uxore et liberis, qui ex cadaueribus patruorum enati ultores ſceleris, quod illos ueneno ante ſuſtuliſſet. Hinc poſt interregnum principatus ad *Piaſtum* delatus eſt, teſte ALEX. GVAGNINO *Rer. Polon. Tom. I ad an.* DCCCXXX. (3) Chriſtiana Religio in *Daniam* et *Sueciam* Diuino munere per *Anſchar um* propagata. (4) *Legendae Aureae*, h. e. uitae Sanctorum Euangeliis aequiparari iam coeperunt. (5) *Fames* dira per Germaniam anno DCCCL graſſata, quam *Annales Metenſes* annotarunt. Dirior fames fuit, quam *Vrsbergenſis* Monachus ad an. DCCCIIX annotauit, quae homines ſe inuicem comedere adegit. Vid. *Hermannum Contract. an.* DCCCXCVI. (6) *Spectrum* diabolicum in regno *Ludouici II*, Regis Germaniae per triennium multos miris praeſtigiis publice infeſtauit.

Vid.

Vid. *Annales Metenſ. ad annum* DCCCLVIII. (7) *Innocentiae* probandae modus hoc aeuo frequens, qui candenti ferro et feruenti aqua fiebat, a Pontifice Rom. *Nicolao* improbatus fuit. Nam *Theutberga* adulterii a *Lothario* Rege, marito ſuo, poſtulata, cum innocentiam ſuam candenti ferro demonſtrare iuſſa eſſet, Papa nominatus reſpondit: *Singulare certamen nulla diuina lege ſancitum eſſe; qui id tentarent, DEVM ipſum uideri tentare.* (8) *Carolus II*, Caluus dictus, filium ſuum *Carolomannum* oculis priuauit, quod diaconi munus obire nollet. Vid. *Annales Metenſ. ad annum* DCCCLXX. (9) Ingentium *locuſtarum* agmina anno DCCCLXXIV Galliam depopulata ſunt. Vid. *Annal. Fuldenſ. cit. anno*, et AVENT. *Lib IV.* (10) *Leo III*, Papa, teſte BELLARMINO *Lib. I de Sanct. beat. cap. VIII*, et BARON. *ad annum* DCCCIII primum ἀποθέωσιν, ſeu canonizationem Sanctorum introduxit, *S. Suiberte*, Epiſcopo Verdenſi, in Diuorum numerum translato. (11) *Valentinus*, Papa, feſtum omnium Sanctorum, iubente *Ludouico* Imper. ad Calend. Nouembris tranſtulit. Vid. BINIVM *Tom. III Concil. Part. I, Sect. II*, BARON. *ad annum* DCCCXXXV. (12) *Leo IV*, Papa, teſte PLATINA, *Angliam* ſibi uectigalem reddidit, *Ethelwolfo* per diſpenſationem ſuam ex Monacho conſtituto Rege, ut quotannis domatim nummus ſibi argenteus daretur, qui *denarius Petri* poſtea dictus fuit. (13) De mira *uiſione Caroli Craſſi* BARONIVS *an.* DCCCLXXXIIX, *n.* 1, haec annotat: *Fertur libellus eiusdem Caroli de uiſione ipſi ante triennium oſtenſa de locis inferis et purgatoriis, quibus complures torqueri uidit Principum et Epiſcoporum, qui bellorum ciuilium fomitem ſuccendiſſent.* Conf. VVILHELM. *Malmesburienſ. de Geſt. Reg.*

Angl. Lib. I, c. 2. (14) Hoc seculo corpus *S. Marci* ex urbe Alexandrina a mercatoribus *Venetias* translatum fuisse, daturum scilicet urbi patronum, teste PLATINA *in uita Gregorii IV.* (15) *Hadrianus VIII*, Papa, initio sui Pontificatus statim ad Senatum retulit: *ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas* expectaretur. Ita ausi sunt, iudice CRANZIO *in Metrop. Lib. V, pag. 116.* Pontifices *Imperatores suos contemnere, dum imperii uirtus elanguit.* Addi potest *Aelfridi*, Regis Angliae, uitae religiositas, quam NAT. ALEXAND. *Hist. Eccles. Secul. IX et X, c. g. Art. III*, praedicat.

§. 47. Ex supra commemoratis constare potest, ut cum industria Imperatorum simul etiam (ut PLATINA *in Formoso I* loquitur,) Pontificum uirtus et integritas defecerit; siue, quod DEVS hominum peccata sic ulcisci uoluerit: cum, dicente *Bouillo*, scriptore Pontificio egregio, *DEVS iustissimus sit, dum mortales rebus mortalibus addictos punit per ipsamet, quibus addicuntur*; siue, quod homines moniti resipiscere noluerint, praedominante cleri ignorantia et ambitione. Vnde *Romanam* inter et *Graecam* Ecclesiam dirum *schisma* ortum, quod ipse BARONIVS ad annum DCCCXCIX deplorat: et ROLIVINGVS *Carthusianus in Fascic. temp. pag. 68*, exclamat: *Heu heu, DOMINE DEVS, quomodo obscuratum est aurum! Mutatus est color optimus! qualia contigisse circa haec tempora etiam in sancta sede Apostolica, quam usque huc tanto zelo custodisti, legimus scandala! quales contentiones et aemulationes, sectae, inuidiae, ambitiones, intrusiones, persecutiones! O tempus pessimum, in quo defecit sanctus, et diminutae sunt ueritates a filiis hominum.* In hac tamen corrupta rerum facie, *Bulgari Bohemi, Dani* et *Sueci*, quae Dei est *gratia*, ad fidem

CHRI-

CHRISTI conuersi sunt plures. Qui licet superstitione ex Romana Ecclesia deriuata simul imbuti fuerint; non tamen illa fidem apud omnes oppressit, ut non uirtutem suam, uerbo DEI et Sacramentorum usu antecedente exseruerit. Deus enim sanctum semen semper aliquod etiam in obscurata Ecclesiae facie conseruauit.

PERIODI III

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT IV

DE

SECVLO X CHRISTIANO

§. 1

Ordiri cogimur hoc seculum a querela BARONII *ad annum* DCCCC, *num. 1*, quod *sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, maique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum appellari consueuerit obscurum.* Quae confessio Cardinalis non de toto seculo, sed eius praesertim initiis et progressu, usque ad *Ottonum* tempora exaudienda est. Nam *Otto I*, anno DCCCCXXXVI, cum Imperium suscepisset, negotia Ecclesiae et reipublicae pro genio seculi melius ordinare contendit: Inprimis uero Pontifices Rom. in ordinem redegit, qui ante eum non uno crimine infames fuerunt. Quod BARONII *ad annum* DCCCCXII, *num. 8*, testimonio nouimus:

mus: *Quam foediſſima*, ait, *Eccleſiae Romanae facies, cum Romae dominarentur potentiſſimae aeque ac ſordidiſſimae meretrices! Quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, et, quod auditu horrendum et infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum amaſii Pſeudo-Pontifices, qui non ſunt, niſi ad conſignanda tantum tempora, in Catalogo Rom. Pontificum ſcripti. Quis enim a ſcortis huiusmodi intruſos ſine lege legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices?* Pergit Cardinalis: *Dormiebat tunc plane alio, ut apparet, ſopore Chriſtus in naui, cum hiſce flantibus ualidis uentis nauis ipſa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui iſta non uidere diſſimulans, ſineret ſic fieri, dum non exurgeret uindex.*

§. 2. In hac ſterilitate ſeculi, pauci numerantur *Scriptores*, quorum monumenta relatu digna ſunt. *Primus* inter *Graecos* eſt *Simeon*, *Metaphraſtes* a ſcribendi modo, a munere uero Cancellarii *Logotheta* appellatus; qui *de uitis ſanctorum* agit. Vbi *Bellarminus* obſeruat, multa eum ex ingenio proprio de illis finxiſſe, non ut res geſtae fuerint, ſed ut geri potuerint. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. et Cl.* HANCKII *Part. I, cap. 24, de Script. Byzant.* nec non LEONIS ALLATII *Diatriben de Scriptis Simeonum.*

§. 3. CONSTANTINVS PORPHYROGENETA, Imperator Conſtantinopolitanus, *Narrationem* de *Imagine Chriſti* ab ipſo Saluatore ad Abgarum, Edeſſae regem, miſſa, et Edeſſa Conſtantinopolin an. DCCCCXLIV deportata ſcripſit, quam COMBEFISIVS *in Origin. Conſtantinopol. pag. 75* exhibet. Praeterea alia *opuſcula politica* et *hiſtorica* compoſuit, a *Meurſio*, Lugduni Batau. anno 1617 edita.

§. 4.

§. 4. NICON, *Armenus* gente, adulto hoc seculo, de *Armeniorum pessima Religione* librum conscripsit. De quo BARON. ad an. DCCCCLXI, DCCCCLXIX, DCCCCLXXXI, et seqq. memorat. Ipse ob Apostolatum, quo ad gentes conuertendas defunctus erat, et miracula patrata, Sanctorum catalogo insertus legitur.

§. 5. EVTYCHIVS BATRICIDES, filius *Batrici*, Arabibus appellatus SAID IHN BATRICK, gente Aegyptius, arte medendi clarus, Alexandriae dignitate Patriarchae functus. *Annales* ab *Orbe condito usque ad annum seculi huius quadragesimum* componit, quos Oxonii anno 1659 foras dedit *Eduardus Pocockius* et Arabum, et Latino idiomate.

§. 6. MOSES BARCEPHA, Episcopus Syrus, Librum *de Paradiso* in duas Partes diuisum conscripsit, qui ex Syriaco sermone Latine redditus *in Biblioth. PP. Tom. XVII* extat.

§. 7. OECVMENIVS, Scriptor alias incertae aetatis, ad hoc seculum refertur, qui inter Graecos clarissimus est, et Noui Testamenti uulgo *Scholiastes Graecus* audit; quod ex ueterum commentariis, praecipue ex *Chrysostomo*, Acta Apostolorum et Epistolas Paulinas illustrauit. *Opera* eius Graece et Latine Parisiis anno 1631 prodierunt. Referunt aliqui etiam ad annum DCCCCLXXX *Suidam*, celebrem Grammaticum et Philologum, autorem *Lexici Grammatico-Historici* ab *Aemilio Porta* Cretensi Graece et Latine editi. Vid. CAVE *Hist. Lit. fol. 587, seqq.*

§. 8. Inter *Latinos* Scriptores celebriores sunt ODO, gente Francus, Monachus et aliquamdiu Abbas in Gallia, ob uitae sanctitatem clarus, qui uaria

Opuſcula compilauit, quae *in Biblioth. PP. Tom. XVII* habentur.

§. 9. RATHERIVS, Monachus Lobienſis, Epiſcopus poſtea Veronenſis, uarios *Sermones ſacros* et alia *Opuſcula* conſcripſit, quae collecta LVCAS DACHERIVS *Spicileg. Tom. II* edidit.

§. 10. SMARAGDVS, Abbas S. Michaelis ad Moſam, *Diadema Monachorum de uitiis fugiendis et uirtutibus tenendis* compoſuit: it. *Commentarios in Euangelia* et *Epiſtolas Dominicales*, ex Patribus collectos, Argentinae an. 1539 editos. Vid. LABBEI *Tom. II, pag. 362*, et MABILLONIVM *Analect. Tom. II, pag. 418.*

§. 11. BVRCHARDVS, patria Haſſus, circa finem huius ſeculi Epiſcopus Wormatienſis *Volumen Canonum* collegit, Coloniae anno 1548 editum. Fuit et alius *Burchardus* primus Miſnenſium Epiſcopus hoc ſeculo notus, ſed nullis, quod ſciam, ſcriptis clarus.

§ 12. LVITPRANDVS, Italus, qui Francofurti condidit *Hiſtoriam*, in qua *Berengarii*, Italiae Regis, tyrannidem deſcripſit. *Chronicon* eius, *Librum de Pontificum Romanorum geſtis*, aliaque eius Opera, *Hieronymus de la Higuera*, et *Laur. Ramireſius* Antwerpiae anno 1640 publicarunt; conf. LABB. *de Script. Eccl. Tom. II, pag. 35.*

§. 13. WITIKINDVS, ſiue WINDVCHINDVS, Saxo, monachus Corbeienſis, medio huius ſeculi clarus, *de Rebus Saxonum*, ſiue *Henrici Aucupis* et *Ottonis I*, Imperat. geſtis *Lib. III* ſcripſit, quos Cl. MEIBOMIVS cum aui ſui notis *Tom. I Script. Rer. Germ.* publicauit.

§. 14. NOTGERVS, ſeu NOTKERVS, Germanus, Epiſcopus Leodienſis, *Ottoni* Imperatori inprimis gratus,

rus, *Historiam Episcoporum Leodiensium, uitas S. Landoaldi* et *Remacli*, Episcopi Traiectensis, conscripsit. Vid. SVRIVM ad *III Sept.* et CVNISIVM *Tom. IV, pag. 761.* Plures *Sermonum, Homiliarum, Epistolarum*, et *uitarum Sanctorum* compilatores hic addere non uacat; cum parum interfit studiosae iuuentutis eos nosse, aut ignorare.

§. 15. *DOCTRINA PVBLICA* in hac seculi sterilitate et rerum caligine, in Symbolis Ecclesiae ueteris receptis continebatur: Licet propter errores Papales eius capita ab ignaris S. literarum doctoribus, populo minus pure explicarentur; praedominante iam in Ecclesia superstitione magno ceremoniarum apparatu adornata. Interim Sacramentorum usus quoad substantiam integer mansit; nisi quod Missae abusus in S. Eucharistia, atque ritus inanes in Baptismi actu inoleuissent. *Symbolum* doctrinae publicae a *Pelegrino*, Lauracensi Archi-Episcopo, contextum ex Orthodoxographis *Magdeb. Cent. X, c. 4*, recensent.

§. 16. *Contentiones* in Ecclesia *Occidentali* de *praesentia Corporis CHRISTI in S. Eucharistia* iam ortae feruebant; adeo, ut censente MEZERAEO *Tom. II Histor.* ad probandam realem praesentiam, miraculis opus fuerit, quibus fingendis sacrificulorum et Monachorum ingenia iam idonea uidebantur.

§. 17. In *Orientali* Ecclesia dissensus a *Latina*, in capitibus de Processione Spiritus S. de Ieiunio Sabbati, de Azymis, de Purgatorio et Coelibatu clericorum auctus magis, quam imminutus fuit. Vt frustra sit LEO ALLATIVS, qui consensum hac in parte adstruere *Lib. II, cap. 7, 8*, laborauit. Aperte id satis BARONIVS *ad annum* DCCCCXIV *et* MXXXIX, *n. 1*, fas-

sus est, quando scribit: *Orientales mansere discissi a communione Catholicae Ecclesiae et Apostolicae sedis.*

§. 18. Fuit etiam controuersia de Iure Compaternitatis mota, impediatne coniugium? quod *Polyeuctus* uoluit. Vid. ZONARAM *Tom. III, fol. 160.* Ob quartas nuptias *Leonis* Imperatoris sub initium huius seculi dissidium exortum, *Constantinus Porphyrogenetus* edito ἐ ωτικῶ de abrogandis illis, consopiuit. Conf. ZONARAM *Tom. III, fol. 143*, et BARONIVM *ad annum* DCCCCXX *et* DCCCCXXI.

§. 19. Cum Catholicae ueteris doctrinae cura fere exoleuisset, et omnes Sacerdotes ac Monachi de ceremoniis ac superstitionibus tuendis uel augendis magis, quam de fidei capitibus solliciti essent, *haereses* nouas hoc aeuo enatas fuisse non legimus. Ex antiquis tamen quaedam propullularunt atque disseminatae sunt.

§. 20. *Anthropomorphitarum* haeresin medio huius seculi in *Italia* late grassatam, *Parassum*, nobilem Lombardiae ciuitatem totam occupasse, BERGOMENSIS *ad annum* DCCCCLI memorat. Sed Archi-Episcopus Mediolanensis arripiens gladium *Petri*, ciuitatem hanc inuadens, omnes eius incolas, nulla habita sexus aut aetatis ratione, hac de causa trucidauit, urbemque deleuit. Conf. SIGEBERTVM *ad annum* DCCCCXXXIX.

§. 21. In Oriente foedam *Manichaeorum* sectam disseminatam Praesul Antiochenus e sua uicinia depulit: cui *Philippopolis* receptum praebuit; cum Muhammedani cum illa multa fouerent communia placita. Vid. *Magdeburg. Cent. X, cap. 5.*

§. 22. Inter ipsos *Muhammedanos* noua etiam secta ab impostore quodam, cui nomen *Cernat*, excitata fuit.

fuit. Qui e paganis et deserti Orientis incolis, quibus nec intellectus nec religio fuit, ad nouas superstitiones suas inuitauit, et dicto audientes multos inuenit, qui uix credenda patrasse dicuntur. Vid. EDW. POCOCKII *Specimen Hist. Arab. p. 371.*

§. 23. *Henrici Aucupis*, Germaniae Regis, tempore, in Germania crimen *Simoniae*, quam *haeresin Simoniacam* LVITPRANDVS *Lib. II, cap. 8 et 9*, uocat, ualde inualuerat, ut Episcopatus, Abbatiae et aliae dignitates Ecclesiasticae essent uenales. Quare laudatus *Henricus*, antequam prope Mersburgum Hungaros memorabili acie profligaret, uoto se obstrinxerat, se obtenta uictoria istam haeresin exstirpaturum esse. Vid. NAT. ALEXAND. *Hist. Eccl. Secul. IX, X, cap. VII, Art. VI.*

§. 24. *CEREMONIARVM* ac *cultus externi* studium magis hominum animos, quam doctrinae et uerae pietatis, quae Christianos decet, occupauerat. Congressus quidem nocturni ad cantiones et precationes instituti sic satis frequentes erant; at uero in illis et tenebrarum opera ac scelera patrata fuisse, LVITPRANDVS *Lib. II, cap. 20*, memorat. Conf. RHEGINON. *de Discipl. Eccles. Lib. I, cap. 54.*

§. 25. In Ecclesiis *Anglicanis* hoc seculo κύριε ἐλέησον cantari coeptum est, ideo, quod *Dunstanus*, Cantuariensis Episcopus, (ut fingitur,) missam celebraturus, in altari obdormiuerit, ac in coelum uelut per ecstasin raptus ab Angelis id cantantibus didicerit: ita refert VICENTIVS *Bellouacensis Lib. XXIV, cap. 85.* Festum etiam *omnium Animarum* post festum omnium Sanctorum celebrandum institutum, quas potissimum Cluniacensium Monachorum orationibus liberari a poenis Purgatorii, ex pluribus diuersisque reuelatio-

nibus ostensum erat, ut BARONIVS *ad an.* DCCCCXCIIX annotauit. Sodalitia etiam instituta pro iuuandis mortuis, iuratis Missarum ad certos dies cantionibus, sub uinculo anathematis, apud BARONIVM *ad annum DCCCCLXXXIV, num. 5.*

§. 26. Sacram coenam hoc seculo iuxta institutionem CHRISTI et clericis et laicis integram adhuc fuisse praebitam, ex WITIKINDI *Lib.* et RHEGINONIS *de Disciplina Eccles. Lib. I, cap. 119* liquet. *Ille* enim memorat, quod *Otto I*, Imperator, lecto decumbens Sacramentum Corporis et Sanguinis dominici expetiuerit et perceperit: *Hic* uero docet, infirmorum animas Corpore et Sanguine DOMINI reficiendas esse. RVDOLPHVS *Lib. XIV, cap. 4*, scripsit: *Populus Sacratum CHRISTI Corpus assumit, bibit et beatum Sanguinis ipsius hausium.*

§. 27. Superstitio tamen improba hoc seculo inualuit; ut qui criminis alicuius rei aut suspecti essent, usu S. Coenae se ab isto purgare iuberentur. Ita *Fridericus*, Archi-Episcopus Moguntinus, haut temeraria suspicione conspirationis in Imperatorem *Ottonem* reus actus, Corporis et Sanguinis DOMINI usu sese liberare uoluit, memorante *continuatore Histor.* RHEGINONIS *anno* DCCCCXLI. Huc referas ritum consecrandi aquam, qua daemones abigi, aedes, agros, uineas, pecora horumque pabula adspersa consecrari atque salutaria reddi, persuasum habebant. Vid. RHEGINONEM *Lib. II, c. 210.* Non minor superstitio circa Sanctorum ossa, et eorum cadauerum translationem obtinuit. Exempla horum *Magdeburgici Centur. X, cap. 6*, annotarunt. Templis nouiter exstructis nomina uel Saluatoris, uel Angelorum, uel S. Mariae, uel Martyrum indita sunt. In quibus anathe-

mata

mata seu arma et insignia praestantium uirorum ex gentilium ritu suspendi coeperunt.

§. 28. Maiestatem Imperii etiam externis et superstitiosis rebus ad opinionem uulgi facientibus augere uoluit *Henricus Auceps*. Nam *Lanceam* (inquit SIGEBERTVS *ad annum* DCCCCXXIX, *mirandi operis, et clauis IESV CHRISTI crucifixi sanctificatam, quae dicitur primi et Magni Constantini Imperatoris fuisse, donatam Rudolpho, Regi Burgundionum et Italiae, a Samsone Comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte Prouinciae Sueuorum, a Rudolpho Comite extorquet, et hanc ad insigne et tutamen Imperii posteris relinquit.* Vid. LVITPRAND. *Lib. IV, cap. 12*, BARON. *ad annum DCCCCXXX, n. 5*. Huc pertinet fabula de manu *Dionysii Martyris*, ueluti fatali pignore Imperii missa receptaque: item de *S. Vito*, Saxoniae post translationem e Gallis patrono et instauratore. Vid. CRANZII *Saxon. Lib. III, cap. 6.*

§. 29. Fabulam de Sanguine CHRISTI, in Augiam insulam delato, HERMANNVS *Contractus anno* DCCCCXXIII memorat, MARIANVS *Scotus* eodem anno hanc annotauit, addens: *Forte ille Sanguis, qui de imagine CHRISTI confluxerat, cum in Beryto ciuitate a Iudaeis patiebatur eadem, quae DOMINVS passus est ab eis.* Vbi hominum uanam credulitatem notes. Quo indicio sciri potuit, Sanguinem CHRISTI esse, si ubi, et quando fusus, ignorabatur? Referri huc merentur uisiones *Flotheldae* uirginis, in Lauerna Remensis territorii uilla factae, apud FRODOARDVM *in Chronic.* quod P. PITHOEVS edidit *pag. 201, seqq.*

§. 30.

§. 30. Campanarum conſecratio uel baptiſmus autore *Iohanne XIII*, Pontifice Romano, coepit, annotante BARONIO *anno DCCCCLXVIII, n. 93.* Quod *παιδιᾶς* genus ad contemtum ſanctiſſimi Sacramenti pertinet. Religioſior hac in parte *Carolus M.* fuerat, qui teſte VOSSIO *Diſput. XII de Baptiſm. Theſ. I*, uetuit, *clocas baptizari.*

§. 31. Apud *Polonos* ſub Duce *Miecislao* profanus inoleuit mos, ut quando Sacerdos Euangelium ad altare recitaturus eſſet, uiri equeſtris ordinis ſtringerent gladios uel acinaces, uelut Euangelii et religionis Chriſtianae defenſionem profitentes; reſpondente autem choro, *Gloria Tibi, DOMINE.* reconderent. Vid. CROMERI *Hiſtoriam Pol. Lib. III.*

§. 32. *DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM* corruptis cleri moribus, corruptiſſimam aeui huius initio fuiſſe, AVENTINVS *Annal. Boior. Lib. IV, f. m. 368* his uerbis prodit: *Creuerant Principe puero* (Ludouico IV,) *tum in Germania uitia Sacerdotum. Nam et Romanus Pontifex ob ſcelera male audiebat uulgo: Venter et ea, quae ſub uentre, illis Deus erant. Vino, Otio, Veneri et Cereri dediti ſacras et profanas literas iuxta contemnebant. Virgines ſacratae paſſim inceſtu polluebantur. Adulterio nihil communius erat. Arrogantia, ſuperbia, luxus, libido, auaritia, communia ſacerdotum mala inualuerant: Ciuitatem illi omnem ueſte, inceſſu, armis, quaſi carnifices circulatoresque prae ſe ferebant, pauperes, pupillos, uiduas compilabant. Nemo hos defendebat. Carmina amatoria paſſim cantitabantur. Emere, uendere ſacra, pietas erat. Conradus Hotopagus et Geoptardus Argentoratenſis, uates diuini, tum facundiam in uitia ſacerdotum et Monachorum auiditatem exercebant, ac niſi re-*

si resipiscerent, flagellum DEI Attilam adfore propediem, praedicabant. Sed nemo his recte monentibus praecipientibusque obtemperabat. Ira DEI mortales urgebat: cum insipientissimi essent, sapientissimos se esse credebant: superstitionem religioni, umbram rei speciem pietati praeferebant. Plura de formis Ecclesiae status testimonia annotauit HOTTING. *Hist. Eccles. cap. 10. Sect. I.* Auxit hanc cleri improbitatem indulgentia Caesarum. Nam, AVENTINO *Lib. V*, attestante, *Henricus primus Imperatorum Sacerdotes et Monachos ditauit: ipsis uenationem quoque indulsit. Monachi arrepta occasione ex paupertate, seuerioris religionis iugo excusso licentius uiuere coeperant. Ottonis I*, Imperatoris, larga in antistites liberalitas uel profusio ipsis ansam luxus maiorem praebuit, ut sacrorum curam negligerent, uelut antiquatis disciplinae ueteris canonibus.

§. 33. *REGIMEN ECCLESIAE* Pontifices Romani iam sibi uindicare coeperant: qui cum uitiis pessimis immersi essent, curam sacrorum insuper habuerunt. Ideo seculum hoc infelix GILB. GENEBRARDVS *Lib. IV, Chronologiae ad annum DCCCCI, pag. 807*, deplorat *foedatum quinquaginta Papis, a Iohanne hoc (IX) ad Leonem IX, usque per annos CL, quia a uirtute maiorum prorsus defecerint, et Apostatici atque Apostatici potius, quam Apostolici fuerint, qui ui aut largitione sedem inuaserint, et per posticum non ostium intrarint. Ita*, ut *Stella* loquitur, *omnis uirtus tam in capite*, (Rom. Pontifice,) *quam in membris ex hominum ignauia, consumta fuerat. Sergius III*, arte et opera scorti nobilis *Maroziae* Pontificatum nactus, omnium facinorosissimus fuit. Vid. LVITPRANDVM *Lib. III, cap. 12*, et BARONIVM ad annum DCCCCIIX. *Iohannes X*, teste LVITPRANDO

Hist.

Hist. XIII, *contra ius fasque*, *Theodorae* scorti artibus adiutus sedem Romanam inuasit, uitamque misere finiit suam. Vid. SIGEBERTVM ad annum DCCCCXXX. Non melior *Iohannes XI*, ex Papa *Sergio* et matre *Marozia* genitus. Vid. BARONIVM ad an. DCCCCXXXI et DCCCXXXIII. Conf. M. ANTON. DE DOMINIS *de Reg. Eccles. IV*, 7, *fol. 636.*

§. 34. *Otto* uero *primus*, Imperator, ius sibi in Episcopos Romanos uindicatum iuit; quando *Stephanum IX* (*Platina VIII* uocat,) Pontificem instituit, atque *Benedictum V* eiecit, sibique ius eligendi Pontifices ac inuestituram cleri, consensu totius cleri et populi asseruit. Vid. SIGEBERTVM ad annum DCCCCLXIII, CRANZ. *Saxon. IV*, 10. Mortuo *Leone VIII* legati Romanorum, *Azo* uidelicet Protoscriniarius, et *Marinus* Sutriensis Ecclesiae Episcopus Imperatorem pro instituendo, quem uellet, Romano Pontifice in Saxoniam adeuntes, honorifice suscipiuntur et remittuntur, scribit *Autor Supplementi Rheginonis*. Conf. CONRINGII *de Germ. Imper. Rom. cap. X*, ubi *Baronium* refutat, cui *Ottonis I*, in constituendis, iudicandis et destituendis Pontificibus, itemque in Synodis cogendis potestas displicet. SIGON. etiam *de Rege Italiae VII*, *Ottonis II* auctoritatem in constituendo Pontifice affirmat: qui teste *Ditmaro*, Episcopo Martisburgensi, etiam alios Episcopos et Archi-Episcopum *Adelbertum* Magdeburgensem inuestiuit, Synodosque coëgit, quas BARONIVS anno DCCCCLXXIII, DCCCCLXXV, DCCCCLXXIX et DCCCCLXXXIII memorat. *Otto III* quoque *Brunonem* Saxonem, propinquum suum anno DCCCCXCV. Pontificem Rom. declarauit, teste SIGONIO *de Regn. Ital.*

Ital. Lib. VII. Cui *Gerbertum Syluestrum II*, anno DCCCCXCIX succedere iussit. Nondum ergo hoc seculo Imperatores Ius Ecclesiasticum sibi adimi passi sunt: Etsi in multis iam imminui coepisset, grassantibus Papis R. ad dominatum diu desideratum stabiliendum.

§. 35. Quod etiam *SYNODI* hoc aeuo autoritate uel consensu Principum coactae probant. Quae tamen omnes uel ob dissensiones Pontificum Roman. uel ob Monachorum et Cleri disciplinam atque ritus superstitiosos conuocatae fuerunt. Anno DCCCCXXXV, *Erffordiae* Thuringorum in *Synodo* solenni determinatum fuit: (1) ut natalitia Apostolorum XII summa cum ueneratione celebrarentur, (2) ut placita secularia Dominicis uel aliis diebus festis minime fierent; (3) ne ullus Christianus Ecclesiam pro reuerentia petendo ibique manendo, alicuius publicae potestatis banno constringeretur. Vid. FRANC. LONGI A CARIOLANO *Summ. Concil. fol. 699.*

§. 36. In *Synodo Virdunensi* anno DCCCCXLVII habita Episcopatus Rhemensis *Hugoni* puero quinquenni olim datus, *Artaldo* iterum adiudicatus fuit, apud FLODOARDVM *in Hist. Rhemens.* Conf. GOLDAST. *Constitut. Tom. III.* *Otto M.* anno DCCCLXIII Synodum *Romae* conuocauit, in qua praesidendo *Iohannem XII*, Papam, condemnauit. Conf. BARON. *anno DCCCCLXIII, n. 1.* Insequenti anno *Pseudo-Synodus* a *Iohanne* iure deposito contra *Leonem*, Papam, conuocata legitur: item alia *Romae* coacta, in qua per *Leonem*, Anti-Papam, *Benedictus V*, Papa, exauctoratus Hamburgumque relegatus fuit, ubi et uitam finiit suam. Vid. BARON. *ad an.* DCCCCLXIV, *num.*

num 20, seqq. CRANZ. *Saxon. Lib. IV, cap. 13,* et *Metropol. Lib. II, cap. 4.*

§. 37. In *Germania* anno DCCCCLVI *Augustae Vindelicorum* Synodum habitam, CANISIVS ex *Codice Manuscripto* Monasterii Weingartiensis memorat. In qua inter alios *Canones*, hi facti leguntur: ut si clericus ducat uxorem, deponatur: non liceat Ecclesiasticis habere canes nec accipitres, iuxta *Concilii Toletani cap. XI.* Ecclesiasticus aleae uacans deponendus, ut in *Can. XLII Apostol.* item, clericus non cohabitet cum muliere extranea.

§. 38. In *Gallicanis* Synodis prae multis memorabilis est Synodus apud *Trosleium*, uillam pagi Suessionensis, hoc nomine *prima*, sub initium fere huius seculi conuocata, *Carolo Simplice* adhuc Rege: in hac orationes graues et *capitula XV* pro *reformando clero*, *disciplina*, *moribus*, *Monachismo*, Ecclesia *supra Petram*, *id est*, *super confessionem Petri aedificata*, facta. Vid. *Tom. III Concil. Galliae*, et SPANHEMII *Introd. pag. 429.*

§. 39. In *Anglia* anno DCCCCLXXVI Synodus contra Clericos coniugatos, inceptore harum turbarum *Dunstano*, Cantuariensi Archiepiscopo, habita. *Matthaeus VVestmonasterienſis* de alia Synodo *VVintoniae* in causſa Clericorum contra Monachos insurgentium coacta memorat, quod circa medium utriusque partis disputantis conflictum, imago Domini, quae altercantibus adstabat, expresse locuta sit: *Non fiet, non fiet; indicasti bene, male mutaretis.* Quare, inquit *Matthaeus*, Clerici omnesque eorum fautores elingues redditi, nullam deinceps monachis controuersiam mouerunt. Vid. BARON. *ad annum DCCCCLXXV, n. 12.*

§. 40.

§. 40. Non omittenda hic, quae uulgo memoratur Synodus, *Romae* anno DCCCCXCVI habita, in qua, si BARONIO *num. 30, seqq.* ad hunc annum credimus, *Gregorius V*, Papa, cum *Ottone III*, Imperatore, *Septemuiros* Principes Electores instituit. Sed fabulam hanc ONVPHRIVS PANVINIVS *de Comit. Imperat. cap. VI*, GOLDASTVS *Polit. Imper. P. I*, CHRISTOH. GEVVOLDVS et LIMNAEVS *in Capitul. Caroli V, art. XXVII*, confutarunt.

§. 41. *PERSECVTIONES* infideles adhuc Principes in Christianos excitasse, ex bellorum huius aeui historia constat. In *Dania* Rex impius et crudelis *Gormo* (quem *Helmoldus* allusione uocis Germanicae **Wurm** uocat,) ministros Euangelii toto regno eieeit, nonnullos etiam diris suppliciis afficiens. Verum *Henricus I*, Imperator, eundem armis adegit, ut subditis suis fidem Christianam amplecti permitteret; licet ipse Gentilismo pertinaciter adhaeresceret. Filius tamen eius *Haraldus* per Episcopum Hamburgensem *Vnni* (*Vnnonem* alii uocant,) ad fidem CHRISTI conuersus est. Vid. HELMOLDI *Chronic. Lib. I, cap. 8.*

§. 42. *Hungari* Duce uel Rege *Chussal* in Germaniam effusi horribili laniena in Sueuia, Francia, Thuringia et Saxonia patrata, dirisque modis Monachis et Sacerdotibus trucidatis, ab *Henrico Aucupe* memorabili praelio non procul Martisburgo uicti atque ad internecionem usque caesi fuerunt. Vid. LVITPRAND. *Lib. II, cap. II*, RHEGINON. *Lib. II*, et AVENTINVM *Lib. IV.*

§. 43. *Mistiwous*, Dux siue Rex Vandalorum, in Christianos atrociter saeuit, ulturus iniuriam a *Bernardo*, Saxoniae Duce, sibi illatam; quod cognatam su-

am uel filiam, quam illi in matrimonium elocare promiserat, denegasset, et quidem suasu *Theodorici*, Marchionis Brandenburgici, qui dixerat, tam nobilem puellam non esse *cani*, h. e. ethnico, elocandam. Vnde iste grauiter irritatus dixit, *canes sumus? Si ergo canes sumus, rabiem exercebimus.* Excitata igitur persecutione, magnam stragem in populum Christianum edidit, quam CRANZIVS *Lib. IV Saxon. cap. 34*, describit.

§. 44. *Rollo*, Normannorum Dux, Franciam inuadens, crudeliter in Christianos et uiros Ecclesiasticos grassatus est; donec *Gilla*, filia *Caroli Simplicis*, in uxorem accepta, a persecutione desisteret, et suscepto baptismo Christianorum sacris initiaretur, teste GAGVINO *Lib. V Hist.*

§. 45. In *Oriente Saraceni* Christianos non tantum iugo submiserunt; sed et uariis modis afflixerunt, multisque in locis exstirparunt. *Hugo*, Rex Italiae, eos etiam conduxerat hoc consilio, ut auxilia peregrina ex Germania arcerentur. Qui Christianos spoliarunt, iugularunt, eos praesertim, qui religionis gratia iam Romam proficisci solebant. Vid. LVITPRAND. *Lib. VI, cap. 6.*

§. 46. Inter *MEMORABILIA* huius seculi referimus (1) insignia Imperii apud *Godofridum* Viterbiensem descripta,

- Crux, ensis, sceptra, corona,
Lancea, Palla.

Quibus *Chronicum Belgicum Magnum de Wilhelmo*, Comite, Rege Romanorum creato, addit *annulum et globum aureum.* (2) Vnctio *Henrico Aucupi* a Moguntino Pontifice oblata, sed per modestiam recusata, apud DITMARVM *Lib. I.* (3) *Henrici* uictoria de Hun-

Hungaris prope Martisburgum anno DCCCCXXII parta, apud LVITPRANDVM *Lib. II, 8*, et SIGEBERT. *ad annum citat.* (4) Lancea ſacra ab *Hugone*, in Gallia regnante, *Henrico* miſſa: item uexillum *Mauritii*, Martyris, apud BARON. anno DCCCCXXIX, *num. 5.* (5) *Marchionatus* primum in Germania inſtituti, apud CRANZIVM *in Saxon. Lib. III, cap. 9.* (6) Victoria inſignis *Ottonis I*, ab Hungaris anno DCCCCLV reportata, apud VVITIKIND. *Lib. III*, et AVENTIN. *Lib. V.* (7) Κυνοφορία, poenae genus hoc ſeculo uſitatum, uid. MEIBOMII *Not. ad Wittikind, Lib. II*, RITTERSHVS. *ad Guntheri Ligurin. Lib. V, n. 194, ſeqq.* et BESOLD. *Theſaur. Pract. uoc.* Hund tragen. (8) Imago CHRISTI ἀχειροποίητος *Edeſſena* multa cum pompa Conſtantinopolin translata apud BARON. anno DCCCCXLIV. Quam in dubium uocat *Caſaubonus;* etſi GRETSERVS *in Syntagm. de imagin. manu non factis*, perſuaſum ſibi habet, ueram imaginem CHRISTI fuiſſe. (9) Ars per notas ſcribendi *Ottonis I*, aetate inter ſtudia literarum relata apud *Ekkehardum iuniorem;* cetera uero literarum ſtudia ea aetate ferme nulla fuiſſe, teſtis eſt SIGONIVS *de Regn. Ital. Lib. VII.* (10) *Hatto*, poſt *Guilielmum*, Archiepiſcopus Moguntinus ex Abbate Fuldenſi factus, a muribus deuoratus, poſtquam annona arctiore pauperes ueluti mures combuſſiſſet; eiusque rei monumentum, turrim in Rheno exſtructam (Mäuſe-Thurm) referunt TRITHEMIVS, BRVSCHIVS *in Catalogo Epiſcop. Mogunt.* LYCOSTHENES *de Prodig.* anno DCCCCLXIX, DREXELIVS et alii. Sed SERARIVS *in rebus Mogunt.* negare audet. (11) Coniugia clericorum in *Anglia* fraude Dunſtani prohibita apud FLACIVM *Cat. Teſt. Verit.*

Lib. XI, Centuriat. Magdeb. X, 9. (12) *Roswida* siue *Hrosswitha*, uirgo illustris, monialis primo, post Abbatissa Gendersheimensis Poëtria, cuius opera *Conradus Celtus* Norimbergae publicauit. Vid. MEIBOM. qui uitam eius scripsit, et VOSS. *de Hist. Lat. Lib. II, cap. 41.* (13) *Otto III*, Imper. ius suum, in Pontificibus itemque Episcopis aliis constituendis, usurpauit, et Archiepiscopatum Gnesensem etiam instituit apud DITMARVM *Lib. IV.* (14) Pontificum Rom. scelera ex Scriptoribus Pontificiis apud HOTTINGERVM *Hist. Eccl. cap. X, Sect. I et V*, annotata.

§. 47. His annotatis, in huius aeui historia miramur Pontificum Romanorum flagitia, quae *Ottones* quodammodo castigarunt, sed tollere non ualuerunt. Imo profusis in clerum donationibus ac institutis pluribus Episcopatibus luxum Sacerdotum magis, quam pietatem aluerunt. Praesertim cum cultus diuinus nouis subinde superstitionibus foedatus in ceremonias ac fabulas de sanctis horumque miraculis ac reliquiarum uirtutibus degenerasset. Ita DEVS sinit populum in caligantis seculi tenebris ambulare, quando CHRISTVM sequi pro auspicio, audire pro oraculo, amplecti pro exemplo clerus pariter et populus neglexisset. Sanctum tamen aliquod semen semper in hac zizaniorum abundantia superfuisse ac germinasse, CHRISTI promissio nos dubitare haut sinit.

PERIO-

PERIODI IV

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QVAE EST

ECCLESIAE SVB TYRANNIDE ANTICHRISTI ROM. ET IVGO SARACENO-TVRCICO GEMENTIS

CAPVT I

DE

HISTORIA SECVLI XI

§. 1

Seculum cum IV Periodo Eccleſiae Chriſtianae inchoatur undecimum, quod ob malorum excreſcentiam, *Ditmarus Ferreum* appellauit; alii *Anti-Chriſtianum*; quod ut BARONIVS *anno MI, num. 1*, teſtatur, hoc ipſo reuelandus eſſet ille homo peccati, filius perditionis dictus, cognomine *Anti-Chriſtus*, 2 *Theſſ. II.* Nec fefelliſſe praeſagium in Gallia primum, deinde, *Baronio* teſte, per orbem uulgatum, cum hiſtoria, tum inprimis uita *Gregorii VII*, *Hildebrandi* alias dicti, Pontificis Romani, comprobant. Rei huius teſtimonia FLACIVS *in Catalog. Teſt. Verit. Lib. XIII*, et HOTTINGERVS *Hiſtor. Sacr. cap. XI, Sect. I*, adducunt. Non minora mala Eccleſiam Orientalem exercuiſſe, idem HOTTINGERVS

cap XI, Sect. II, probat. Barbarie hac morum et doctrinae dominante, pauciores erant, qui uel S. literarum ſtudia excolerent, uel ſcriptis editis Scholis et Eccleſiae prodeſſent. Itaque pro compendii noſtri ratione, praecipuos tantum Scriptores primum hic allegabimus.

§. 2. Ex *Graecis* clariores ſunt NILVS ARCHIMANDRITA, qui Librum *de quinque Thronis Patriarchalibus* ſcripſit, quem LEO ALLATIVS *de Conſ. Lib. I, cap 2, 8, 9, 10, 11, 12, et ſ. qq.* alleg. Conf. SALMASII *Praefat. in Nili Theſſalonienſis Lib. de Primatu.*

§. 3. NICETAS PECTORATVS, Monachus Studienſis, *Nili σύγχρονος*, qui Librum *de Azymis* aduerſus Latinos, apud CANISIVM *Tom. VI, Lection. Antiqu.* reliquit. Huic iungimus MICHAELEM CERVLARIVM, Patriarcham Conſtantinopolitanum, autorem *Epiſtolarum ad Petrum Antiochenum.* Vid. COTELERIVM *Tom II Moment. Graec. pag. 135.*

§. 4. SIMEON IVNIOR, Presbyter, cuius extant *Orationes, Liber diuinorum amorum et capita moralia*, a *Iac. Gretſero* Ingolſtadii anno 1603 publicata.

§. 5. THEOPHYLACTVS, Archiepiſcopus Bulgarorum, qui anno MLXXVII circiter claruit, *Commentarios in IV Euangeliſtas, Acta Apoſtolica et Paulinas Epiſtolas*, duobus Tomis diſtinctos compoſuit, Pariſiis et Londini Graece et Latine publicatos. Huius *σύγχρονος* NICETAS SERRON, Archiepiſcopus Heracleenſis, fuit, autor *Catenae Graecae Patrum in Iobum*, quae anno 1637 Londini prodiit. Hunc non confundendum cum *Niceta Paphlagone*, LEO ALLATIVS *in Diatribe de Pſellis p. 17, 18*, monet.

§. 6.

§. 6. GEORGIVS CEDRENVS, circa medium huius seculi clarus, *Annales seu compendium ab Orbe Condito* conscripsit, quod Basileae anno 1566, et Parisiis anno 1647, cum animaduersionibus prodiit. Cui subiungimus IOANNEM SCYLITZEN, Protouestiarium et Curopalatem autorem *Compendii Historiae Annalibus Cedreni* subiuncti, quod cum *Iac. Goaris* notis Lutetiae Parisiorum anno 1648 editum fuit. Vid. VOSSII *Lib. II, cap XXVI, de Histor. Graec.* et NATAL. ALEXAND. *Histor. Eccles. Secul. XI, cap. V, art. IV, num. 6. Cedreni σύγχρονος* fuit IOANNES XIPHILINVS, Patriarcha Constantinopolitanus, cuius extant *Decreta de Sponsalibus et Nuptiis prohibitis in Iur. Graec. Roman. Lib. III et IV.* Alium hunc esse a *Xiphilino*, Epitomatore *Dionis Cassii*, satis notum est.

§. 7. SVIDAM, autorem *Lexici Historici*, ex sententia aliorum, *supra pag. 165*, ad Seculum X retulimus; sed ex uoce Lexici Ἀδὰμ apparet eum ad medium circiter huius seculi referendum esse.

§. 8. Inter *Latinos* Scriptores, qui celebriores habentur, uel historias, uel epistolas, uel sermones et controuersias de ritibus Ecclesiasticis scripserunt: ex quibus ad solidioris Theologiae cognitionem parum proficitur.

§. 9. Inter hos sub initium huius seculi clarus fuit FVLBERTVS, Episcopus Carnotensis, qui *Epistolas, Hymnos, Sermones, Tractatum aduersus Iudaeos*, et *Canonem de Poenitentia mulierum* conscripsit. Opera eius coniunctim anno 1608 Parisiis publicata prostant, et *in Biblioth. PP. Tom. XVIII* etiam leguntur. GVIL. MALMESBVRIENSIS *Lib. III de Gest. Reg. Angl.*

Angl. memorat, hunc morbo graui laborantem, *Mariam* Deiparam uiſitaſſe et proprio lacte ſanaſſe.

§. 10. BERENGARIVS TVRONENSIS, Archi-Diaconus Andegauenſis, dialecticus facundus, ſcripſit *Epiſtolas* et *tres Formulas de S. Euchariſtia*, quae apud MABILLONIVM *Annalect. Tom. II, pag. 486*, leguntur. De cauſſa *Berengarii* et controuerſia cum *Lanfranco* prolixe NATALIS ALEXANDER *Hiſtor. Eccleſ. Secul XI et XII, Part. II. Diſſert. I*, agit.

§. 11. HERMANNVS CONTRACTVS, a membrorum debilitate ita appellatus, Monachus, *Chronicon de ſex aetatibus mundi* compilauit, quod ad annum MLII perductum VRSTISIVS *Tom. I, Scriptor. German.* item PISTORIVS *Tom. I. Scriptor.* exhibent. *Trithemius* ipſum ob raram iſthac aetate eruditionem laudat.

§. 12. GLABER RADOLPHVS, Monachus Ordin. Benedictin. Antiſiodorenſis, *Hiſtoriam quinque Libris* comprehenſam conſcripſit, quae Francofurti anno 1596 prodiit, et etiam *Tom. IV*, Scriptorum Francic. *Fr. Duſchenii* inſerta legitur. Conf. iudicium BARONII ad an. DCCCCXCVI, *num.* 25.

§. 13. HVMBERTVS CARDINALIS, Epiſcop. Syluae Candidae, Librum *de Azymis* et *ieiunio Sabbati contra Nicetam Pectoratum*, qui ſub finem *Tom. XI, Annal.* BARONII legitur, exarauit. *Berengarius* ipſum ob doctrinam de Euchariſtia impugnauit; ſed a *Lanfranco* defenſus fuit.

§. 14. LANFRANCVS, Italus, Abbas Cadomenſis et tandem Archiepiſcopus Cantuarienſis factus, Librum *de Corpore et Sanguine DOMINI*, *de celenda Confeſſione*, item *Commentarios in Paulinas Epiſtolas* conſcripſit. Opera eius cum notis *Lucas Dacherius* anno 1647 Pariſiis

Parisiis publicauit. Conf. WHARTONI *Angliam Sacram*, *Part. I, fol. 334, seq.*

§. 15. ANSELMVS, Augustae in Alpibus natus, ex Abbate Beccensi circa finem huius seculi Cantuariensis Archiepiscopus factus, uaria opuscula composuit, ut *de ueritate*, *de libero arbitrio*, *de casu Diaboli*, *de Sacramento altaris*, *de Conceptu uirginali*, *de uoluntate DEI*, *etc.* quae anno 1675 Parisiis publicata prostant. Iudicium de hoc Scriptore leges apud BELLARMINVM *de Script. Ecclesiast. pag. 207, seqq.* Conf. VVHARTONI *Angliam Sacram Part. I.* Fuit alius huius nominis, Episcopus Lucensis hoc seculo clarus, qui in gratiam *Gregorii VII* contra *Henricum IV*, Imperatorem, scripsit, de quo uide sis NAT. ALEX. *Hist. Eccl. Sect. XI, cap. V, art. VI.*

§. 16. PETRVS DAMIANI, Rauennatensis, a fratris sui nomine, quod eundem parentis loco haberet, cognominatus, Episcopus Ostiensis et Cardinalis factus uaria conscripsit *Opuscula*, quae Lugduni anno 1623 edita prostant, de quibus BELLARMINI *Obseruationes in Lib. de S. Eccl. pag. 203* euolui merentur. Liber eius *de Correctione Papae et Episcopi* Argentorati anno 1612 excusus est.

§. 17. MARIANVS SCOTVS, a patria dictus, Monachus Fuldensis primum factus; deinde Moguntiam concedens, *Chronicon a CHRISTI natiuitate usque ad annum MLXXXIII* conscripsit: quod *Pistorius* inter rerum Germanicarum historias retulit. Seorsim etiam Francofurti anno 1583 publicatum prostat. Conf. SIGEBERTVM *Gemblacensem ad annum MLXXXI.*

§. 18. LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS, coenobii Hirsfeldensis in dioecesi Moguntina Mona-

 chus,

chus, *Historiam Germanicam ad annum usque MLXXVII* conscripsit, quam Monachus Erffordiensis ἀνώνυμος continuauit. IOS. SCALIG. *de Emendat. Tempor.* eius in loquendo puritatem et in temporum putatione solertiam laudat. Vid. PISTORII *Scriptor. Rer. German.* et FLAC. *Tom. V, Lib. XIII, fol. 1334.*

§. 19. ADAMVS BREMENSIS, patria Misenus, anno MLXXVII Canonicus Bremensis factus, *Historiam Ecclesiasticam in IV Libros* distinctam reliquit. In qua religionis Christianae propagationem in regnis septentrionalibus praecipue descripsit; sub finem libellum *de situ Daniae* illi addidit. Vterque liber Helmstadii anno 1670 prodiit.

§. 20. BENNO, gente Germanus Archipresbyter Romanus et Cardinalis, *uitam Hildebrandi Papae* scripsit, quam simul cum auctore *Henrici IV Reinerus Reineccius* anno 1581 Francofurti excudi curauit. Cui fidem BARONIVS *ad annum MLXXVI, num. 8*, ob detecta crimina *Hildebrandi* derogare uult. Sed MATTH. FLACIVS *in Catal. Test. Verit. Lib. XIII, fol. 1321*, eundem commendat.

§. 21. IVO, Carnotensis Episcopus, qui circa exitum huius seculi natus, sequenti claruit, uolumen *Decretorum ad imitationem Burchardi*, Wormatiensis Episcopi, conscripsit. *Canones* inde BARON. *Tom. XI et XII* uarios recenset. Vid. BALVZII *Praefat. ad Antonium Augustinum de Emendatione Gratiani*, et ZIEGL. *Dissert. de Origin. et Increment. Iur. Can. §. XXXV.*

§. 22. GREGORIVS VII, seu HILDEBRANDVS, fabri cuiusdam ferrarii filius, per uarias artes Papa factus, *Libros X Epistolarum, quae Tom. X Concil.* exhiben-

Merkwürdig ist die Einführung des Officii Romani anstatt des gothischen, welche Gregorius VII. nachs. Amt mit den größten Anstrengungen unter Alphonso VI. betrieb. Es konnte erst 1071 abgeändert. Auch hielt sich der König bewogen, 1079 in einem Concilio zu Burgos einzuführen; aber die mehrsten Bischöffe widersetzten sich, und der König sah sich genöthigt im J. 1090. einen scharfen Befehl zu geben, daß die Messe gelesen, und der Römische Brauch u. der Kalender Urbanum II. zu behalten, wären. Es ist aber doch 1101 der Befehl des gothischen Ritus wiederholt worden. Bey dieser Gelegenheit wurden auch durch eine Decision des Concilii die gothische Schrift abgeschafft.

hibentur, euulgauit: ex quibus dominatum eius affectatum noscere licet. CAVE *Hist. Lit. fol. 619.*

§. 23. BRVNO, *Colonienſis*, Canonicus Rhemenſis, et Magiſter ſcholarum dictus, auctor *Ordini Carthuſianorum*, *Expoſitionem* in *Pſalmos*, in *Epiſtolas Paulinas* et *Sermones* ſcripſit. Vid. NATAL. ALEXAND. *Hiſt. Eccl. Secul. XI, art. VII, p. 450, ſeq.* et IO. LAVNOII *Lib. de uera cauſa ſeceſſus in eremum*, anno 1662 Pariſiis editum.

§ 24. IOANNES MICROLOGVS, *Gregorii VII* aetate florens, Librum *de Eccleſiaſticis Obſeruationibus* ſcripſit. Vid. THEOPH. RAYNAVDVM *de Bon. et Mal. Lib. Part. I, Erotem. X*, et NAT. ALEX. *l. c. pag. 439, ſeq.*

§. 25. HILDEBERTVS DE LAVARDINO, *Berengarii* diſcipulus, primum Cenomanenſis Epiſcopus, et tandem Archi-Epiſcopus Turonenſis, uaria *Opuſcula* compilauit, quae *Tom. XXI Biblioth. PP.* leguntur.

§. 26. Viſis ſic praecipuis *Scriptoribus* huius ſeculi, *de DOCTRINA et CONTROVERSIIS* in Eccleſia agitatis pauca addenda ueniunt. Illa uero miris tenebris inuoluta, contentiones fere tantum de dominatu Pontificis continebat. Nam quod alii Pontifices hactenus obtinere nondum potuerant, *Hildebrandus* tandem Papa effecit. Qui Suprematum Sedis Romanae, uel, ut CLAVDIVS SARRAVIVS *in Epiſt. ad Salmaſium p. 210* nouo uocabulo a *Paulo Veneto* ſolerter excogitato uocat, *Totatum* ſtabiliuit. De quo in peculiari diſſertatione paulo fuſius alio tempore egimus. Vid. *Dictatus Hildebrandinos apud* BARON. *ad annum MLXXVI, num. 31, et ſeqq.*

§. 27. Ceterum uero *Leo IX*, Papa, in *Epiſtola* ad Venetiarum et Hiſtriae Epiſcopos profeſſus eſt, ſe qua-

quatuor uetera concilia oecumenica cum Symbolis in iis conditis, ut *quatuor Euangelia* uenerari. *Anshelmus* eandem doctrinae summam tum in Ecclesia receptam recitat. Vid. *Magdeburgici Centur XI, cap. IV, fol. 53.* unde colligas, summa Religionis capita in Symbolis proposita, in Ecclesia conseruata fuisse.

§. 28. *CONTROVERSIA* tamen in Ecclesia Latina praecipua de uera Corporis et Sanguinis CHRISTI in sacra Eucharistia praesentia fuit, quam *Berengarius* negauerat, Lanfrancus uero affirmauit, ad transsubstantiationis dogma inclinans. Vid. MATTHAEVM PARIS *in Hist. Mai. fol. 10, ad Baron. ad annum MXXXV, num. 2.* Multae hac de causa Synodi passim habitae fuerunt. Conf. NAT. ALEX. *Hist. Eccles. Sec. XI et XII, Part. III, Dissertat. XIV.*

§. 29. Inter *Graecam* et *Latinam* Ecclesiam acris disceptatio tum de primatu, tum de aliis doctrinae et rituum diuersis capitibus fuit. Nam Patriarcha Constantinopolitanus *Sergius* conuocata Synodo Constantinopoli, acta *Photii* comprobauit et confirmauit, *Papae*que nomen ob additionem in Symbolo factam ex *diptychis* deleuit. *Michael Cerularius*, Patriarcha, anno MLIII suo et *Leonis*, Acridae Archiepiscopi nomine ad *Iohannem Tranensem*, in Apulia Episcopum, et per ipsum ad Pontificem Romanum ac uniuersam Ecclesiam Latinam epistolam exarauit, qua Latinis heterodoxias obiicit; quod pane azymo in sacra Eucharistia uterentur; quod Sabbata in Quadragesima more Iudaico obseruarent; quod suffocatis uescerentur. *Epistola Cerularii apud* BARONIVM *Tom. XI, ad annum MLIII, num. 23, seqq.* extat. *Leo IX*, ad eam Papa satis superbe respondit. Vid. *Magdeburgens.*

§. 28. V. H. Lehr. Buch Berengarius Turonensis. Braunschw. 1770. ist nützlich. Nützlich über eine Lehre von welcher Vorstellung weder der Papist noch Berengarius Statuirte einen Leser vom Abendmal praesentiam corporis et sanguinis Christi in pane et vino.

burgenſ. Centur. XI, cap. 8. Fuerunt et alia, quae Graeci in clericis Romanis damnarent; ut, quod barbam raderent; quod Monachi carne ueſcerentur; quod nuptias Sacerdotum prohiberent; quod duo fratres duas ducerent ſorores in matrimonium; quod unica merſione baptizarent, in nomine PATRIS, FILII et SPIRITVS Sancti dicentes; quod Symbolo Nicaeno addidiſſent: *Et in SPIRITVM Sanctum Dominum uiuificantem, qui ex Patre Filioque procedit.* Contra *Leo*, Papa, *Cerulario* exprobrat, quod pacem alere nollet, hoc eſt, quod Romanae Eccleſiae ſubiicere ſeſe abnueret. Vid. BARON. *ad annum MLIV, num. 2, 3, ſeqq.*

§. 30. In *Romana* Eccleſia inter Pontifices imperante *Henrico IV*, ob electionem Pontificum *tria ſchiſmata* exorta multarum fuere turbarum cauſa. In primis uero illud, quod inter *Clementem III* et *Gregorium VII* exortum. Nam *Henricus IV* in Synodo Brixienſi electum Pontificem *Clementem III*, expulſo *Gregorio*, in Sedem Romanam collocauerat. Inde uero factiones iſtae ad initium uſque Seculi XII continuatae. De quibus uitarum Pontificum Scriptores et *Baronius* teſtantur.

§. 31. *HAERESES* nouas hoc aeuo, cum de dominatu magis quam de doctrina certaretur, paucas legimus exortas. *Stephanus*, Scholaſticus Eccleſiae S. Petri apud Aurelianos, et *Liſoius*, S. Crucis Canonicus, ab Itala muliere quadam inducti, nefanda Manichaeorum placita reſuſcitarunt atque ſparſerunt. Nam (1) Vet. et Nou. Teſtamentum uelut figmenta hominum carnalium reiiciebant: (2) negabant CHRISTVM ex MARIA Virgine natum, pro hominibus paſſum et ex mortuis reſurrexiſſe: (3) Baptiſmi

et

et sacrae Eucharistiae uim et efficaciam diuinam negabant: (4) B. opera inania dicebant: (5) Visiones Angelicas iactabant, ac in nocturnis conuenticulis promiscuam libidinem exercebant: infantem ex foedo concubitu natum octaua die concremabant. Quapropter in Synodo Aurelianensi, imperante *Roberto*, Galliae Rege, damnati ac scelerum conuicti, combusti fuerunt. Vid. GLABRVM RADOLPHVM *Lib. III, Hist. cap. 8*, et LVC. DACHERIVM *Tom. II, Spicileg. concil.*

§. 32. BERENGARIVS, Andegauensis Archidiaconus supra memoratus, haereticis ideo accensetur, quod in sacra Eucharistia signa et figuras Corporis et Sanguinis CHRISTI tantum exhiberi traderet. Quem errorem ex *Iohannis Erigenae Scoti* et *Bertrami* doctrina hauserat. Ansam illi dederat *Fulbertus* Magister, qui panis et uini substantiam in Eucharistia perire, inque substantiam Corporis et Sanguinis CHRISTI transire, cum aliis docebat. Hinc ab uno extremo in alterum lapsus, haeresis postulatus et damnatus fuit. Conf. BARONIVM *ad an. MXXXV, num. II*, et NATAL. ALEXANDR. *supra §. X* allegatur.

§. 33. Grauior fuit haeresis ROZELINI (uel ROSCELINI) Compediensis dialecti, *Petri Abelardi* praeceptoris, qui tres Personas in DEO, tres ab inuicem separatas esse res, ut sunt tres Angeli, asseruit; ita tamen, ut una earum sit uoluntas et potestas; et tres Deos uere posse dici, si usus admitteret. Huius error in Synodo *Suessionensi* anno MXCIII, reiectus et damnatus fuit. Vid. ANSHELMI *Lib. II, Epist. XXXV et XLI*, IVON. *Carnotens. Epist. XXVII*, nec non ABELARDI *Epist. XXI*, item BARON. *ad annum MXCIV, num. 31.*

§. 34.

§. 34. Scriptores Pontificii perperam haereticis huius Seculi accenſent *Michaelem Cerularium*, qui, ut ſupra §. XXIIX probauimus, non tam in doctrina, quam ritibus ab Eccleſia Romana diſſenſit. Sic *Simonia*, quae frequens hoc tempore crimen fuit, magis uitiis eccleſiaſticis moralibus, quam haereſibus (licet uulgo ita nominetur) annumeranda eſt. Magis noxia fuit *ſecta Hildebrandina*, quam *Auentinus* dixit. Nam *haereſes nouiter inuentas et antiquas ſub nomine pietatis ab ipſo reuocatas* fuiſſe in Synodi Romanae edicto an. 1089 apud GOLDASTVM *Tom. III* dicitur.

§. 35. *SYNODI particulares* hoc aeuo multae conuocatae ſunt. *Henricus II*, Imperator, anno MXVI, *Aquisgrani* Synodum celebrauit, qua pro auertendis diuinis iudiciis et poenis tum ingruentibus decretum fuit: ut diuinum Numen eleemoſynis, ieiuniis et ſanctis actionibus placare Epiſcopi inſtituerent. Vid. SIGEBERTI *Chronic.* CRANZII *Saxon. Lib. IV, cap. 35.*

§. 36. *Leo IX*, Papa, circa annm ML *Romae* propter haereſin *Berengarii*, Synodum conuocauit, qua illa cum autore damnata fuit. Eandem ob cauſam plures Synodi inſtitutae leguntur. Vid. BARON. *ad annum ML, num. 1, 2, ſeq.*

§. 37. *Henricus IV*, anno MLXVI, *Mantuae* Synodo habita, contentiones inter *Honorium* et *Alexandrum II*, Pontifices, ortas componit, auditaque cauſa *Alexandri*, eum Pontificem eſſe iuſſit. Vid. AVENTINI *Annal. Lib. V.*

§. 38. In *Synodo Erfurtenſi* anno MLXXIV, Archiepiſcopus Moguntinus Papae *Hildebrandi* legem, quod Presbyteri debeant eſſe coelibes promulgauit. Contra quam Sacerdotes diuinam matrimonii inſtitutionem

tionem urferunt. Vnde tumultu excitato, Synodus ſoluta fuit. LAMBERT. SCHAFFNAB. *ad annum MLXXIV, fol. 212.* Anno ſequenti cum in Synodo Moguntina legem Pontificiis de coelibatu clericorum ſeruando proponeret, uix, ut *Lambertus* loquitur, uita comite Synodo exceſſit.

§. 39. *Henricus IV* anno MLXXVI *Wormatiae*, Dominica Septuageſimae, Synodum coire iuſſit; quod Papa *Hildebrandus* ipſum citaſſet Romam, ut crimina ſibi obiecta coram Papa, ceu iudice, dilueret. Quae res Imperatorem uehementer permouit, ut unanimi ſuffragatione Epiſcoporum praeſentium Papam deponendum decerneret. Vid. LAMBERT. SCHAFFNABVRG. *ad an. cit. fol. 253. ſeqq.* et AVENTIN. *Lib. V Annal. Boi.*

§. 40. Contra in *Synodo Romana Gregorius VII*, Papa, anno MLXXX, *Henricum IV*, quem iam anno MLXXVI, cum omnibus, qui illius partes tutarentur, Epiſcopis inſolenti more excommunicauerat, regno exuendum, illudque duci Sueuiae, *Rudolpho* conferendum eſſe decreuerat. Eodem uero anno in *Synodo Brixienſi* triginta Epiſcopi congregati *Gregorium*, Papam, iam antea in Wormatienſi Synodo depoſitum, iterum de ſede deiiciendum, et in eius locum *Guibertum*, Epiſcopum Rauennatenſem *Clementem III* appellatum, ſurrogandum eſſe, ſtatuerunt.

§. 41. Poſt *Gregorium VII*, *Vrbanus Placentiae* an. MXCV Synodum conuocauit, ad quam tanta hominum multitudo confluxit, ut extra urbem in campo conuentum iſtum celebrare Papa neceſſum habuerit. Decreta huius Synodi *Magdeburgici Centur. XI, cap. 9,* recenſent. A quibus BARONIVS *ad annum cit. num. 4 et 5,* diſſentit.

§. 41.

§. 42. Notabilior est *Synodus Claromontana in Gallia* anno MXCV ab *Vrbano II* instinctu *Petri* Eremitae indicta. In qua, magno Principum et Episcoporum consensu, *bellum sacrum*, seu *expeditio cruciata* contra infideles, ad Palaestinam illis eripiendam decreta fuit, acclamantibus Episcopis: *DEVS vult! Deus vult!* Vid. MATT. PARIS *Histor. Mai. ad annum MXCV, fol. 18, seqq.* GVIL. TYR. *Lib. I, cap. 14, seqq.* BARON. *ad annum MXCV*, et *Gesta DEI per Francos*, adde, si lubet, dissertationem nostram *de Prima Expedit. Cruciat.* von der ersten Creutzfahrt.

§. 43. *REGIMEN ECCLESIAE monarchicum*, uel potius *tyrannicum*, hoc aeuo ad summum fastigium, ut, quo progrederetur, non amplius haberet, perductum fuisse, omnes Scriptores Pontificii testantur. Nam quod diu ante Pontifices Romani moliti erant, stabilire regnum sacrum absolutissimum, id *Hildebrandus*, Papa, tandem effecit; cum *Henricum IV*, Imperatorem, excommunicatum regno priuasset, et fastuosos, qui uocantur, *Dictatus* publicasset. Hinc AVENTINVS *Lib. V Annal. Boior.* scribit: *Hildebrandus, qui Gregorius VII primus imperium Pontificium condidit, quod successores per quadringentos quinquaginta continentes annos, inuito mundo, inuitis Imperatoribus adeo duxere, ut inferos superos in seruitutem redegerint, atque sub iugum miserint, ac cuncta fulmine perterruerint. Vtcunque libet, de coelo ad inferos precipitant, rursus ex inferis ad astra tollunt. Iam Imperator Romanus nihil amplius, appellatio modo est, sine corpore, sine specie.* Ab hoc, (*Hildebrando*) inquit ONVPHRIVS PANVINIVS *in vita Gregorii VII*, maximae illius et omni seculo tremendae uenerandaeque Romani Pontificis et infinitae pene potestatis

ſtatis ius manauit. Nam etſi ante Romani Pontifices, tanquam Religionis Chriſtianae capita, CHRISTIque uicarii et *Petri* ſucceſſores colerentur; non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus uel aſſerendis, uel tuendis. Ceterum Imperatoribus ſuberant; ad eorum nutum omnia fiebant; ab eis creabantur; de iis iudicare uel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primum omnium Romanorum Pontificum *Gregorius VII*, armis Normannorum fretus, Comitiſſa *Mathilde*, muliere per Italiam potentiſſima confiſus, diſcordiaque Germanorum Principum bello ciuili laborantium inflammatus, praeter maiorum morem contemta Imperatoris auctoritate et poteſtate, cum ſummum Pontificatum obtinuiſſet, Caeſarem ipſum (a quo non electus, ſaltem confirmatus fuerat,) non dico excommunicare, ſed etiam regno imperioque priuare auſus eſt. Res ante ea ſecula inaudita. Nam fabulas, quae de *Arcadio*, *Anaſtaſio* et *Leone* Iconomacho circumferuntur, nihil moror. Vnde OTTO FRISINGENSIS, horum temporum Scriptor, *Lib. VI, cap. 35: Lego et relego Romanorum Regum et Pontificum geſta, et nuſquam inuenio aliquem eorum ante hunc Henricum a Romano Pontifice excommunicatum uel regno priuatum etc.*

§. 44. *Dictatus* ſuperbi, quibus potentiam ſeu *Totatum* ſuum firmare niſus eſt, apud BARONIVM *ad annum MLXXVI, num. 31*, hac ſerie leguntur:

Quod Eccleſia a ſolo DOMINO ſit fundata;
Quod ſolus Rom. Pontifex Iure dicatur uniuerſalis;
Quod ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos uel reconciliare;
Quod Legatus eius omnibus Epiſcopis praeſit in Concilio,

cilio, etiam inferioris gradus, et aduersus eos sententiam positionis possit dare;

Quod absentes Papa possit deponere;

Quod cum excommunicatis ab illo, inter cetera nec in eadem domo debeamus permanere

Quod illi soli liceat pro temporis necessitate nouas leges condere, nouas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, et e contra diuitem Episcopatum diuidere, et inopes unire;

Quod solus possit uti imperialibus insigniis;

Quod solius Papae pedes omnes Principes deosculentur;

Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur;

Quod unicum est nomen in mundo, PAPAE uidelicet;

Quod illi liceat Imperatores deponere;

Quod illi liceat de sede ad sedem necessitate cogente Episcopos transmutare;

Quod de omni Ecclesia quocunque uoluerit, clericum ualeat ordinare;

Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiae praeesse potest, sed non militare; et quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere;

Quod nulla Synodus absque praecepto eius debet Generalis uocari;

Quod nullum capitulum, nullusque liber Canonicus habeatur absque illius autoritate;

Quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit;

Quod a nemine ipse iudicari debeat;

Quod nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem;

Quod maiores cauſae cuiuscunque Eccleſiae ad eum referri debeant;

Quod Romana Eccleſia nunquam errauit, nec in perpetuum, ſcriptura teſte, errabit;

Quod Romanus Pontifex, ſi Canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus, teſtante S. Ennodio, Papienſi Epiſcopo, et multis aliis S. Patribus ſauentibus, ſicut in decretis B. Symmachi, Papae, continetur;

Quod illius praecepto et licentia ſubiectis liceat accuſare;

Quod abſque Synodali conuentu poſſit Epiſcopos deponere et reconciliare;

Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae Eccleſiae;

Quod a fidelitate iniquorum ſuſpectos poteſt abſoluere.

Hoc ordine tyrannici *Dictatus* etiam *in Epiſt. LV* HILDEBRANDI *ad Laudanenſes Lib. II Regiſtr.* recenſentur. Conf. EDMVNDI RICHERII *Hiſt. Concil. General. Tom. I, p. 758, ſeqq.* Hoc modo ſedes Romana *caput rerum* conſtituta fuit, *nude* (ut *C. Tacitus* loquitur,) *in omnia regimen.* Vid. IS. CASAVBONI *Exercit. Anti-Baron. XV, n. 15*, et *Diſſert. noſtram de Totatu Hildebrandino.*

§. 45. *Henricus IV*, Imperator, quidem Pontificis huius molitionibus primum maſcule obnixus eſt: At cum ille fulminibus excommunicationis et ſeditionibus in Germania aduerſus Caeſarem excitatis, flagitia dominationis continuaſſet; tandem tyrannidi eius cedere coactus fuit. Notum enim eſt, ut diadema *Henrico*

rico detractum cum superba inscriptione misserit *Rudolpho:*

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

referente ALBERTO STADENSI *Chron. p. m. 137*, uel ut alii habent:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Vid. AVENTIN. *Annal. Boior. Lib. V*, et BENNONIS CARDINALIS *uita Gregorii VII.* Ceterum quam indignis modis *Henricus IV* a Pontifice *Gregorio* habitus sit, LAMBERTVS SCHAFFNABVRG. et LEHMANNVS *in Chron. Spirensi Lib. V, cap. 31 seqq.* FLACIVS *in Cat. Test. Ver. Lib. XIII, fol. 1322*, et HELMOLDVS *apud Flacium cit. fol. 1346*, memorant.

§. 46. Ante quidem *Henricus*, Imperator, cum a *Clemente II*, Papa, Imperii coronam accepisset, Romanos (teste *Platina*) in uerba sua iurare coëgit, Pontificum electioni se nequaquam interfuturos, nisi iussu Imperatoris id facere cogerentur; ipse etiam *Popponem*, Brixiensem Episcopum, *Damasum II* appellatum, constituit. Vid. HERMANNVM CONTRACTVM *ad annum MXLVIII*, MARIANVS SCOTVS *ad annum MXLVI*, de *Henrico* scripsit: *Henricus, Rex, Italiam ingressus pacifice a Romanis suscipitur. Papas tres non digne constitutos synodaliter deposuit.* Sed post *Gregorium VII*, Papam, ius illud Imperatori extortum fuisse, infra annotabimus.

§. 47. Dum ita in Ecclesia de dominatu firmando certatur, *DISCIPLINA* in ea iacuit neglecta. Clerici, cum matrimonia ipsis publica lege interdicta essent, alere concubinas et scortari non amplius nefas habebant. Vid. ANTONIN. *Tit. XVI, cap.* et AVEN-

TIN. *Lib. V.* Scholae et monaſteria latibula fratrum ignorantiae facta, in quibus Monachi mire prodigioſis ueſtimentis induti lectioni et cantillationi Pſalmorum uacarunt. Epiſcopi luxui plerumque dediti, nec purae doctrinae, nec ſanctioris diſciplinae rationem habuerunt. Rari ergo ſanctiſſimi Numinis cultores. Excommunicationis interim fulmen terrificum omnes, etiam Principes ac ipſi Imperatores cohorreſcere neceſſum habuerunt, quod exempla *Suenonis*, Regis Daniae, apud SAXONEM GRAMMATICVM *Hiſtor. Dan. Lib. XI, fol. 205*, et *Henrici IV*, Imperatoris, apud BARONIVM *ad annum MLXXVI*, et LEHMANNVM *Chron. Spirenſ. Lib. V, cap. 33*, probant. LAMBERTVS SCHAFFNAB. *ad annum MLXIV* diſerte ſcribit: *Sic deprauata Eccleſiaſtici rigoris cenſura, homines, non ut quondam, ut praeeſſent Eccleſia DEI iniecta manu trahebantur; ſed ne non praeeſſent armata manu praeliabantur.*

§. 48. *RITVVM* tamen et *CEREMONIARVM*, quibus cultus Numinis abſoluebatur, cura neglecta haut fuit. Templa ſuperſtitioſo ritu S. Martyribus conſecrata imaginibus Sanctorum exornabantur. Ad conuentus ſacros in illis celebrandos homines pulſu campanarum conuocabantur, teſte CASSINENSE *Lib. III, cap. 53. Berno*, Abbas Augienſis, atteſtatur *Henricum* Imperatorem ordinaſſe, ut poſt recitatam pericopam Euangelicam, Symbolum Apoſtolicum cantaretur. In Baptiſmi adminiſtratione adultos nudari oportuiſſe iuxta CHRISTI exemplum, ANSHELMVS *in cap. III Matthaei* animaduertit, et in *Epiſtola ad Werinherum* incluſum ſcribit: *Nudi naſcimur, nudos nos ſuſcipit ſancta mater Eccleſia in S. Bapti-*

Baptiſmate. Baptizandi ter aquae immerſi, ut triduanae ſepulturae CHRISTI imago repraeſentaretur. Vid. ANSHELMVM *in cap. II Coloſſ.*

§. 49. Miſſae ſuperſtitioſos ritus IVO CARNOTENSIS *de Oeconomia Vet. et Nou. Sacerdotii* allegorice exponit. Haec iam pro uiuis et mortuis celebrata ſuperſtitiones auxit. Vid. *Chronic.* CASSIONENS. *Lib. II, c. 94.* Peregrinationes ad loca ſancta in Palaeſtinam frequentes inter ſanctiſſima opera referebantur. Quapropter *Sigfridus Moguntinus*, *Guntherus Babenbergenſis*, *Otto Ratisbonenſis*, *Wilhelmus Traiectenſis*, Epiſcopi, aliique proceres Galliarum ſeptem millibus hominum ſtipati precandi gratia Hieroſolymam profecti ſunt. Quod LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS *de Rebus German. fol. 171, ſeqq.* hoc ſeculo anno MLXIV annotauit. *Robertus*, Normanniae Princeps, nudipes et lacrymans ſepulchrum DOMINI ueneratus eſt, teſte GVIL. MALMESBVRIENSE *Lib. II, cap. 66.* De *Erico V*, Rege Daniae, CRANZIVS *Lib. V Dan. cap. 4*, memorat, quod ex uoto Hieroſolymam precandi cauſa petierit. Ita ignoratum fuit, DEVM ubique locorum in Spiritu et ueritate inuocari poſſe.

§. 50. Vt plures eſſent, qui fruges conſumerent otioſi, noui Monachorum ordines inſtituti: ut *Carthuſianorum*, *Monachorum Vallis Vmbroſae*, *Ciſtertienſium*, *Grandimontenſium*, *Flagellantium*, *Hoſpitaliorum*, et ſimilium, quos HOSPINIANVS *de Monachis* memorat. pp. 237.

§. 51. *Canonizationem* et *Translationem Sanctorum cadauerum* hoc ſeculo non infrequentem fuiſſe, hiſtoriae paſſim loquuntur. Ita, memorante SIGEBERTO *ad annum MLV*, *Leo*, Papa, *Gerardum*, Leucorum

Episcopum, ob uitae sanctimoniam in numerum Sanctorum retulit; *Henricus*, Imperator, *Widonis*, Abbatis, corpus ex Italia Spiram magna pompa transtulit. Vid. HERMANNVM CONTRACTVM *ad annum MXLVII.* De translatione corporis *S. Isidori* BARON. *ad annum MLIII, num.* 47, memorat. Pro reliquiis Sanctorum ossa forte latronum, uel belluarum saepe colebantur. Vid. LAVNOII *uaria de Commentitio Lazari et Maximini, Magdalenae et Marthae in Prouinciam appulsu Opuscula pag.* 279.

§. 52. *PERSECVTIONES* fidelium in hoc turbido corruptoque Ecclesiae statu non defuisse, historicorum testimonia affatim euincunt. *Orientalem* Ecclesiam afflixerunt Imperatorum Byzantinorum interni motus; cum enim unus alterum pro lubitu Imperio deiiceret, Saraceni Imperium Constantinopolitanum misere uastarunt. Quanquam sub exitum huius seculi, recuperata a Principibus Christianis, qui expeditiones cruciatas susceperunt, Palaestina, Christiani a iugo Saracenico liberati uidebantur. Vid. VVILH. TYRII *Lib. I de Bello Sacro*, *Abb. Vrsberg. fol.* 227. MATTH. PARIS *in Histor. Mai. ad annum MLXVII.* Ante tamen, referente ZONARA *Tom. III, Calipha*, Aegyptiorum tyrannus, templum Hierosolymitanum, quod Christiani exstruxerant, uastauerat, Christianos eiiciendo. Turci et Saraceni sepulchrum CHRISTI occupauerant, et deletis Christianorum templis, ipsos simul extirpare moliti sunt. Vid. SABELLICI *Ennead. IX, Lib. III.*

§. 53. In *Germania Vendi* Saxoniam inferiorem depopulando, Christianos grauiter diuexarunt; donec *Henricus IV* eorum uiolentiam compesceret: quod

apud

apud CRANZIVM *in Vandalia*, et HELMOLDVM *in Chronico Slauorum* prolixius legere est. *Iohannes*, Mecklenburgensium primus Episcopus, uir religiosus, cum aliis Christianis in urbe sua captus misere trucidatus fuit, cadauere manibus pedibusque truncato in plateas cunctis ad calcandum abiecto. Vid. CRANZII *Metropol. Lib. IV, cap. 43.* Vnde Slaui insolentiores facti Hamburgum solo aequarunt, Sleswigum euerterunt, Paganismum reducere moliti. Vid. CRANZ. *l. c.* et HELMOLDI *Chron. Lib. I, cap. 22, seqq.*

§. 54. Maioris in Ecclesia calamitatis causa fuit ipse *Gregorius VII*, Papa, qui ut absolutum dominatum uel tyrannidem potius stabiliret, inter Episcopos, Principes ac Caesarem turbas ac bella intestina excitauit feralia. Vnde piorum gemitus pro pace et concordia Ecclesiae leguntur apud *Magdeburgicos Centur. XI, cap. 8 fol. 420, seq.*

§. 55. *Harwicus*, Rex Normannorum, in *Angliam* anno MLXVI impetum faciens, deuicto *Araldo*, Rege, in urbe Eboracensi centum presbyteros et mille laicos horrenda crudelitate trucidauit. Vid. SIGEBERTVM GEMBLACENS. *ad annum MLXVI.* MARIANVS SCOTVS *Lib. III, fol. 453.* Sacerdotes Anglos MC occisos tradit.

§. 56. In *Hungaria* Rex *Andreas* antequam coronaretur, Hungaris promisit coactus, permissurum se, ut ad Paganismum redirent, et Christianos praesertim illos, qui non essent e numero popularium suorum, pro lubitu affligerent. Vnde plebs barbara in Christianos crudelissime saeuire coepit: donec *Andreas* regio diademate potitus, anno MXLVII edictum publicaret, quo omnes ad fidem Christianam desertam reuocarentur.

tur. Edictum illud apud *Magdeburgicos Cent. XI, cap. 3*, legitur.

§. 57. *MEMORABILIA*, sed parum laeta, hoc aeuo multa occurrunt. Sic inter prodigia referas (1) locustarum infinitam multitudinem ab Oriente ortam, quae, *Alexio* imperante, inter uolandum solem obumbrasse dicitur apud ZONARAM *Tom III, fol. m. 238.* (2) Turcarum in Asia progressus uersus Pontum Euxinum, et Tartarorum origo, quam *M. Paulus Venetus* exponit. (3) Noua cantandi ratio a *Guidone Aretino*, Monacho, excogitata per Solmisationem: *ut, re, mi, fa, sol, la*, apud SIGEBERTVM *ad annum MXXVIII.* (4) Schisma in Sede Romana inter *Benedictum IV, Syluestrum III*, et *Gregorium VI*, quo, ut OTTO FRISINGENSIS *Lib. VI, cap. 23*, loquitur: *pudenda confusio Ecclesiae DEI in urbe Roma fuit.* (5) *Gregorii VII*, Papae, horrenda facinora et certamina cum *Henrico IV*, Imperatore, diris ab ipso deuoto. Quae pudendo ausu *Baronius* excusare contendit; cum tamen omnes Antichristi magni notae in ipsum quadrent. (6) Ficta miracula *Hildebrandi* a BARONIO *MLXXXV, num. 13, et seqq.* narrata. (7) *Mathildis*, Comitissae totius Longobardiae et Lotharingiae rectricis, turpissima consuetudo cum *Hildebrando*, et donatio Liguriae et Thusciae in patrimonium *Petri* Romanae Ecclesiae facta, conf. BARONIVM *ad an. MLXXIV.* (8) *Kunigundae*, uxoris *Henrici II*, Imperatoris, uirginitas in matrimonio, et profusa donatio clericis facta, quam *Surius*, *Papebrochius*, et alii Legendarii praedicant. (9) Iudaeorum fata in Babylonia tristia, et eorum in Hispania receptio, apud HOTTINGERVM *Hist. Eccles. Sec. XI, Sect. IV.* (10) Misera Germaniae per Pontifices Romanos

manos facta dilaceratio. (11) Fatales regnorum mutationes in hiſtoria ciuili paſſim annotatae. (12) Ducatus Hungariae in regnum ob *Ottone III* euectus, et ſi *Gregorio VII* fides in feudum Romanae Eccleſiae, conuerſum apud BARONIVM *ad annum MLXXIV, num. 82.* (13) Regnum Poloniae Sedi Romanae tributarium factum, referente BARONIO *ad annum MXLI, num. 3 et 11.* (14) Anglorum regnum anno MXVII ad Danos translatum Canuto utrorumque Rege, et deinde ad Normannos ſub *Guilielmo*, Conqueſtore. (15) Expeditio cruciata in Palaeſtinam Duce *Godofredo Bullionaeo*, apud GVIL. TYRIVM *de Bello Sacro*, et MATTH. PARIS ſupra allegatos. (16) Ruditas cleri; Nam GVIL. MALMESBVRIENSI *Lib. III de Geſt Anglor.* memorante: *Literarum et Religionis ſtudia obſoleuerant: Clerici literatura tumultuaria contenti, uix ſacramentorum uerba balbutiebant; ſtupori et miraculo erat ceteris, qui Grammaticam noſſet; Monachi Regulam ludificabant, etc.*

§. 58. Tremenda *Iudicia* hic *diuina* miranda ſunt, quibus ſcelera hominum nomen CHRISTI mentientium ultus eſt grauiſſime: quando fides defecerat, Magnusque Antichriſtus reuelatus eſſet. Nam fatente GVIL. TYRIO *de Bello Sacro Lib. I, cap. 8, in Occidente, et in omni pene orbe terrarum, maxime inter eos, qui fideles dicebantur, Papae obnoxii, fides defecerat, et DOMINI timor erat de medio ſublatus, perierat de rebus iuſtitia.* Cum *Dauide* hic *Pſalm. XII* conquerendi locus fuit: Iuſta tamen iudicia DOMINI ob peccata populi ſunt. Erat enim (ut autor *Faſciculi temporum* de hoc aeuo loquitur,) *Sacerdos ſicut populus.* Conf. FLACII *Catal. Teſt. Verit. Lib. XIII.*

PERIO-

PERIODI IV

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT II

DE

HISTORIA SECVLI XII

§. 1

Stabilito iam in Ecclesia Latina absoluta Pontificis Romani *dominatu*, seruitutis mala, quo latius ista tyrannis progressa, eo plures sentire oportuit. Ac licet Christiana Religio ad gentes quasdam infideles, ut *Pomeranos*, *Liuones*, *Finlandos*, et alios hoc aeuo translata sit; cum illa tamen simul superstitiones foedae a Sacerdotibus ac Monachis propagatae fuerunt; ita, ut tempora Anti-Christiana a multis in Ecclesia agnoscerentur et deplorarentur. Doctrinae capita *in Sententias Scholasticas* redactae spinosae Theologiae Scholasticae in claustris et scholis praebuerunt originem. Vnde lectione Scripturae Sacrae neglecta, disputatrix Theologia inualuit.

§. 2. *DOCTORES et SCRIPTORES ECCLESIASTICI* in claustris fere Monachorum quaerendi, non pauci quidem memorantur: sed si *Bernhardum* excipias, in S. Scripturae interpretatione admodum rudes. Nos, ut instituti nostri ratio fert, insigniores tantum memorabimus.

§. 3. Ex *Graecis* praecipue inclaruerunt (1) *Eustratius*, Metropolita Nicaenus, qui *de Processione SPIRITVS*

TVS S. aduersus Latinos circa initium huius seculi scripsit. Vid. L. ALLATIVM *de Consens. Lib. II, cap. X, §. II.* (2) *Euthymius Zigabenus*, Monachus, cuius *Orthodoxae Fidei Panoplia et Commentarii in Psalmos* extant. Vid. *Biblioth. PP. Tom. XIX.* (3) *Iohannes Zonaras* ex Proto-Secretario Monachus factus, qui *Annales ab Orbe condito ad exitum usque Alexii Comneni*, imperatoris Constantinopolitani, h. e. ad annum MCXIIX composuit, ac *Commentarios in Canon. Apostol. Conciliorum et Epistol. Canon. VIII Patrum* reliquit. (4) *Anna Comnena*, *Alexii Comneni* filia, et *Nicephori Bryenni* uxor, quae *Lib. XV Alexiados*, h. e. de rebus gestis *Alexii*, patris sui, composuit. Hos Augustae Vindelicorum anno 1610 *Hoeschelius* publicauit. (5) *Michael Glycas*, Siculus, *Annales quadripartitos* reliquit Parisiis anno 1660 editos. Scripta eius Theologica L. ALLATIVS *de Consens. Eccl. Orient. et Occident. Lib. II, cap. 18*, recenset. (6) *Nicetas*, Philosophus Byzantinus *pro Synodo Chalcedonensi* aduersus Armeniae Principem scripsit, teste L. ALLATIO *Lib. I, cap. 5, de Consens.* (7) *Georgius Metropolita* Corcyrensis, aduersus Latinos scripsit. Vid. ALLATII *Diatriben de Georgiis*, et eorum *Scriptis*, et eiusdem *de Consens. cit. Lib. II, cap. II, § VI.* (8) *Constantinus Harmenopulus*, Sebastus, Nomophylax reliquit πρόχειρον νόμων Geneuae anno 1587 impressum. (9) *Basilius Archidenus*, Metropolita Thessalonicensis *de Vnione Ecclesiarum* et *Rescriptum de Nuptiis*, quod in *Iure Graeco Romano* extat, scripsit. (10) *Iohannes Cinnamus*, Grammaticus et Notarius Imperatoris, *Historiam Comnenorum Ioannis et Manualis* composuit, quae Traiecti ad Rhenum anno 1652, et Parisiis anno 1670 prodiit. (11) *Theodorus Balsamon*, Constanti-

ſtantinopolitanus, ex Nomophilace Patriarcha Antiochenus, Commentarios in *Canon. Apoſtol. et Concil. Epiſtol. S. Patrum* conſcripſit Vid. IVSTELLI *Tom. II Biblioth. Iur. Can. uet.*

§. 4. *Latini* huius ſeculi *Scriptores* in *dogmaticos et hiſtoricos* diſtingui poſſunt.

§. 5. *Dogmaticis* accenſemus (1) *Radulphum Ardentem* Pictauium, qui *Sermones de Tempore et Sanctis*, teſte AVBERTO MIRAEO *in Auctar. de Script. huius Seculi*, conſcripſit. (2) *Ottonem*, Cameracenſem Epiſcopum, cuius Liber *de Blaſphemia in SPIRITVM S.* Homilia *de Villico Iniquitatis*, Libri *de Peccat. Origin.* et alia *in Biblioth. PP. edit. Lugd. Tom. XX* habentur. (3) *Rupertum*, Tuitienſem Abbatem, cuius *Opera II Tomis* Pariſiis anno 1638 impreſſa proſtant. Vid. FLACII *Catal. Lib. XIV, fol. 1419.* BELLARMINVS *de Scriptor. Eccleſ* in eo ceu errorem notat, quod Transſubſtantiationis dogma negarit. (4) *Algerum*, Scholaſticum Leodienſem, ac poſtea Monachum Cluniacenſem, cuius *Opera* in *Tomo XXI Biblioth. PP.* extant. *Bellarminus* eum notat, quod perperam aſſeruiſſet, ſpecies ſacramentales non poſſe corrumpi uel rodi a muribus.

§. 6. Palmam his et ſequentibus aufert BERNHARDVS, nobilis Burgundus, ex Monacho Ciſtertienſi Abbas Claraeuallenſis factus, uir, ex iudicio *Bellarmini*, plane Apoſtolicus, qui non minus gloria miraculorum, quam ſapientiae ſplendore illuſtris fuit. De *Scriptis* eius uide BELLARMINVM *l. c.* NAT. ALEXAND. *Hiſt. Eccl. Secul. XI et XII, Part. I, art. X*, et CAVE *Hiſt. Lit. fol. 643, ſeqq.* Multa in eius Scriptis, quae ad *myſticam Theologiam* faciunt, habentur. Vid. FLAC. *Catal. Lib. XIV.* Huius aequalis fuit PETRVS VENERABILIS,

RABILIS, Abbas Cluniacenſis, nobilis Aquitanus ex milite Monachus primum factus. Qui contra *Petrum de Bruis*, item eos, qui dixerunt, CHRISTVM nunquam ſe in Euangelio aperte *DEVM dixiſſe*, ſcripſit. *Opera* eius *in Biblioth. PP. Tom. XXII* extant. Vid. FLACIVM *Catal. Lib. XIV, fol. 1405.*

§. 7. PETRVS ABELARDVS, nobilis Gallus, caſtratus monaſterium S. Dionyſii ingreſſus, *de SS. TRINITATE et Vnitate diuina* ſcripſit; ſed ob argutias philoſophicas uſurpatas, haereſis poſtulatus fuit. Opera eius edidit *Fr. Amboeſius* Pariſiis anno 1616. Vid. BARON. *ad annum MCXL, n. 3, ſeqq.* Epitaphium a *Petro Venerabili* ipſi conditum hanc clauſulam habet:

Eſt ſatis in tumulo, Petrus hic iacet Abelardus,
Cui ſoli patuit, ſcibile quicquid erat.

Vide CAVE *Hiſt. Lit. fol. 652.*

§. 8. PETRVS, gente *Lombardus* Nouariae natus, *Magiſter Sententiarum* dictus, Epiſcopus Pariſienſis, qui *ſententias Theologorum Scholaſticorum in IV* Libros digeſſit. Vnde Theologiae Scholaſticae autor appellatur. Quanquam rectius PETRO ABELARDO eiusdem origo apud Latinos adſcribatur. De PETRO LOMBARDO uide BARON. *ad annum MCLXIV, num. 52*, et *annum MCLXXIX, num. 13*, CAVE *Hiſt. Lit. fol. 667*, BELLARM. *de Script. Eccleſ. pag. 235.* NATAL. ALEX. *Hiſtor. Eccleſ. Secul. XI et XII, pag. 542*, et FLAC. *Catal. Lib. XV, fol. 1455.*

§. 9. PETRVS COMESTOR, Trecis in Campania oriundus, et ibidem Eccleſiae S. Petri Canonicus, *Hiſtoriam S. Libris XVI*, conſtantem conſcripſit, fabulis ac profanis hiſtoriis admixtis. Vid. BARON. *ad annum MCLXIV, num. 52*, et FLAC. *Catal. Lib. XV, fol.*

fol. 1486. Cui iungimus PETRVM BLESENSEM itidem Gallum Blesis natum, autorem *uariorum Opuscu-lorum Theologicorum*, quae Moguntiae anno 1600 excusa sunt. Vid. BARONIVM *anno MCLXIV, num. 44*, item *MCLXVII, num. 72*, VOSSIVM *de Hist. Lat. Lib. III, cap. 7*, et FLACIVM *Cat. Lib. XIV, fol. 1438.*

§. 10. GRATIANVS, Monachus Clusii in Hetruria natus, anno circiter MCL, ex Patrum sententiis, Pontificum Rom. Decretis et Conciliorum Canonibus, *Decretum*, quod uocatur *Gratianum*, compilauit, quod *Concordia discordantium Canonum* etiam inscribitur. Vid. D. ZIEGLERI *Dissert. de Orig. Iur. Can. num. 36, seqq.* et FLAC. *Cat. Lib. XV, fol. 1463.*

§. 11. HVGO DE S. VICTORE, patria Iprensis, *Annotationes in omnes fere V. et N. Testamenti* Libros, et alios tractatus a *Bellarmino* recensitos scripsit. Conf. BARON. *ad an. MCXXXVI, num. 15*, et FLAC. *Catal. Lib. XV, fol. 1452.* Huic iungimus RICHARDVM DE S. VICTORE Scotum, *S. Bernhardi* amicum intimiorem, auctorem aliquot *mysticorum Tractatuum*, ut *de Statu interioris hominis*, *de Beniamin Minore*, h. e. de praeparatione ad contemplationem, et *Beniamin Maiore*, id est, de Gratia contemplationis, etc. Opera eius II Tomis comprehensa anno 1650 Rothomagi impressa sunt. Vid. FLAC. *Catal. Lib. XV, fol. 1454.* Addimus HVGONEM ETHERIANVM, gente Thuscum, Graece et Latine doctum, qui aduersus Graecos *de Processione SPIRITVS S.* et *de Regressu animarum*, Librum scripsit. Vid. *Tom. XXII Biblioth. PP.*

§. 12. IOACHIMVS, Abbas Florensis Monasterii, in *Esaiam*, *Ieremiam* et *Apocalypsin Commentarios*, et

concor-

concordiam Vet. et Noui Testamenti scripsit. Vulgo pro Propheta habitus est; quod de Pontificibus Rom. uaticinia ediderit, *Baronio* parum grata. Vid. WOLFII *Lect. Memorab. Tom. I, p. 444.*

§. 13. *Historici* huius aeui *Scriptores* insigniores sequuntur. 1) *Sigebertus*, Monachus *Gemblacensis*, *Chronographiam* composuit, qui a BELLARMINO *de Scriptor. Eccles. pag. 215*, notatur, quod *Gregorii VII*, Papae, molimina contra Imperatorem *Henricum IV* liberius descripsit. Conf. *Catal. Test. Verit.* FLAC. *Lib. XIII, fol. 1318.* 2) *Wilhelmus Malmesburiensis* Monachus Anglus, *de Gestis Regum Anglorum Libros V*. item *II*, *Historiae Nouellae*, et *IV*, *de Gestis Pontificum Anglorum* composuit. Cui iungimus *Iohannem Saresberiensem*, gente Anglum, Episcopum Carnotensem, qui *uitam Thomae*, Cantuariensis Archiepiscopi, *Obiurgationem Cleri*, *Polycraticon* siue *de Nugis Curialium* et uarias *Epistolas* conscripsit. Vid. FLAC. *Catal. Lib. XIV, fol. 1433.* Addimus *Godofridum Viterbiensem*, Presbyterum et Capellanum *Conradi III*, *Friderici I et Henrici IV*, Imperatorum, autorem *Chronici universalis*, quod *Pantheon* appellatur, multisque fabulis refertum est.

§. 14. Illustrior historicus est OTTO FRISINGENSIS, *Conradi III*, Regis, frater uterinus, Episcopus Frisingensis, qui *Libros VII Chronic. ab Orbe condito usque ad annum MCXLVI*, et *Libros II de Gestis Friderici I, Imperatoris*, composuit. Vid. VRSTISII *Tom. I Scriptor. Germ.* et FLAC. *Catal. Lib. XV, fol. 1494.* Illius σύγχρονος fuit HELMOLDVS, Presbyter Lubecensis, autor *Chronici Slauorum*, quod *Henricus Bangertus* recensuit, et notis illustrauit. Vid. FLACII *Catal. Lib. XIII, fol. 1344, seqq.*

§. 15. GVILIELMVS TYRIVS, gente Syrus, Archiepiscopus Tyri, *Amalarico*, Regi Hierosolymorum carus, *de Bello Sacro Lib. XXIII* scripsit, cuius historiam continuauit *Iohannes Heroldus*, et alii. Vid. *Gesta DEI per Francos* a Bongarsio collecta et Hanouiae anno 1611 publicata. Plures huius aeui scriptores ex allegatis autoribus addere, pagina haec non capit. Quare ad DOCTRINAM publice receptam progredimur.

§. 16. ILLA uero, per iniquitatem seculi ualde contaminata fuit; dum Papa Rom. et Episcopi de Imperio magis suo proferendo, quam de Regno CHRISTI amplificando essent solliciti. Nam *Ius nouum* ad imitationem Iuris Caesarei, *Eugenius III*, Papa, ex decretis ueterum Conciliorum et Patrum sententiis, per *Gratianum*, Monachum Bononiensem, anno 1151 compilari curauit; quod *Canonicum* appellatur. Hoc noui regni sacri iurisdictio ordinatur. Sacerdotes et Monachi in scholis et claustris superstitiosos cultus iam inolitos non tantum defenderunt, sed multiplicarunt etiam; ut populus externo, eoque inani cultu Numinis distineretur.

§. 17. Praeterea in scholis, hoc seculo, auctore PETRO LOMBARDO, *Theologia Scholastica* emersit, cuius ortum AVENTINVS *Annal. Lib. VI* his uerbis describit: *Ea tempestate Petrus Lombardus Lutetiae Parisiorum creatur Pontifex*, (Episcopus,) *is quidem Theologumenon quatuor libros scripsit; sed sacrosanctae Philosophiae ueritatem fontemque purissimum, sicuti plus millies a Iacobo Fabro, Iodoco Clichtoueo, praeceptoribus meis, accepi atque audiui, caeno quaestionum, riuulis opinionum conturbauit. Id quod et usus rerum magis (nisi caeci simus,) satis superque docet.* Vnde

10.

IO. TRITHEMIVS *in P. Dialectico*, qui uixit anno MCL etiam de illa recte iudicauit: *Ab hoc tempore Philosophia secularis* (Aristotelem intelligit,) *sacram Theologiam sua curiositate inutili foedare coepit.* Nam Philosophia cum S. Theologia commixta fuit per sententiarum quendam cinnum. Occasio erat tum defectio a religione puriore ad impuram, tum exortus Philosophiae Aristotelicae in orbe Latino, et uenerario eius post uersiones nouas operum *Aristotelis*, quam cum Religione Christiana, pessimo exemplo conciliari satagebant. Magister tamen huius Theologiae *Lombardus*, ab *Alexandro*, Papa, et Abbate *Ioachimo* Florensi haeresis postulatus fuit, teste MATTHAEO PARIS *Histor. Anglor. fol. m. 115.*

§. 18. Huius autem primum parentem faciunt LANFRANCVM, Archi-Episcopum Cantuariensem, qui anno circiter Christi MLX *Transsubstantiationem* aduersus *Berengarium* defendit. Hunc excepit Seculo XII *Petrus Abelardus*, praeceptor *P. Lombardi.* Qui uiam discipulo in compilandis sententiis Patrum inprimis *Augustini*, Decretis Conciliorum, regulis philosophicis, uelut praeiuit. Quanquam id nec solus fecit. Idem enim quoque fecerunt *Petrus Pictauinus* et *Gilbertus Porretanus.* Sed *Magister* demum *Sententiarum*, ipse *Lombardus*, tanti habitus est, ut aduersus eum ne hiscere quidem aliis licuerit. Vid. *de Theol. Scholast.* CHRISTOPH. BINDERI D. IO. HIMMELII *Tractat.* DANAEI *Prolegom. in Lombard. Lib. Sentent. Aetates* huius theologiae *tres* constituuntur, *uetus*, *media* et *noua. Vetus* a *Lanfranco* ad *Albertum Magnum* ab anno MXX usque ad annum MCCXX. *Media* ab *Alberto Magno* ad *Durandum*, h. e. ab anno MCCXX ad annum MCCCXXX. *Noua* post *Durandum*

dum usque ad *Lutherum*, qui eam primum euertere coepit. Vid. HOTTINGERI *Histor. Eccl. Secul. XII, cap. XII, Sect. I, pag. 80, seqq. Vetus Aristotelem* in limen Theologiae; *Media* in adytum recepit. *Noua* priores duos uicit impudentia, de rebus etiam abditissimis *magisterialiter* affirmans, quod in ueteri et media non factum. Vid. IAC. THOMASII *Sched.* eiusque *Iudicium de Theol. Scholast. in Hist. Sapient. et Stult.* CHRIST. THOMASII *Tom. III, pag. 225, seqq.*

§. 19. Praecipuus melioris Theologiae Doctor fuit BERNHARDVS, mellifluus dictus, qui S. literas excoluit, piisque meditationibus illustrauit, ac uitia curiae Romanae liberius *in Epistolis ad Eugenium* taxauit. Vid. *Serm.* eius *LXXVII in Cantic.* Vir erat meliori aeuo dignior, cum in tractandis Scripturis esset sublimis, in sententiis diuinus, in reprehendendis uitiis cleri uniuersi acer et uehemens. Sed tamen ab erroribus fidei orthodoxae non plane immunis habetur. Quia autoritati Pontificiae nimium tribuit, cultum B. Virginis *Mariae* religiosum, traditionem de Purgatorio, professionem monachatus approbat atque extollit. Vid. BERNHARD. *Serm. II de Adu. B. Virgin. Homil. II de B. Virgin.* et HOTTINGER. *Secul. XII, pag. 109, seqq.* item *Excerpta ex Bernhardo*, apud FLACIVM *Catalog. Test. Verit. Lib. XIV, fol. 1379, seqq.*

§. 20. Corruptissimum Ecclesiae Romanae et doctrinae statum *Waldenses* et *Albigenses*, celebria in posterum in historia nomina impugnarunt, ac in tenebris uelut facem amantibus ueritatem praetulerunt. Nam PETRVS WALDVS, (alii *Valdus*, uel de *Waldis*) ciuis Lugdunensis, ex mercatore Theologus, in assidua lectione S. Scripturarum, post medium circiter huius seculi ita profecit, ut non tantum Ecclesiae regimen

Papae

Papae Romanae tyrannicum S. literis aduersum inde demonstraret; sed et superstitiones crassas ac idolomaniam cum multis abusibus notaret atque reprehenderet. Vid. THVAN. *Histor. Lib. XVII*, FLAC. *Catal. Test. Verit. Lib. XV, fol. 1498, seqq.* FORBESII *Instruct. Histor. Theol. Lib. XIV, cap. 15*, et VSSERII *de Successs. Eccles. cap. VIII.*

§. 21. Circa annum Christi MCXC nouum Euangelium a CYRILLO CARMELITA cudi coeptum est, quod *aeternum Euangelium* appellarent. Eo dogmata Scholastica ritusque superstitiosi Ecclesiae Romanae confirmabantur. Sed DEVS IO. VALDONEM excitauit, qui primus omnium blasphemum *Cyrilli* Euangelium impugnauit. *Valdoni* plures sese adiunxerunt: Sed denique a GVILIELMO DE S. AMORE anno MCCLIV Euangelinm illud euersum est. Dubitat uero *Iac. Thomasius* supra allegatus, an multum commercii habuerit aeternum illud Euangelium cum Scholastica Theologia; praesertim cum constet, damnato per Papam illo Euangelio, non minus quam *Valdonis* doctrina; mansisse tamen Theologiam Scholasticam, fuisseque propagatam. Expendendum etiam, annon nouum illud Euangelium affinitatem aliquam habuerit cum *nouo Euangelio*, quod appellabat *Bernhardus Petri Abellardi*, quod ipsum tamen Ecclesia Pontificia damnauit.

§. 22. Communio sub una tantum specie hoc aeuo introducta uidetur, licet lege nondum esset Ecclesiae firmata. Cuius abusus haec uiderur fuisse occasio: Moris erat in Ecclesia, ut quidam panem consecratum intingerent et intinctum pro complemento communionis populo distribuerent. Quem morem a ueteris Ecclesiae consuetudine aberrantem *Paschalis II* improba-

uit. Ideo *Epistola ad Pontium Abbatum* Cluniacensem scripta praecepit, ut communio seorsim in specie panis et seorsim in specie uini fieret. Sed ille intinctionis usus a multis retentus ansam postea praebuit communioni sub una specie. Praesertim cum ob transsubstantiationis dogma, metus esset, ne Sanguis CHRISTI, laicis praebito calice, forte effunderetur in terram.

§. 23. Caeterum in Ecclesia Romana schismata ipsi Pontifices et Antipapae horrenda inter se inuicem fouerunt, nonnisi dominatum absolutissimum meditantes. Vnde carmen illud de *Paschale II*, initio huius seculi ex *Godofrido Viterbiensi* notum:

Spiritus et Corpus mihi sunt subiecta potenter,
Corpore terrena teneo, coelestia mente.
Vnde tenenao polum, soluo li oque solum.

Doctrina in templis sonans erat de indulgentiis, de satisfactionum necessitate, de meritis uitae monachalis, de inuocatione Sanctorum, de cultu et miraculis reliquiarum, de peregrinationibus ad loca sancta, de militia sacra in Palaestina, quam qui sequebantur, remissionem omnium peccatorum obtinuerunt, teste BARONIO *ad annum Christi MCXLV, num. 32*, et *annum MCXLVI, num 12*, de coelibatu clericorum necessario, et aliis. Vnde ipse BARONIVS *ad annum* MCVI, *n. 26*, fatetur, famam hoc tempore fuisse, *Antichristum* reuelatum iri; *Ioachimus* uero, Abbas Florensis, palam professus est, eum Romae iam natum esse.

§. 24. In hoc caliginoso regno tenebrarum fuerunt tamen aliqui, quibus lectio Scripturae S. curae fuit. Nam praeter *Bernhardum* HVGO DE S. VICTORE *Lib. de noniter conuersis instituendis cap. VIII*, modum legen-

legendi S. Literas praescripsit: *Cum diuinas*, ait, *scripturas legitis, solerter perpendite, quid ibi dictum sit ad excitandum in uobis amorem DEI, quid ad contemtum seculi, quid ad cauendas insidias inimici, quid ad bonos affectus nutriendos et praua desideria fugienda naleat, et citius cor per compunctionis ardorem accendat: quid disciplinam in opere, quid humilitatem in cogitatione, quid obedientiam in praeceptis, quid denique ad agenda sedulum et ad mala cauenda doceat esse circumspectum.*

§. 25. Quod *HAERESES* attinet, ipsa Ecclesia Romana, non una, sed pluribus iam infecta fuit; cum *Idolomania* aperte defenderetur et exerceretur. Notantur tamen etiam alii, qui *Haereticorum* nomine ueniunt, ut *Bogomili*, qui autore quodam *Basilio*, medico, habitu Monachi, nefanda dogmata sparsisse dicuntur. ZONARAS *Tom. III. fol. 238*, NATAL. ALEXAND. *Hist. Eccl. Secul. XI et XII, cap. IV, art V*, ex *Euthymii Zigabeni Panoplia Part. II, cit. 23*, haeresis illius haec capita recitant: Reiiciebant 1) Mosaicos omnes libros, ceterosque Scripturae S. praeter Psalterium et sedecim Prophetas, quatuor Euangelia, Actus Apostolorum, et ipsorum Epistolas atque Apocalypsin; 2) Simplicibus fucum facientes, dicebant se credere in PATREM et FILIVM et SPIRITVM S. sed reuera PATRI tantum tria nomina tribuerunt; cum improbe et blaspheme de FILIO et SPIRITV S. loquerentur. 3) Daemonem, qui a SALVATORE Satanas appellatur, Filium DEI PATRIS et Satanaelem dici, de quo et Angelorum lapsu mira comminiscebantur, quae loc. cit. legi possunt. Secta nimirum ex *Manichaeorum* et *Messalianorum* ueterum placitis portentosis conflata fuit, cuius autor

ad rogum damnatus, iuſtas dedit poenas. Conf. BARON. *ad annum MCXIIX, num.* 27, et ALLAT. *de Eccleſ. Occid. et Orient, conſ. Lib. II, cap.* 12.

§. 26. *Antwerpiae* anno MCXI et ſequentibus, TANCHELINVS (aliis *Tauchelinus* et *Tandemus* audit) homo peruerſus, ter mille uiris ſtipatus, et lauta conuiuia in gratiam plebis inſtruens, duos praecipue errores ſparſit: 1) Miniſterium Epiſcoporum et Sacerdotum inane, nec a CHRISTO inſtitutum eſſe: 2) Corporis et Sanguinis CHRISTI perceptionem ad ſalutem aeternam nihil prodeſſe. Ceterum ipſe, ſcortationi et prauae libidini deditus, uitam egit ſceleratam, Vid. SVRIVM *in Hugonis uita, ad diem 6 Iunii*, et BARON. *ad an. MCXXVI, n.* 8.

§. 27. PETROBRVSIANI, a *Petro de Bruis* appellati, anno circiter MCXXI, in Arelatenſi Galliae prouincia, teſte PETRO CLVNIACENSE, Abbate, *Epiſt. I. et II*, tradiderunt, Baptiſmum ſine propria fide non ſaluare; ideo requiſiuerunt, ut baptizandus fidem intelligeret Chriſtianam: Deinde negarunt Corpus et Sanguinem CHRISTI in Miſſa pro animarum ſalute offerri, nec ſubſtantiam panis et uini in Euchariſtia mutari: Sacrificia, orationes et eleemoſynas pro defunctis deridebant: Templa etiam ſacris peragendis negabant eſſe neceſſaria: item cruces ſacras, quod ſigna ignominioſi inſtrumenti, quo CHRISTVS diriſſime tortus fuiſſet, confringebant. Praeterea illis etiam Manichaeorum deliria imputantur. Conf. BARONIVS *ad annum MCXXVI, num.* 4. Videntur ergo illi abuſus et ſuperſtitiones Eccleſiae Romanae notaſſe, ac ideo incurriſſe inuidiam cleri curiae Rom. addicti. Poſt Petrum de Bruis combuſtum, *Henricus* Monachus circa annum MCXL, illa dogmata propagare

pagere molitus est, simul foeminas nudas incedere, et ita iponsalia celebrare iubens. Vnde eius assectae *Henriciani* dicti sunt. Ipsius *Henrici* BERNHARDVS *Epist. CCLII*, mentionem facit. Vid. NAT. ALEX. *Hist. Eccles. Sec. XI et XII, cap. IV, art. VII.*

§. 28. ARNALDISTAE, ab *Arnaldo* Brixiensi, *Petri Abelardi* discipulo, nomen habentes, circa annum CHRISTI MCXXXIIX negarunt, Clericos et Monachos, possessiones tenentes, saluari posse. OTTO FRISINGENSIS *Lib. II de Rebus Gest. Friderici Barbarossae, cap XX* addit, eum de paruulorum Baptismo et Sacramento altaris non recte sensisse. BERNHARDVS *Epist. CXCV, ad Episcopum Constantiensem* in eum valde inuehitur. *Innocentius II*, Papa, illum in Synodo Lateranensi conuocata, hac de causa damnauit, impositio ipsi silentio, in primis quod in cleri auaritiam et dominandi cupiditatem inueheretur. Ab hoc *Arnoldus de Villa Noua*, Hispanus, distinguendus, qui etiam a Pontificiis inter haereticos refertur: Sed FLACIVS *in Catal. Test. Verit. Lib. XIIX* probat, eum uitia cleri magis impugnasse, quam doctrinam.

§. 29. PETRVS ABELARDVS, Gallus, et GILBERTVS PORRETANVS, Pictauiensis Episcopus, etiam haereticis accensentur, quod de mysterio SS. TRINITATIS minus sobrie philosophantes, non sanas proponerent doctrinas. Quas BERNHARDVS *CLXXXIX et CXC*, in *Abelardo* notauit. OTTO FRISINGENSIS *de Rom. Gest. Friderici, Imperatoris, Lib. I, cap. 46, et seqq.* errores *Porretani* sequentes recitat: quod assereret 1) diuinam essentiam non esse DEVM: 2) quod proprietates personarum non essent ipsae personae: 3) quod theologicae personae in nulla praedicarentur propositione: 4) quod diuina natura non

esset incarnata: 5) quod Ecclesiae Sacramenta euacuando diceret, nullum baptizari, nisi saluandum. Sed palmarius error fuit, quod Diuinitatem DEIque attributa cum absoluta, tum relatiua, DEVM non esse, contenderet. Conf. BERNHARD. *Serm. LXXX, in Cantic.* LAVNOIVM *de Varia Aristotel. Fortuna, cap. III*, et 10. THOMASII *uitam P. Abelardi* a CHRIST. THOMASIO *ICto in Histor. Sap. et Stult. Tom. I, cap. 6*, editam. Conf. NATAL. ALEX. *Hist. Eccles. Secul. XI et XII, Part. II, et Dissert. VII.*

§. 30. *Apostolici*, homines illiterati, Apostolicam uitam affectantes tempore *S. Bernhardi* damnabant 1) nuptias, continentiae uotum iactantes: 2) Baptismum paruulorum et inuocationem Sanctorum: 3) Ordines ecclesiasticos: 4) esum carnium, seueram uitae disciplinam sectantes. BERNHARDVS illos *Serm. VI, LXVI, in Cantic.* reprehendit. *Euerinus* apud MABILONIVM, *Tom. III, uetер. Analect. pag. 152*, eos circa Coloniam Agrippinam uagatos esse, memorat.

§. 31. EVDO DE STELLA, Britannus, praestigiis Daemonum, rudem plebeculam decipiens, se iudicem uiuorum et mortuorum iactitauit, ac quosdam e suis discipulis Angelos, alios Apostolos creauit. Ipse baculum superiori parte bifurcum, ad mysterii regni sui significationem gestauit. Sed *Eugenius III*, Papa, hominem dementem, anno MCXLVIII carceri mancipari iussit. Vid. OTT. FRISING. *de R. Gest. Frid. Lib. I, cap. 54*, et NATAL. ALEX. *l. c. art. X, pag. 356.*

§. 32. Circa finem huius seculi FOLMARVS, Praepositus Petrae Stillantis, seu *Trieffenstеinii* in Franconia infra Herbipolim, tradidit, in Eucharistia sub specie panis, solam Christi carnem sine ossibus, sine membris

Als der Erzbischof von Toledo Rodericus im Jahr 1219 beschlossen hatte, daß die Geistlichen, wenn sie angeklagt wären, vor ihrer besonderen Gerichtsbarkeit sollten, stand sie unter Papst Honorius III. er suchte die höchste Würde dieses Amtes auf eine besondere Art einzurichten. diese Brief steht bey Raynaldo ad h. a.

bris corporeis et sine humani corporis plenitudine; sub specie autem uini solum Christi sanguinem sine carne sumi. Quam sententiam *Gerochus Reichersbergensis*, in Bauaria Praepositus, refutauit. Vid. *Epistolam eius Tom. XXV Biblioth. PP. edit. Lugd.* In Orientali Ecclesia de Coena Domini controuersia obortа, quidam, corpus Christi post perceptionem in Eucharistia incorruptibile esse, sicut erat post passionem et resurrectionem; quidam uero corruptibile et inanime esse affirmarunt, qui in Synodis hac de causa habitis condemnati sunt. Vid. NICETAM *in Alexio.*

§. 33. Scriptores Pontificii haereticis huius seculi *Waldenses* accensent, quod Papatus errores impugnassent, ac ab Ecclesia Romana secessionem fecissent. Enim uero iniuriam hominibus Christi regulam secutis, factam esse, omnes hodie, quibus historia Waldensium non ignota, satis norunt. Vid. IO. THOMASII *Hist. Waldens. a filio* eius CHR. THOMASIO *Hist. Sap. et Stult. Tom. I, cap. 4*, exhibitam.

§. 34. De *Regimine* Ecclesiae Latinae seu Romanae non amplius quaeri debet; cum tyrannicum Pontificis Romani regnum iam ab *Hildebrando*, Papa, stabilitum esset: Quod amplificare hoc aeuo Pontifices connixi sunt. Nam *Paschalis II*, decreuit, ut qui pallium episcopale a Pontifice accepturi essent, iureiurando sese Romanae sedi, cum plena subiectione obstringerent. Vid. M. ANTON. DE DOMINIS *Lib. III, de Republ. Eccles. cap. XI, num. 21, 22, fol. 498, seq.* *Calixtus II*, Papa, *Henrico V*, Imperatori, Ius Episcopos inuestiendi, in Comitiis Wormatiensibus an. MCXXII extorsit. Vid. CRANZ. *Saxon. Lib. V, 42*, et LEHMANNI *Chronic. Spirens. Lib. V, cap. 42*, *Honorius III*, septem Cardinales Diaconos instituit, quorum

rum opera et consilio in rebus grauioribus uteretur. *Innocentius II*, ignominiosa pictura, *Lotharium* Caesarem ante se procumbentem manibusque complicatis imperii coronam petentem, cum hac inscriptione repraesentauit:

Rex uenit ante fores, iurans prius urbis honores,
Post homo (uasallus) *fit Papae, sumit quo dante coronam.*

Vid. TRITHEM. *Chronic. Hirsaug.* et SIGON. *de Reb. Ital. Lib. XI.* Ipse BARONIVS *ad annum Christi MCXXX Anacletum II* Anti-Christum appellat, quod *Innocentium II* eiecisset. *Alexander III*, Papa, uulgo traditur *Friderico Barbarossae*, Imperatori, insultasse, ac Venetiis pedem collo eius imposuisse, additis his uerbis: *super aspidem et basiliscum ambulabis;* Caesarem reposuisse: *non tibi, sed Petro;* ipsum regessisse: *Et mihi et Petro. Sed post* BARON. *ad an.* MCLXXIIX, D. GEORG. RHEMVS, RVPERTVS *in Obs. in Hist. Besoldi cap. XIIX*, et CONRINGIVS *de Finib. Imp. cap. XI*, istam relationem, pro fabula Italorum habent. *Vrbanus III*, Imperatorem Fridericum excommunicauit. *Clemens III*, regnum Siciliae armis sedi Romanae uindicare molitus est. *Coelestinus III* coronam *Henrico VI*, Imperatori, ad pedes suos prostrato impositam, eam pede percutiens, in terram iterum deiecit, significaturus in manu sua esse coronam Caesaris, apud BARONIVM *ad annum MCXCI, num. 10. Innocentius III*, circa finem huius seculi Papa factus, in *Serm. I, consecrat. Pontif. p. 189*, scribit: *Papa inter Deum et hominem medius constitutus, citra Deum, sed ultra hominem, minor Deo, sed maior homine, qui de omnibus iudicat, et a nemine iudicatur.* De his et aliis

Alphonsus VIII. erlaubte den Juden Synagogen und Moscheen in den
Städten zu haben und schützte sie wider die Geistlichkeit. Darüber hielt sich Innocentius III.
übel auf, gebot ihm, daß er alsbald die Juden unter Androhung des Bannes die besten
gehörenden Briefe stehen lassen. Raynaldo ad a. 1199 n. 12 ff.

aliis Pontificum tyrannidis speciminibus, uide Scriptores uitarum Pontific. Rom. *Innocentius* ille constituit, ut singuli, minimum festo Paschatis, sacra Eucharistia uterentur. Vid. *Can. XII et X, de Poenit. et Remiss.*

§. 35. His Ecclesiae praesulibus, cura ut *doctrinae* purioris, ita *disciplinae* ultima, imo nulla fuit. Quapropter *Bernhardus*, in Libris *de Consideratione*, queritur de aegro Papa sese non sentiente, adeoque periculosius laborante; de *Pharaone* flagellis durato, de percusso et non dolente, de confluentibus ad Papam (*Eugenium III* intelligit) Simoniacis, sacrilegis concubinariis, incestuosis, de perstrepentibus in Palatio legibus, sed *Iustiniani*, non Domini, sed sordentibus circa ipsum omnibus; de nominibus et titulis turgidis sibi arrogatis; de ambitione, rapacitate inexplebili, adulatione et aliis. Et cum *coelibatus* Clericis iam ob status rationem per legem esset impositus, multi eum improbarunt, multi uagae libidini indulserunt.

§. 36. *Monachorum* interim *ordines* aucti Ecclesiae et reipublicae damno, qua γαστέρας ἀργὰς alere plures necessum habuit. Nam circa an. MCXX *Praemonstratenses*: circa annum MCLX *Carmelitae*, *Dominicani* anno MCXCIIX, item *Mendicantes* exorti sunt. Et quandoquidem hoc aeuo militia sacra seu expeditiones cruciatae, instinctu Papae susciperentur, *Ordines Militares seu equestres*, qui, ut monachi, uotis certis adstringebantur, a Papa Rom. confirmati sunt: ut *Hospitalarii*, uel *Iohannitae*, qui Xenodochium Hierosolymis iuxta sepulchrum Dominicum custodirent. Vid. HOSPIN. *de Vot. Mon. pag. 187.* *Templarii* qui prope Templum Dominicum a *Balduino II*, Rege, iis concessum Hierosolymis habitantes, peregrinos contra

tra Saracenos et Turcas defendere debebant: *Teutonici* et *Mariani*, pari cum Hospitalariis et Templariis instituto, ex Germanica nobilitate lecti, et Hierosolymis pulsi, in Borussia fideles contra barbaros defenderunt. De *Ceremoniis* et *nouis Ritibus*, ad splendorem cultus sacri pomposi adinuentis, *Magdeburgenses Cent. XII, c. 6*, agunt. De Canonizatione Sanctorum, LAVNOII *Opuscula uaria de Commentit. Lazari etc. in Prouinciam appulsu 431* legi merentur.

§. 37. *SYNODI* uel *CONCILIA*, hoc seculo, plurima indicta. Sed in quibus non tam de Religionis controuersiis, quam de iuribus imperii sacri Pontificii et inanibus ritibus, uel cleri moribus actum est: ut de iure inuestiendi Episcopos, de excommunicatione Caesarum, *Henrici V*, *Friderici I*, de Anti-Papis, de bello sacro, seu expeditionibus cruciatis, de Simoniacis, de coelibatu clericorum, et similibus. Vid. *Cent. XII Magdeburgens. cap. IX.*

§. 38. Scriptores Pontificii tria *generalia* nominant *Lateranensia*. PRIMVM, quod *Oecumen. IX* uulgo dicitur MCXXII a *Calixto*, uel *Calisto II*, Papa indictum, in quo *Henricus V*, Imperator, Ius inuestiturae, per annulum et baculum, remisit, et Papa legem de coelibatu clericorum confirmauit, atque pax inter Imperium et Sacerdotium constituta est. SECVNDVM autore *Innocentio II* an. MCXXXIX Imperante *Conrado III* habitum, quod *X Oecumen.* appellatur; Quo *Anacletus II*, ceu Pseudo-Pontifex reiectus, et *Arnaldus de Brixia*, *Petrus de Bruis*, ac horum asseclae cum doctrina sua damnati sunt. Inuestitura etiam laicorum reprobata et iurisdictio omnis in clericos et monachos secularis abrogata fuit. TERTIVM anno MCLXXIX ab *Alexandro III*, Papa, Impe-

Imperante *Friderico Barbaroſſa* indictum: ut ſchiſmamata inter Anti-Papas tollerentur, et Waldenſes et Albigenſes damnati extinguerentur. Huic interfuit ex Graecis *Nectarius*, Abbas, qui cauſam Graecorum fortiter aduerſus Latinos defendit. Vid. BARON. *ad annum MCLXXIX, num. 9, 10*, et NAT. ALEXAND. *Hiſt. Eccl. Secul. XI et XII, Part. III, Diſſ. IIX.*

§. 39. Contra P. *Abelardum* anno MCXXXIX Rex Galliae, *Ludouicus Senior*, Synodum *Sueſſionenſem* indixit, quam ſequenti anno *Ludouicus Iunior* continuauit. In hac praeſente *Bernhardo*, *Abelardi* dogmata de SS. TRINITATE examinata et reiecta fuerunt, teſte *Ottone Friſingenſi* ſupra allegato. In Synodo *Pariſienſi* an. MCXLVII, et *Rhemenſi* an. MCXLIIX errores *Gilberti Porretani* damnati ſunt.

§. 40. *Fridericus I*, Imperator, Synodum *Papienſem* et *Laudanenſem* contra *Alexandrum III*, Papam, conuocauit. Quam BARONIVS *ad an. MCLX, num. 1, 2*, improbat. Papa uero eo offenſus, anno MCLXIIX ideo Synodum *Lateranenſem* indixit, quo impudenti auſu, *Fridericum* excommunicauit.

§. 41. *PERSECVTIONES*, quas Chriſtiani in Palaeſtina hactenus a Saracenis ſuſtinuerant, per expeditiones ſacras Chriſtianorum in Oriente quidem inhibitae fuerunt: at in Occidentali Eccleſia, tyrannis Pontificia pios grauiter afflixit. In primis cum *Alexander III* in Synodo Taurinenſi an. MCLXIII, et Lateranenſi III an. MCLXXIX, Waldenſes, ſeu Albigenſes damnaſſet. Ex eo enim tempore, illi diriſſimis cruciatibus ſubiecti uel extincti ſunt, uel in Delphinatu et Pedemontio latibula quaerere neceſſum habuerunt. In his uexandis ipſe *Dominicus*, autor Ordinis Monachorum, qui *Dominicani* appellantur, operam

ſuam

ſuam Papae addixit. Vid. PERRINI *Lib. II Hiſt. Waldenſ. cap. 1, ſeqq.* et BARON. *ad. an.* MCLXXIIX, *ſeqq.* Plures perſecutiones memorant *Magdeburg. Cent. XII, cap. 3.* Qui enim hac tempeſtate, aduerſus corruptiſſimum Eccleſiae ſtatum hiſcere auſi fuerunt, uel carceres uel martyrium ſubire coacti ſunt. *Arnulphus*, Presbyter, cum Romae, ſedente *Honorio II* clericorum laſciuiam, libidinem, faſtum et auaritiam reprehenderet, noctu clericorum inſtinctu interfectus fuit, apud SIMOCATTAM *Lib. V, cap. 7.*

§. 42. *MEMORABILIA* huius ſeculi XII multa paſſim annotata leguntur: ut ſunt terrae motus, incendia, ſiccitates, eluuiones, peſtes, fames, et alia generis humani flagella, quae *Magdeburgenſes Centur. XII, cap. 13*, et HOTTINGERVS *Hiſt. Eccl. Secul. XII, Sect. I*, recenſent. Pſeudo-miracula, uiſiones, ſomnia, apparitiones ſanctorum Angelorum et animarum ſeparatarum, in quibus fingendis monachi ſolertes fuerunt, adducere hic operae pretium haut uidetur. Nec quae de ſanctis foeminis, in Calendario Romano et Legendis Pontificiis leguntur, ut de *S. Hildegarde*, moniali in dioeceſi Moguntina, *S. Margaretha*, *S. Hildegunde*, *S. Eliſabetha*, moniali, ea abbatiſſa coenobii Schoenaugienſis, et aliis, apud *Surium* et *Baronium in Martyrologio* memoratis, dicere uacat. Magis memoratu digna nobis uidentur (1) Eccleſiae Chriſtianae a Saracenis in Palaeſtina preſſae liberatio, a Chriſtianis per expeditiones ſacras facta. (2) Conuerſio Pomeranorum per *Ottonem*, Bambergenſem Epiſcopum, an. circiter MCLXXIV facta, apud CRANZ. *in Wandal. Lib. III, cap. 28*, item Liuonum, Norwegorum, Finlandorum et aliorum populorum. (3) Pontificum Rom. fraudes circa expeditiones ſacras in Orientem, uſur-

usurpatae. (4) Pontificum Rom. schismata et tyrannis in Caesares et Principes. (5) Expeditiones cruciatae ex superstitione et inconsulto zelo in Palaestinam susceptae, apud OTT. FRISING. *Lib. I, cap. 36, seqq.* (6) Crudelitas Occidentalium, seu Latinorum Christianorum in Graecos, quando ad bella sacra profecti sunt. Vid. ALLATIVM *de Consens. Lib. II, cap. 12, n. 11.* (7) Persecutio immanis in Iudaeos a *Rudolpho*, monacho quodam, in Germania et uicinia Gallia excitata, apud OTT. FRISING. *Lib. I, cap. 37.* (8) *Gratiani* Decretum, quod ipse concordiam discordantium canonum dicit, auctoritate Papae Romani in scholis tractari coeptum, apud ZIEGLER. *Differt de Orig. et Increm. Iur. Can. §. XXXVII, seqq.* (9) *Irnerius* sub initium huius aeui, non iussu Imperatoris *Lotharii*, sed rogatu *Mathildis*, *Pandectas* primum Bononiae interpretari, et glossas in eas scribere coepit. Vnde Ius Romanum postea in scholas et fora receptum. Vid. CONRING. *de Orig. Iur. German. cap. XXI.* (10) Controuersia in Graeca Ecclesia: an in Deum Muhammedis Holosphyrum, anathema uibrandum? quod Imperator *Manuel Comnenus* prohibuit ideo, quod Deus Muhammedis esset uerus Deus. Vid. NICETAM CHONIATEM *Lib. VIII de Gest. Comneni*, et HOTTING. *Hist. Eccl. cap. XII, p. 41.* (11) *Alexandri III*, Papae, literae falsae ad Regem Abyssinorum, quem BARONIVS *Presbyterum Iohannem* (uulgo Presbyterum *Iohannem*) uocat, apud IO. LVDOLPHVM *Hist. Aethiop. Lib. III, cap. 9, num. 6. seqq.* (12) Duo in Hispania celebres Philosophi et Medici, *Abensina*, (uulgo *Auicenna*) et *Auenroës* (uulgo *Auerroës*) qui *Aristotelis* Philosophiam illustrauit.

§. 43. Qui iudicandi facultate uel mediocri polleт, ex hactenus commemoratis deprehendet luctuosam Ecclesiae faciem, quam superbe regnante Antichristo Romano, ingruente cum maiori superstitione sterili Theologia Scholastica, ipsa induerat. Waldenses, qui ex hoc tenebrarum regno, praelucente DEI uerbo, egredi contendebant, diriſſimis modis habitos, primorum inter gentiles Martyrum fata sustinere oportuit. Exemplo tamen nobis illi cum aliis confessoribus ueritatis sunt, DEVM in medio Anti-Christi regno, subinde aliquot pios excitasse ac contra portas inferorum conseruasse. Contra uero Christianos, in Oriente hactenus Saracenorum uictores, ob perditissimos mores, perfidiam, latrocinia, ebrietatem, luxuriam ac infanda etiam Cleri facinora, grauiter castigasse, permittendo Regni Hierosolymitani excidium, quod barbari Christianorum hostes pararunt. Ita *iudicia DEI* certo instant, quando populus non nisi nomen Christi in ore habet, uita uero ipsum abnegat.

PERIODI IV

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT III

DE

SECVLO XIII CHRISTIANO

§. 1

Seculum, quod sequitur, *decimum tertium*, antecedente non potest dici felicius. Nam etsi magno numero in scholis surgerent, qui cum Philosophiae

phiae Aristotelicae ac iuris canonici studio, Theologiam profiterentur; illa tamen spinosis ac saepe etiam ineptis quaestiunculis inuoluta, non nisi ad contentiones faciebat, ad aedificationem in fide et uita Christiana nihil conferebat. Ius autem Canonicum iam nouis incrementis auctum, ad Pontificis Romani regnum tyrannicum stabiliendum multum contulit momenti. Vnde Imperium Romano-Germanicum Pontificum factionibus, dissidiis et Augustorum excommunicationibus misere turbatum fuit. Id quod, si breuiter ante celebriores nominauerimus Scriptores et doctores in compendio enarrabimus.

§. 2. *SCRIPTORES* in *Graecos* et *Latinos* distinguimus. Quorum illi praecipui sunt: 1) *Nicetas Acominatus, Choniates* a patria appellatus: Qui in aula Constantinopolitana muneris dignitate primum fulsit; sed capta a Latinis an. MCCIV Constantinopoli, Nicaeam in Bithynia profectus, *Annales* in Libros XXI distinctos scripsit, quos LIPSIVS *Polit. Lib. I, cap. IX, §. XII,* laudat. Conscripsit etiam *Thesaurum orthodoxae fidei Libris XXVII* constantem. 2) *Theodorus Lascaris*, iunior, *Ducas* etiam dictus, *Theodori*, seniqris, ex *Irene* filia nepos, qui patri in imperio anno MCCLV successit, et *Tract. aduersus Latinos de Processione Spiritus S.* scripsit. Vid. LABBE. *Bibl. Nou. pag. 69.* 3) *Nicephorus Blemmida*, Presbyter et Monachus, *de Processione Spiritus S.* et alia Opuscula conscripsit, quae LEO ALLATIVS allegat. 4) *Georgius, Acropolita*, appellatus, *Historiam*, seu *Chronicon Constantinopolitanum*, a capta per Latinos urbe, usque ad receptam per *Michaelem Palaeologum* scripsit. Vid. ALLAT. *de Georgiis*, et eorum *Scriptis.* 5) *Iohannes Beccus*, seu *Veccus*, Ecclesiae Magnae Constantinopo-

litanae Chartophylax, *de Vnione Ecclesiarum Veteris et Nouae Romae, de Processione Spiritus S.* et alia Opuscula composuit. Vid. ALLAT. *Graec. Orthod. Tom. I, a pag. 61 ad 379.* 6) *Gregorius Metochita*, *Becci* symmista, de similibus argumentis cum *Becco* scripsit. Vid. ALLATII *de Consens. Lib. II, cap. XV, §. IX*, COMBEFISII *Auctuar. Nou. Tom. II, pag. 1017.* 7) *Georgius Pachymeres*, celebris maxime Scriptor, *Historiam rerum Constantinopolitanarum* Libris XIII constantem reliquit. *Paraphrasis* eius in Opera *S. Dionysii Areopagitae* a Theologis quibusdam laudatur. Conf. ALLATII *Tom. I Graec. Orthod. pag. 390.*

§. 31. *Latinos Scriptores*, quorum multi sunt, in *historicos* et *dogmaticos* distinguemus. Illorum praecipui, quos nunc memorabimus, sunt (1) *Guilielmus de Seliniaco*, Episcopus Antisiodorensis, et tandem Parisiensis, autor *Summae Theologicae* an. 1500 Parisiis excusae. (2) *Franciscus Assisius*, fundator Ordinis Monachorum, ab ipso *Franciscani* appellatorum, cuius Opera Parisiis an. 1614 edita prostant. Hic Pontificiis *Vir Apostolicus* dicitur, qui Christi spiret effigiem. (3) *Antonius de Padua*, gente Lusitanus, qui autor est *Sermonum de Sanctis*, *Concordantiarum moralium in S. Biblia.* (4) *Guilielmus*, Parisiensis Episcopus, qui multos Tractatus morales compilauit Parisiis anno 1674 editos. Hunc *Gregorius IX* olim *Arcam Testamenti* appellauit. (5) *Raymundus de Pennaforti*, Barcinonensis, a *Gregorio IX Pater pauperum*, ob liberalitatem dictus, *Summam casuum*, et Libros V *Decretalium* congessit. (6) *Alexander de Hales*, gente Anglus, *Doctor irrefragabilis*, item *Doctor doctorum*, quod *Bonauenturae* et *Thomae Aquinatis* praeceptor fuisset, ac *Summam Theologiae* et *Quaestiones in Sententias*

tentias, item *Summam de Virtutibus* conscripsit. (7) *Iohannes de S. Aegidio*, Anglus, Theologus Parisiensis, ob morum doctrinam *Suauissimus Moralizator* appellatus. (8) *Aegidius Romanus*, Archi-Episcopus Bituricensis, *Doctor fundatissimus* dictus, quod in Philosophia Aristotelica et Theologia Scholastica excelleret. (9) *Edmundus*, cognomento *Virgo*, Archi-Episcopus Cantuariensis, edidit *Speculum Ecclesiae*, quod in *Tom. XXV. Biblioth. PP.* extat. (10) *Robertus Grostheat*, seu *Capito* dictus, Episcopus Lincolniensis, Librum *de Cessatione Legalium*, item *Testamentum XII Patriarcharum* scripsit. (11) *Hugo de S. Caro*, Delphinas, *Commentarios in uniuersa S. Biblia* consarcinauit. Hic primus inuentor *Concordantiarum Bibliorum* habetur. (12) *Robertus de Sorbonna*, Gallus, Collegii Parisiensis ab ipso denominati fundator, *de Conscientia*, *de Confessione*, et *Itinere Paradisi*, Opuscula conscripsit, quae in *Tom. XXV. Biblioth. PP.* leguntur.

§. 4. (13) *Reinerus Sachonus*, Placentinus, Waldensium primo promachus, deinde desertor et inquisitor haereticorum generalis factus, *Summam de Catharis et Leonistis* conscripsit. (14) *Thomas Aquinas*, Italus, illustri prosapia ortus anno MCCXXIV *Doctor Angelicus* appellatus, cuius *Opera* XVII Tomis digesta BELLARMINVS *de Script. Eccles.* recenset. (15) Praeceptor huius *Albertus Magnus*, gente Sueuus, et Episcopus Ratisbonensis fuit. *Opera* eius Philosophica et Theologica XXI Tomis distincta prostant. (16) *Bonauentura*, Italus, Episcopus Albanensis, *Thomae Aquinatis* σύγχρονος, *Doctor Seraphicus* appellatus, quem *Trithemius* his uerbis laudat: *Profundus, non uerbosus; subtilis, non curiosus; diserтus, non uanus; flammantia non inflantia uerba proferens. Opera* eius

VIII Tomis distincta prostant. (17) *Nicolaus Hanapus*, Gallus, anno MCLXX *Biblia Pauperum* (uulgo *Bonauenturae* tribuuntur,) compilauit, quae Tubingae an. 1533 edita sunt. (18) *Guilielmus Peraldus*, Archi-Episcopus Lugdunensis, *Summam de uitiis et uirtutibus* reliquit compositam. (19) *Guilielmus Durantes*, Episcopus Nimatensis, *Speculator* dictus, *Rationale diuinorum officiorum*, *Speculum et Repertorium Iuris*, item *Commentarios in Canones Concil. Lugdun.* scripsit. Huius celebrem sententiam de S. Eucharistia FORSTERVS *in Hist. Iur. Chil. Lib. III, c. 17*, recitat: *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus.* Obiit Romae an. MCCXCVI, cuius epitaphium VGHELLVS *Tom. II, Ital. Sacr.* exhibet. (20) *Innocentius III*, Pontifex Romanus, Sermones *de Tempore*, *de Sanctis*, *de Consecratione Pontificis*, *de Eleemosynis*, *de VII Sacramentis*, et alia reliquit, quae II Tomis Parisiis anno 1682 edita prostant. (21) *Innocentius IV* et *Innocentius V*, Pontifices Romani, *in V Libros Decretalium*, et *IV Libros Sententiarum* Commentarios compilarunt. (22) *Raymundus Martini*, Catalaunus, uir Ebraice, Chaldaice et Arabice doctus, ex libris Iudaeorum, *Pugionem Fidei* scripsit, quo illos propriis armis quasi confodit. Ex hoc *Petrus Galatinus Arcana Catholicae ueritatis*, quae uocat, transsumsit, quae D. IO. BENED. CARPZOVIVS *cum Introductione ad Theolog. Iud.* Lipsiae anno 1687 denuo publicauit. (23) *Iacobus de Voragine*, Archi-Episcopus Genuensis, praeter *Historiam Lombardicam de Vitis Sanctorum*, *Sermones Quadragesimales*, et *Mariale Aureum*, h. e. de laudibus *S. Mariae* compilauit. (24) *Iacobus de Vitriaco*, Gallus et Cardinalis, Volumen *Concionum de Tempore*, Librum *contra Saracenos*,

nos, et tres *de Hiſtor. Hieroſolymitana et Occidentali* reliquit Duaci anno 1595 edita. Vid. BONGARSII *de Geſt. DEI per Francos Tom. II, pag. 1047.* (25) *Henricus*, uel *Amandus Suſo*, Sueuus nobilis, *Horologium Sapientiae*, *Officium Quotidianum de aeterna Sapientia*, et alia compoſuit, quae Coloniae an 1588 edita proſtant.

§. 5. (26) *Iohannes de Pariſiis*, Theologus Pariſienſis, in *IV. Libr. Sentent.* Commentarios, et *Quodlibetica* uaria, inprimis uero Librum *de Regia et Papali Poteſtate*, conſcripſit. Vid. GOLDASTI *Tom. II Polit. Imper.* (27) *Richardus de Mediauilla*, Anglus, *Doctor Solidus* appellatus, in *Libros IV Sentent.* Commentarios, et *Quodlibetica Theologica* Quaeſtionum LXXX compilauit, Brixiae anno 1591 excuſa. (28) *Armandus de Bello uiſo*, Bononienſis, *Poſtilla in Pſalmos*, *Meditationes* et *Sermones* uarios, item *Explicationes Terminorum* difficilium tam in Philoſophia quam Theologia conſcripſit. Malunt tamen ultimum libellum aliqui *Armando* Hiſpano, qui ſequenti ſeculo floruit, tribuere.

§. 6. In *Hiſtoricorum* huius ſeculi claſſem referendi ſunt: 1) *Geruaſius Tilberienſis*, Henrici II, Regis, nepos, autor *Chronici de Imperio Roman. Gothorum et Regnis*, a *Madero* Helmſtadii anno 1673 editi. 2) *Rodericus Ximenius*, Archi-Epiſcopus Toletanus, *de Rebus Hiſpaniae Lib. IX*, item *Hiſt. Oſtro-Gothorum* ſcripſit, quae *Tom. II* Hiſpaniae illuſtrat. 3) *Arnoldus*, Abbas Lucenſis, *Helmoldi Chronicon* continuauit. 4) *Petrus de Monte*, Normannus, *Chronicon Sigeberti Gemblacenſis* ab anno MCXII ad annum MCCX continuauit, et *Lib. XII de Bello Sacro* ſcripſit. Vid. VOSS. *de Hiſt. Lat. Lib. II, cap. 55.* 5) *Conradus a Lichtenau*,

Abbas Vrsbergensis, *Chronicon a Temporibus Nini usque ad annum Christi MCCXXIX* scripsit. Vid. voss. *de Hist. Lat. Lib. II, cap. 57.* 6) *Petrus de Vineis, Friderici II*, Imperatoris, Cancellarius, Caesaris Iura aduersus Papam Rom. defendit, et *Libr. VI Epistol.* reliquit. 7) *Saxo-Grammaticus*, Praepositus Roschildensis in Dania, *Libros XVI Historiarum* terso satis stylo elaborauit. Vid. voss. *Lib. II de Histor. Lat. cap. 55.* 8) *Matthaeus Paris*, Anglus, Monachus Albanensis, *Historiam Anglicanam*, et *Vitas aliquot Sanctorum*, scelera Pontificum Rom. et Clerici non dissimulans scripsit, quae Londini anno 1684 prodiit. 9) *Vincentius Bellouacensis*, *Speculum quadruplex* compilauit, *Doctrinale*, *Historiale*, *Naturale*, et *Morale* Basileae anno 1484, et Duaci anno 1624 editum. 10) *Albertus*, Stadensis Coenobii Abbas, *Chronicon ab Orbe condito ad annum MCCLVI* conscripsit: *Possevinus* cum *Alberto Pisano* perperam confundit. Vid. voss. *de Hist. Lat. Lib. II, cap. 59.* 11) *Martinus Polonus*, Archi-Episcopus Gnesensis, *Chronicon* a nato Christo usque ad annum MCCLXXVII texuit, et *Historiam de Iohanne Papissa* euulgauit. De aliis scriptoribus huius aeui, plura *Flacius*, *Gesnerus*, *Bellarminus*, *Possevinus*, *Vossius*, *Labbe*, *Natalis Alexander* et *Guil. Caue* a nobis saepius laudatus tradunt.

§. 7. *DOCTRINA PVBLICA* olim simplicitate ueneranda, et in symbolis Ecclesiae ueteris repetita, populoque tum in catecheticis institutionibus, tum in sermonibus ac homiliis instillata, hoc aeuo quidem non plane exoleuit; sed tamen in multis articulis, per admixtas traditiones obscurata fuit; cum S. literarum studium in scholis rarescceret, in templis fabulae de Sanctis et eorum miraculis personarent: cultus uero DEI publi-

publicus superstitiosis ritibus maximam partem constaret. Nam in scholis et claustris monachorum Theologia Scholastica, in infinitas fere quaestiones partim subtiles, partim curiosas, partim friuolas discerpta regnabat, in subsidium Philosophia Aristotelica uocata: quippe cuius autoritas maior quam ipsius *S. Pauli* fieri coepit. Theologia enim Apostolica simplex, in artem uelut Sophisticam redacta erat. Vnde nulli aut pauci admodum fructus in Ecclesiam, quam Pontifices Romani in regnum sacrum commutauerant, redundare potuerunt. MATTHAEVS PARISIVS *ad annum MCCII, fol. 173*, memorabile exemplum eiusmodi Magistri seu Doctoris Scholastici refert, qui iactando sapientiam suam fatuarus est. *Albertus Magnus* quidem et discipulus eius maximus *Thomas Aquinas*, paucique alii S. Scripturam simul exponere aggressi sunt; sed quam ieiunae eorum expositiones sint, quiuis mediocriter doctus facile intelligit. Melius in Theologia sapere quidam uisi sunt, qui sterilem Scholasticorum Theologiam fastidientes, ad mysticam, ceu uocant, Theologiam dilapsi, culturam interioris hominis tradere coeperunt. Ortum enim suum hanc Theologiam inter Latinos eundem cum Scholastica habuisse IO. THOMASIVS *in Schediasm. Histor. pag. 52, seqq.* demonstrauit. Cererum uero si RZOVIO *ad annum MCCLXXXIV, Sect. XIX*, fides habenda est, *Thomae Aquinatis* Theologia diuino miraculo confirmata fuit: uoce scilicet crucifixi imagine edita: *Bene de me scripsisti Thoma: quam ergo recipies pro tanto labore mercedem?*

§. 8. *Waldenses* (qui et *Albigenses*, *Leonistae*, uel *Pauperes de Lugduno* appellantur,) puriorem Christi doctrinam professi, regnum Anti-Christianum impugna-

runt; eaque de causa haereticorum nomine passim a Papicolis traducuntur. Nam ut ex eorum confessionibus, ipsorumque Pontificiorum testimoniis constat, pleraque superstitiosa Papismi capita cum idolomania eius reiecerunt, Scripturam S. fidei Christianae normam tantum admittentes, Romamque *Babylonem* appellantes. Vnde communis Pontificiorum querela, eos *blasphemasse Romanam Ecclesiam et Clerum; tum Sacramenta et sanctos; tandem approbatas consuetudines Ecclesiasticas:* (scilicet Pontificias) *ceterum fuisse in moribus compositos et modestos, castos, pareos, qui odissent superbiam, mendacia, iuramenta et fraudes.* Vid. THVANVM *de Origine Waldensium Lib. V Histor.* et ipsum RZOVIVM, *adulatorem Pontificis Rom. impudentissimum ad annum MCCLXX.*

§. 9. Interea portentosum *Transsubstantiationis* dogma in Concilio *Lateranensi IV*, autore *Innocentio III*, Papa, anno Chr. MCCXV habito *cap. I*, publice assertum fuit: *Corpus et Sanguinem Christi in Sacramento Altaris, sub speciebus panis et uini ueraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus, et uino in sanguinem Christi, potestate diuina.* Vnde decreta superstitiosa facta pro asseruanda et adoranda *hostia* consecrata. Quam superstitionem mox excepit *festum Corporis Christi* ab *Vrbano IV*, Papa, institutum, quod *Clemens V*, anno MCCCXI, in *Concilio Viennensi* confirmauit. *Thomas* autem *Aquinas* eius officium composuit. Occasionem illi dedisse reuelationes Iulianae, uirgini Leodiensi factas et sanguinis ex hostia effluxionem, RZOVIVS in uita *Vrbani*, et alii narrant. Ex eodem *Transsubstantiationis* dogmate error de *communione sub una* enatus. Qui licet nondum lege publica sancitus esset, ab hoc tempore tamen in Ecclesia Rom. obtinuit; donec in

Concilio

Concilio Constantiensi publice firmaretur. Conf. *Hist. Transsubstantiat. Papalis* IOANNIS, *Episc. Dunelmiensis, cap. IV.*

§. 10. In annum huius aeui MCCLVI, MATTHAEVS PARISIVS *Histor. Angl. Mai. f. 806.* *Nouum seu aeternum Euangelium* refert: cuius autorem *Iohannem de Parma*, Ordinis Minorum generalem, ferunt. Alii, ut supra *cap. II, §. XXI*, commemorauimus, *Cyrillo*, Carmelitae Monacho, alii *Ioachimo*, Abbati, tribuerunt. Scopum huius Euangelii fuisse commendare nouos Praedicatores Monachos seu *Nudipedales*, quibus illud commissum fuerat, ceu longe perfectius Euangelio Christi, quod homines de spiritualibus et aeternis, maiori cum autoritate, quam factum esset ab Apostolis, institueret. Vid. NAT. ALEXAND. *Secul. XIII et XIV, Part. I, cap. III, art. IV.* Quod Papa secreto, si fieri posset, sine Fratrum scandalo comburi iussit, teste PARISIO *l. c. fol. 807.* Conf. HEIDEGGERI *Histor. Papatus Period. IV, §. CX.*

§. 11. *Graeca* Ecclesia licet multis erroribus inquinata iam esset; a *Romana* tamen in articulo de S. Eucharistia dissensit: quando nec Transsubstantiationis dogma, nec hostiae s. adorationem, nec circumgestationem, nec communionem sub una, nec usum azymorum admisit. Purgatorium etiam et coelibatum Clericorum improbauit. *Innocentius III*, Papa, quidem scriptis ad Orientalem Ecclesiam epistolis sat imperiosis, eam in societatem unionis et ad obsequium perducere laborauit. Enim uero frustra fuisse ipsius et successorum suorum molimina, Graeci scriptores ab ipso LEONE ALLATIO, in ficto suo *Consensu* adducti testantur. Conf. RZOVIVM *ad an.* MCCLXXV, *Sect. 3*, *Recessit Ecclesia* (inquit. MATTH. PARISIVS *in Histor. Mai.*

Mai. fol. 386,) Graeca a subiectione Rom. Ecclesiae propter eiusdem varias enormitates, maxime in usuris, Simoniis et aliis iniuriis intolerabilibus.

§. 12. Quod *HAERESES* huius aeui attinet, ipse *Papismus*, seu Papae Rom. *Anti-Christianismus* grauissima haeresis fuit, quem *Waldenses* iure meritoque impugnarunt. Qui propterea a Rom. Ecclesiae parasitis primo loco inter haereticos collocantur. Nam *Apostasiam* magnam per Anti-Christum iam factam esse, demonstrarunt, multisque martyriis comprobarunt. Non tamen negari potest, fuisse et inter Waldenses et Albigenses, homines absurdos et improbos, qui errores *Gnosticorum* fouerunt, quorum culpam ipsos Waldenses luere oportuit. Quando enim repurgatio Ecclesiae corruptae a probis suscepta fuit, semper improbi illis mixti bonum facinus suspectum uel exosum reddidere.

§. 13. Pontificii Scriptores inter *Haereticos* sub initium huius seculi ponunt ALMARICVM, Clericum Parisiensem et dialecticum peritum; quod constanter asseueraſſet, quemlibet Christianorum teneri credere, se esse membrum Christi, nec aliquem posse saluari, qui hoc non crederet; non minus quam si non crederet Christum esse natum et passum, uel alios fidei articulos. Vid. RZOVIVM *ad annum MCCXVI.* Negauit etiam Transsubstantiationis dogma, eodem RZOVIO *teste ad annum MCCXV, Sect. II.* At hanc ob causam, ipsi dicam haeresis scribi non debere, omnes sanioris doctrinae homines norunt. Si tamen uerum est, quod de eius discipulis traditur, eos docuisse, (1) potestatem Patris durasse, quamdiu uiguerit lex Mosaica: (2) Christum nouam legem condidisse, quae ad sua tempora pertinuisset, postea cum Sacramentis suis fuisse antiquatam: (3) Regnum Spiritus S. coepisse, quo Sacramentis

mentis non opus amplius esset, sed sola gratia interiori Spiritus S. absque ullis operibus externis, unumquemque saluari posse; *Almarici*, inquam, discipuli haereticorum numero accensendi forent. Vid. NAT. ALEX. *Sec. XIII. et XIV, cap. III, artic. II.* Quia uero hi Aristotelis Metaphysica docebantur abusi, in *Synodo Parisiensi* libri isti Metaphysici, referente *Roberto Antisiodorensi*, Monacho, in *Chronico*, flammis traditi fuerunt.

§. 14. In *Saxonia inferiori*, *Stedingorum*, (a *Steda* uel *Stada*, urbe sic denominatorum) secta exorta, quae Daemone magistro usa, horrenda dogmata sparsit. Nam blasphemabant, coelorum Dominum iniuste Luciferum ad inferos detrusisse; hunc uero gloriam suam recuperaturum esse; non agenda esse, quae DEO placeant, sed quae nolit; corpus Domini singulis annis, et quidem Paschali tempore de manu sacerdotis recipiebant quidem, sed in ore reseruantes postea in latrinam exspuebant: nocturno tempore extinctis lucernis promiscuam libidinem exercebant. Hanc sectam nefandam, *Henricus*, Brabantiae Dux, et *Florentinus*, Hollandiae Comes, iussu Papae *Gregorii IX*, sex millibus eorum caesis, deleuerunt. Vid. ALBERTI STADENSIS *Chronic. ad ann. MCCXXXIV*, et CRANZII *Metropol. Lib. VII, cap. 7 et 47.*

§. 15. In *Italia* anno circiter MCCLX, *Flagellantium* secta innotuit. Qui nudis ad umbilicum usque corporibus, cateruatim per agros et urbes, praeeuntibus sacerdotibus cruces et uexilla gestantibus, flagellis sese lacerarunt, et simul profusis lacrymis diuinam misericordiam sollicitarunt, carnificinam hanc per XXXIII dies, in honorem annorum Christi in hac uita aerumnosa exactorum, singulis diebus bis exercuerunt, tradentes simul, neminem a peccatis absolui posse, nisi secta[e]

ctae suae nomen daret. Contra illos IO. GERSON. *Tom. I. Opp.* tractatum scripsit. Vid. NATAL. ALEX. *Sec. cit. cap. III, artic. V, pag. 334.*

§. 16. His *Circumcelliones*, qui *Friderico II* imperante in Suevia fuerunt, adiunguntur. Pontificem Rom. illi haereticum, Episcopos et Praelatos Simoniacos appellarunt, multosque in Ecclesia Rom. abusus et errores notarunt. Videtur, fuisse illos Albigensium propaginem; ac adeo perperam haereticorum nomine diffamari. Vid. ALBERT. STADENS. *Chronic. ad ann. MCCXLIX.*

§. 17. Non dissimiles his fuisse puto *Fratricellos*, qui circa exitum huius seculi, autoribus *Petro de Macerata*, et *Petro de Forosempronio*, ordinis Minorum apostatis, exorti memorantur. Hi Rom. Ecclesiam carnalem, diuitiis pressam, delitiis affluentem, sceleribus maculatam cum Romano Praesule reiicientes, aliam scilicet spiritualem, frugalitate mundam, uirtute decoram, paupertate succinctam, (qualem suam esse, dixere) requirebant. Vid. ALVARVM PELAGIVM *Lib. II de Planctu Ecclesiae cap. II.* Quos *Bonifacius VIII* damnauit ceu haereticos. Illi uero in Siciliam fugientes ibidem post epulas, laeti in contemtum Ecclesiae Rom. cantarunt: *Exultet Ecclesia meretrix, exultet!* Vid. NAT. ALEX. *Sec. cit. cap. III, art. X.*

§. 18. *Arnaldus de Villa Nona*, Hispanus, in Arragonia fertur haec noua dogmata sparsisse: (1) naturam humanam a Filio DEI assumtam, DEO aequalem in omnibus fuisse: (2) animam Christi diuinitati coniunctam omnia sciuisse, quae scit Deitas; quia unam cum illa personam constituisset, scire esse dotem personae, non naturae: (3) Diabolum uniuersum populum Christianum a ueritate religionis abduxisse, et Apostasiam

ſtaſiam a planta pedis uſque ad uerticem in toto Chriſti corpore regnare; hinc omnes Chriſtianos in infernum detrudi. Multas is etiam ſuperſtitiones Eccleſiae Romanae improbauit. Vnde incertum, quid de eius haereſi ſentiendum ſit. Vid. NAT. ALEX. *Hiſtor. Eccl. Sec. XIII et XIV, Part. I, p. 385, ſeq.*

§. 19. *Beguardos*, et *Beguinos* cum *Fratricellis* communia ſapuiſſe, ex ALVARI PELAGII *de Planctu Eccleſ. Lib. II, cap. 51*, conſtat. Vnde uero illorum nomen ſit, incertum eſt. CAROLVS DV FRESNE *in Gloſſar. Tom. I, fol. 517*, docet, *Beguardorum* fuiſſe uirorum, *Beguinarum* autem foeminarum nomen. Id certum eſt, ex *Franciſcanorum* Ordine eos prodiiſſe, et a *Clemente V*, Papa, in *Concilio Viennenſi* damnatos fuiſſe. Tribuuntur illis hi praecipue errores, 1) quod homo in hac uita talem perfectionis gradum conſequi poſſit, ut reddatur penitus impeccabilis: 2) quod ieiunare non oporteat hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis dictae aſſecutus eſſet; quia tunc ſenſualitas ita perfecte ſpiritui et rationi foret ſubiecta, ut homo poſſet libere corpori concedere, quicquid placeat: 3) quod homo in hoc perfectionis gradu conſtitutus, non ſit humanae obedientiae aut praeceptis Eccleſiae ſubiectus: Quia, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* 4) Quod homo in hac uita poſſit finalem beatitudinem, ut in altera beata uita, obtinere. Vid. NAT. ALEX. *Sec. cit. cap. III, art. II, pag. 381, ſeqq.* et DV FRESNE *Gloſſar. l. c.* NATAL. *Sec. cit. pag. 361*, aſſerit, eos *Petrum Ioh. Oliui* Ordin. FF. Minorit. profeſſorem, ceu Patriarcham, ſecutos eſſe.

§. 20. *Guilielmi de S. Amore* Liber *de Periculis nouiſſimorum Temporum*, quo Praedicatorum et Minorum ordines perſtringit, etiam turbas excitauit; quia

Mona-

Monachos mendicantes reprehenderet, tum quod laborare nolint, tum quod hypocritae sint, quaerentes perfectionem in mendicando: item quod non uocati, omittere praedicationem debeant. Taxabat etiam Romanam Ecclesiam, quod tot mendicantium ordines toleraret. Ideo *Alexander IV*, Papa, librum *Guilielmi* damnauit. Vid. NAT. ALEX. *l. c. art. VII, pag. 334, seq.* et D. KORTHOLDI *Hist. Eccl. Sec. XIII, pag. 573, seq.*

§. 21. *DISCIPLINAM* Cleri corruptissimam fuisse, omnes fere huius aeui historiae scriptores testantur; cum accusant in electionibus Episcoporum Simoniam, fraudes; in disciplina carnificinam et excommunicationes ipsorum Imperatorum iniustas; cleri auaritiam; malas artes in colligendis uel rapiendis opibus; luxum in uita; ambitionem in affectandis dignitatibus; nundinationes indulgentiarum, concubinatum, scortationes et adulteria ob coelibatus legem. *Prostibula publica*, inquit DVRANDVS, Mimatensis Episcopus, *(in Tr. de Modo celebrandi Concilii General.) palam habita prope Ecclesias, prope palatium Domini Papae, et prope domos Praelatorum.* Graphice MATTH. PARISIVS corruptum Ecclesiae statum *in Historia Maiori* huius, multis in locis delineat. HVGONIS etiam, scriptoris huius seculi, glossa non ignota est: *Diabolum olim duas habuisse filias, auaritiam et luxuriam: auaritiam elocasse Iudaeis, luxuriam ethnicis. Ceterum iam Clericos utrisque illorum suas sponsas eripuisse, solosque uelle sibi proprias utramque habere.* Et super *Ps. LXXVII* scribit: *Multi Clerici sunt progenies uiperarum. Foetus enim interficit matrem, quando nascitur.*

§. 22.

§. 22. *CONCILIA et SYNODI* quidem multae per Italiam, Galliam, Germaniam et Britanniam habitae, quae *Tom. XI, Part. I*, memorantur; sed in illis parum aut nihil de doctrina Christi, et disciplina Ecclesiae sanctiori reducenda actum. De Albigensibus uero exstirpandis, de expeditionibus cruciatis, de dominio et imperio Papae, de excommunicandis Principibus ipsi inobedientibus, de Monachorum nouis ordinibus stabiliendis, et de idolomaniis firmandis, decreta leguntur facta. Inter illa *tria* a Romanensibus *Oecumenica* numerantur uelut praecipua, *Lateranense IV*, *Lugdunense I*, et *Lugdunense II*.

§. 23. *Lateranense IV Romae* in Laterano *Innocentius III*, Papa, an. MCCXV conuocauit, ut Hierosolyma a Saracenorum iugo iterum liberaretur. Si uero quis acta et eorum euentum attendit, alias subfuisse causas patet. Quarum praecipuae, Pontificis opes et tyrannidem stabilire ac Waldenses exstirpare: deinde portentosum *Transsubstantiationis* dogma et confessionem auricularem publica uelut lege sancire. Conuenerant CCCCXII Episcopi praeter Patriarchas Graecos, inter quos duo, Constantinopolitanus et Hierosolymitanus praecipui. Primates uero et Metropolitani LXXVII, Abbates et Priores ultra octingentos: Procuratores quoque Archi-Episcoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum et Capitulorum absentium tantus non fuit numerus. Legatorum uero Imperatoris Constantinopolitani, Regis Siciliae, in Rom. Imperatorem electi, Regis Franciae, Regis Angliae, Hungariae, Hierosolymitani, Cypri, Arragonum, nec non aliorum principum et magnarum ciuitatum ingens adfuit multitudo. His omnibus congregatis, praesidente Papa LX capitula fuerunt recitata, quae, ut *Matthaeus*

Parisius loquitur, aliis placabilia, aliis uidebantur onerosa. Vid. MATTH. PARISII *Hist. Angl. Maior. ad annum* MCCXV, *f. m. 228, seqq.* *Decreta* huius Concilii maximam partem *quinque Libris Decretalium Iuris Canonici* inserta a Pontifice sine praeuia Concilii deliberatione profecta esse, *Matthaeus Parisius* haud obscure testatur. Integra illa extant *Tom. I, Opp. Innocentii III.* PLATINA in huius uita scribit: *Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam aperte potuit.* *Capite* tamen *XXI* decretum: *Vt omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata confiteatur, idque faciat solus et fideliter, idque saltem semel in anno, et proprio sacerdoti, ac postea iniunctam sibi poenitentiam studeat pro uiribus adimplere.*

§. 24. *Lugdunense I*, quod uulgo *Oecumenicum XIII* appellatur, *Innocentius IV*, Papa, anno MCCXLV, reclamante licet Imperatore, *Friderico II*, indixit: ut Imperatorem tyrannidi suae obnitentem, Imperii dignitate priuaret. Quanquam Papa religionem et Ecclesiae curam in *Epistola conuocatoria* apud MATTH. PARISIVM, *fol. 376*, praetenderet. Confluxerant Archi-Episcopi et Episcopi praeter Cardinales CXL, et duo Patriarchae, Constantinopolitanus et Antiochenus ex Graecis, Imperator quoque Constantinopolitanus, et aliorum Principum legati. In hoc Papa Imperatorem diris deuouit: Expeditiones cruciatas in Palaestinam, et alia *Capitulis XVII* decreuit. Vid. MATTH. PARISII *Histor. Maior. Angl. ad annum* MCCXLV, *fol. 576, seqq.* De constitutione circa festa per annum celebranda ibidem facta D. CHEMNITIVS *Exam. Concil. Trident. fol. 815*, agit.

§. 25.

§. 25. *Lugdunense II Gregorius X*, Papa, anno MCCLXXIV ideo celebrauit, ut postulante *Michaële Palaeologo*, inuasore Imperii Constantinopolitani, concordiam inter Graecam et Romanam Ecclesiam reduceret. Episcopos circiter quingentos conuenisse, et praesentibus *Iacobo*, Arragonum Rege, legatisque *Michaëlis*, Imperatoris, cum Graecis *Georgio Acropolita*, *Theophane*, et aliis de unione dicta deliberasse, tandemque cum minis, tum blanditiis, a *Michaële* et Graeculis obtinuisse, ut hi Romanae Ecclesiae obedientiam iurarent, ac dogma de processione Spiritus S. ex *Patre Filio*que, tantopere hactenus controuersum mitterent. Sed Graeci illam transactionem, se inconsultis, et inuitis factam, repudiarunt. Vnde noui in Ecclesia Graeca motus. De quibus uide PACHYMEREM *Lib. VI*, et NICEPHORVM GREGORAM *Lib. V*, *f. m. m*, ubi *Mich. Palaeologum* hac de causa excusat atque laudat. ALLATIVS uero frustra est, qui perpetuum inde utriusque Ecclesiae consensum *Lib. II*, *cap. 15*, euincere laborat. Conf. D. KORTHOLDI *Hist. Eccl. Sec. XIII*, *p. 540*, *seqq.* et NAT. ALEXAND. *Hist. Eccl. Sec. XIV*, *Part. III*, *Dissert. VII.* De iure Regaliae, quae hic acta, idem *Part. III*, *Dissert. VIII*, *art. V*, disputat.

§. 26. *REGIMEN ECCLESIAE*, quod in tyrannidem absolutissimam degenerauerat, penes solum pontificem Rom. stetisse, supra iam multis argumentis confirmatum fuit. Itaque ut illo Pontifices hoc aeuo perfuncti sint, paucis memorabimus. *Honorius IV*, (aliis III,) ius Pontificum nouis additis canonibus seu decretis auxit, idque obseruare et in scholis docere iussit. Vid. *Lib. V*, *Decretal. Tit. XXXIII*, *de Priuil. et Excess. cap. super specula*, *ne Cleric. uel*

Monach. Gregorius IX, Fridericum II, Imper. excommunicauit, et extinctis candelis ipsum *Iuda* et *Nerone* peiorem declarauit. Vid. MATTH. PARIS. *ad an.* MCCXXIIX, CRANZ. METROP. *Lib. VII, cap. 52, fol. 291, seqq.* et ALBERT. STADENS. *p. m. 37. Innocentius IV*, tyrannidis Pontificiae asserror acerrimus, *Fridericum II*, Imper. iam diris deuotum, eriam Imperio exuere molitus est, cuius sententia in eum lata extat *cap. ad Apostol. de Sentent. et re iudic. in VI, Decret. Lib. XI.* Atheismus quidem huic Friderico impingitur; sed *P. de Vineis Lib. I, Epist. XXXII*, ab hoc scelere eum purgat. *Henricum*, Reg. Angliae suum uasallum dixit, apud MATTHAEVM PARISIVM ad an. MCCLIII, Regi Galliae *Ludouico* titulum *Christianissimi* confirmauit, quod expeditionis sacrae caput constitutus esset. Successor illius *Alexander IV Manfredum*, Siciliae Regem, tanquam Ecclesiae spoliatorem excommunicat, et *Boleslaum* Reg. Poloniae, eodem fulmine percussum turbis inuoluit regni. Vid. PLATIN. *in eius uit.* et CROMERVM *Lib. IX, pag. 235. Clemens IV*, ex milite Pontifex, *Carolum* Andegauensem aduersus *Manfredum Friderici II*, Imp. filium naturalem, excitauit: et hoc interfecto *Conradinum*, cui regnum debebatur, excommunicauit, ac in praelio captum capite plecti suasit. Vid. COLLENVTII *Hist. Neapolit. Lib. IV*, et AVENTIN. *fol. 549.* Controuersiam de imperio Germanico tempore *Interregni* ad se pertinere contendit. *Gregorius X* cum sedes Romana ultra duos annos uacasset, electus pontifex, in *Concilio Lugdunensi*, bellum sacrum contra Saracenos imperauit, plenariam remissionem peccatorum omnibus crucem assumentibus in hoc bello promittens. Vid. BLONDVM *Lib. II Decad. VIII.* Conf. FR.

CAR-

CARRIERE *Digest. Chronol. Pap. pag. 66.* Autor is etiam *Conclauis*, quo Pontifices eligi debeant, habetur. *Bonifacius VIII*, qui *intrauit ut vulpes, vixit* (regnauit) *ut leo, mortuus est ut canis*, uel iuxta uersificatorem ueterum:

Vulpes intrauit, tanquam leo pontificauit,
Exiit ut canis de diuite factus inanis.

Vid. LANGII *Chronic. Citiz. ad an.* MCCXCIV, et MATTH. WESTMONAST. *pag.* 447. Propter auri sacram famem, *Iubilaeum* ceu festum seculare celebrandum instituit. Vid. AVENTIN. *Lib. VII. Volaterran. Lib. XXII.* Vno die in habitu Pontificali, altero imperatorio se conspiciendum praebuit, dicendo: *Ecce duo gladii hic sunt.* Vid. CRANZII *Saxon. Lib. VI, cap. 36. In Extrauag. comm. Lib. I de Maior. et Obed. cap. I, se dominum mundi* iactauit. Conf. NAT. ALEX. *Secul. XIII et XIV, part. I, pag. 142, seqq.* Fastum stolidum homini exprobrauit *Philippus*, Galliae Rex, epistola ad eum data: *Philippus, DEI gratia, Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam siue nullam: Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarum et praebendarum collationem ad nos iure regni pertinere, secus autem credentes fatuos et dementes reputamus.* Vid. STERON. *Annal. pag.* 404, et BOETIVM EPONEM *de Iure Princip. in Benefic. Eccles. Lib. I, cap. 1.* Plura ex Scriptoribus uitarum Pontificum Rom. hic annotare non uacat; cum haec speciminis loco de tyrannide Pontificum sufficere queant. Conf. HEIDEGGERI *Hist. Papatus Period. IV, §. CI, seqq.*

§. 27. De iis, quae ad Ecclesiae *Curam* aut *Statum* uel *Ceremonias* propius spectare uidentur, pauca ex

iisdem autoribus adhuc adducemus. Sub Pontificatu *Innocentii III*, Papae, *Dominicus* Calagurensis Hispanus, et *Franciscus Assisius* Italus, auctores nouorum ordinum monasticorum fuere: Ab *illo Praedicatores*, die Prediger-Mönche, ab *hoc* Minoritae die Barfüsser-Mönche, ortum trahunt, uid. POLYDOR. *Virgil. de Inuent. Lib. VII, cap. 4*, VSSER. *de Eccles. Succes. cap. 9, num. 9, seqq.* *Honorius IV*, Papa, horum ordines confirmauit. Vid. PLATIN. in eius *uita*. Inter hos aemulatio sanctitatis affectatae fuit: Dominicanorum ordo praeualuit autoritate. Nam *Dominico* non tantum munus *praedicandi* aduersus Waldenses, sed et *inquisitionis*, quod sanctum uocant, *officium* commissum fuit, quo, ex eo tempore, in Hispania et Italia perfungi soliti sunt. *Franciscus* autem sanctitatis laudem obtinuit, quod Christi crucifixi stigmata ipsi per miraculum impressa, fabulantur: Vnde per blasphemiam *Christus Typicus* appellatus est. Dominicus autor *Rosarii*, siue *Psalterii B. Virginis* habetur, quo salutatio Angelica CL uicibus ad imitationem Psalmorum *Dauidis* repetitur. De cuius uirtute mira narrant monachi. *Gregorius IX*; hos nouae superstitionis patriarchas inter Diuos retulit, teste ALBERTO STADENSI *in Chron.* et CRANZIO *in Sax. Lib. IV*, et METROPOL. *Lib. VII, cap. 45.* HOTTING. *Histor. Eccles. cap. XIII, pag. 462.* *Antonius de Padua*, Vlyssiponensis, frater ordinis Minorum, qui Patauii Theologiam professus est, a miraculis celebratur patratis, quae FRANC. MENDOZA *Virid. Lib. VI, Orat. XI et XII*, narrat. *Alexander IV*, Papa, excommunicationis fulmine terret, qui Dominici et Franciscí ordines, libellis famosis impeterent. De miraculis *Francisci* et *Dominici*, uid. HOTTINGERI Ὁδηγὸν, *Part. II, pag. 266.*

l. VIII. 2. legatur, quod concilium 1311 papa Clemente V. §. 28. Viennense habitum abrogare voluerit, ne papae se haeredes facerent a rebus episcoporum relictis. Sed de reliquo, hunc abusum jamjam obtinuisse ad finem sec. XIII.

Greg. XI. schrieb dem Erzbischof v. Compostelle, er solle den König Ferdinand ermahnen, den Juden mehr Schutz zu leisten; d. h. zu einer derselben Zeit, wo er, laut Rayn. in Frankreich, wie sie verfolgt und drückt gelitten hatten mit ihnen verfahren sollen. Die Briefe dieses Jahrs bei Raynaldo ad a. 1383.

§. 28. *Librum conformitatum*, in quo conformitates uitae *S. Franciſci*, ad uitam IESV CHRISTI Domini noſtri blaſpheme conferuntur, *Gregorius IX*, ſub poena haereſeos adprobandum declarat. Prodiit ille Bononiae anno 1589. *Innocentius IV* ſtatuit, *honeſtandi ordinis gratia*, ut cardinales, *rubro galero et equo phalerato* uterentur. Vid. VOLATERAN. *Lib. XXII*, POLYDOR. VIRGIL. *de Inuent. Lib. IV*, *cap. 9*, et RZOVIVM *ad annum* MCCXCVII, *num. 9*. Sed *Coeleſtinus V* poſtea conſtituit, ne deinceps Papa uel Cardinales ueherentur equis et mulis; ſed tantum aſinis, dicens: *IESVS CHRISTVS, filius DEI, humilis aſini dorſo uectus eſt, cuius nos imitatores eſſe debemus*, teſte LANGIO *in Chronic. Citiz. p. 817*. *Feſtum etiam natiuitatis S. Mariae* quotannis celebrandum inſtituiſſe fertur apud *Platinam*. Quanquam *Baronius in Martyrologio Rom. d. 8. Sept.* quo tempore inſtitutum ſit, ſe nondum reperiſſe fatetur. *Vrbanus IV* ſuaſu *Thomae Aquinatis Feſtum corporis Chriſti* inſtituit, quod *Clemens V* ex quorundam ſanctulorum reuelatione an. MCCCXI in Concilio *Viennenſi* confirmauit. Vid. ONVPHR. PANVINIVM *ad Platin. pag. 203*. Purgatorium et Transſubſtantiationis dogma, fictis uiſionibus et apparitionibus animarum ſeparatarum, comprobare non erubuerunt. Vid. HOTTIN. *Hiſt. Sacr. cap. XIII, pag. 447, ſeqq.* Effigies uultus Domini, quae *Veronica* dicitur, eiusque ſudarium ſuperſtitionem Romanam auxit, apud HOTTINGERVM *l. c. pag. 456*. Confeſſio auricularis etiam ficto miraculo apud HOTTINGERVM *Hiſt. Sacr. cap. XIII, pag. 465*, comprobata legitur. Ibidem aquae luſtralis uirtus contra diabolum lepida fabella adſtruitur. De reliquiarum inuentione RZOVIVS narrat *ad annum Chriſti* MCCXIX,

Sect. 29, ad an. MCCXX, *Sect. 21,* nec non *ad annum* MCCLVII, *Sect. 18.* item *ad annum* MCCLXIII, *Sect. 17,* MCCLXIX, *Sect. 10,* et *an.* MCCLXXIX, *Sect. 16,* HOTTING. *l. c. pag. 479.*

§. 29. *PERSECVTIONES* hoc aeuo *Waldenſes* ſeu *Albigenſes* inprimis, diriſſimas ſuſtinuere, quae utramque fere paginam in huius ſeculi hiſtoriae parte faciunt. Vid. KORTHOLDI *Hiſt. Eccleſ. Secul. XIII, pag. 501,* ideo HVGO *in Poſtill. ſuper cap. II Iohannis,* BERNHARDI conquerentis uerba, ad haec tempora aptat: *Videtur, bone Ieſu, contra te coniuraſſe uniuerſitas Chriſtianorum, et illi in perſecutione tua primi ſunt, qui in Eccleſia tua uidentur primatum tenere et gerere principatum.* Ipſis *Latinis* in expeditionibus cruciatis in Orientem ſuſceptis, NICETAS CHONIATES *pag. 270, ſeqq.* exprobrat uaria crudelitatis genera, quibus in *Byzantinos* Chriſtianos graſſati ſunt; cum interim *Saraceni* et *Turcae* in Oriente Chriſtianos affligerent, multisque in locis exſtirparent Eccleſiam. *Mamaluchi* etiam Aegyptum inuadentes, circa medium huius ſeculi Chriſtianos uel ad apoſtaſiam compulerunt, uel miſere trucidarunt. *Tartari* ex Scythia prodeuntes, armis prolatis in Europam, Chriſtianorum calamitatem auxere. Vid. CRANZ. METROPOL. *Lib. IIX, cap. 9,* et CROMERVM *Lib. IIX et IX.* In Germania Pontifices Rom. interregni magni praeſertim tempore, omnia turbarunt. Vid. LEHMANNI *Chronic. Spirenſ. Lib. V, cap. 95.*

§. 30. *MEMORABILIA,* ſi fabulas de miraculis a BZOVIO *in Annalibus* huius aeui conſarcinatas referre, pretium operae foret, tot ac tanta eſſent, ut compendio comprehendi nequeant. Nos inſtituti noſtri memores, uel tribus uerbis tantum portiora deſignabimus:

gnabimus : (1) Francorum Imperii finis in Oriente, post expugnatam anno MCCIV, a *Balduino*, Comite Flandrorum, Constantinopolin: id enim *Michaël Palaeologus Comnenus* an. MCCLXI recuperauit. (2) Expeditiones cruciatae, classicum canentibus Romanis Papis, in Orientem crebro nullo Christianitatis fructu susceptae : Similes expeditiones etiam Waldenses et Albigenses afflixerunt. (3) Officium Inquisitionis contra Albigenses ab *Innocentio III* institutum et a successoribus eius confirmatum. In quo sola delatio uel accusatio haereticum fecit, qui nulla concessa defensione, ad supplicium inprimis uiuicomburium rapiebatur. Vid. *Directorium inquisitionis* a FRANCISC. PEGNA *editum* et BZOV. ad an. MCCXXXV. (4) Vesperae Siculae, quibus Galli tota Sicilia an. MCCLXXXII, secunda Paschatis feria, signo campanae circa uesperam dato, horrenda internecione deleti sunt. (5) Iudaeorum tota Gallia electio, edicto *Ludouici IX*, et *Philippi Pulchri* facta. (6) Fabula de Iudaeo, inde a tempore passionis Christi uagabundo, et expectante Christi aduentum ad iudicium, cui nomen *Ioseph. apud* MATTHAEVM PARISIVM *ad annum* MCCXXIIX, *f. m. 296.* (7) Iubilaeum a *Bonifacio VIII* primum anno MCCC publicatum, quo plenaria indulgentia omnium peccatorum uisitaturis limina SS. Apostolorum *Petri* et *Pauli*, centesimo quoque anno promittitur. (8) Conuersio Prussorum gentilium, et eorum per Crucigeros equites defensio. Vid. CRANZ. *Wandaliam Lib. VII, cap. 21.* (9) Translatio aediculae B. Virginis, in qua Filium DEI concepit, per Angelos ex urbe Nazareth primum an. MCCXCI in Dalmatiam, et inde an. MCCXCIV in Picenum, prouinciam Italicam, ac tandem ex colle, in publicam agri uiam collatae. Fabulam hanc

BERNEGGERVS *in Tr. de Idolo Lauretano* examinat. (10) Philosophia Aristotelica hoc seculo in scholis regnare coepit. Vid. LAVNOII *de var. Aristot. Fortuna c. IV, seqq.* (11) Aerae Alphonsinae in Hispania an. MCCLII, cuius autor *Alphonsus X*, initium. (12) *Ottomannicae* apud Turcas familiae regnatricis primordia, in annum circiter MCCLXXII incidentia: quo tempore etiam *Rudolphus Habsburgicus* Imperator domum Austriacam regnatricem fundare coepit. (13) Epistola coelo an. MCC delapsa Hierosolymis, qua sanctificatio diei Dominicae praecepta, apud MATTH. PARISIVM *Hist. Angl. f. m. 168.* Sed *Raynaldus ad annum* MCCI, *num. 34*, fabulam esse probat.

§. 31. In huius aeui historia foedam ac corruptissimam Ecclesiae faciem uelut summatim obseruare licet; quando nihil fere ex antiquae Ecclesiae Apostolicae simplicitate ac puritate reliquum esset, praeter symbola fidei Christianae, et Sacramenta superstitiosis ritibus contaminata. Doctrina enim in scholis, philosophicis tricis et quaestionibus inuoluta fuit; cultus DEI publicus foeda superstitione et Idolomania inquinatus; disciplina per mores Cleri corruptissimos neglecta iacuit; dominatus uero tyrannicus Pontificum Romanorum omnia turbauit, atque dum Imperatores, Reges ac Principes Christianos ad bella sacra incitarunt, praecipua interea eorum cura fuit, potentiam tyrannicam iis absentibus extendere. Paucis: *Regnum tenebrarum fuit*; in quo pars maior hominum Anti-Christo magis, quam Christo seruire coacta est. Miseri Waldenses, qui christianam simplicitatem reducere, iugumque Babelicum excutere laborabant, paria cum Martyribus olim sub Gentilismo, fata experi-

ri

ri neceſſum habuerunt; cum tempus liberationis, ad peccata hominum differre DEO uiſum eſſet.

PERIODI IV

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT IV

DE

SECVLO XIV CHRISTIANO

§. 1

Non laetiora hoc, quod ordimur, ſeculo tempora fluxerunt. Nam in *Oriente* inualeſcens Turcarum tyrannis Eccleſiam fere oppreſſit: in *Occidente* ſimul cum tyrannide Pontificia ſubinde latius graſſante, idolomania, ſuperſtitiones in Eccleſia, et Scholaſticorum ac Monachorum barbaries in clauſtris et Scholis regnarunt. Inter quos tamen ipſos, graues contentiones cum de perfectione uitae, tum de placitis Scholaſticis exortae ſunt. Sed *Ioh. Wicleſus* non dubitauit Eccleſiae Romanae foedos errores cum, uoce, tum, ſcriptis publicis impugnare, Papamque ipſum Anti-Chriſtum appellare. Vnde qui cum illo per Angliam, Germaniam et Bohemiam poſt medium huius ſeculi fecere, *Wicleſitae* uocati ſunt. Quorum nomen in curia Romana execrabile fuit.

§. 2. *Scriptorum* autem ac doctorum Scholaſticorum magnus quidem numerus eſt, ſed qui in ſectas disgregati magis de nugis ſcholaſticis, quam de ſolida fidei doctrina uitaeque Chriſtianae regulis, inter ſe concertarunt.

tarunt. Horum, qui celebriores extiterunt, nomina paucis memorabimus.

§. 3. Apud *Graecos* claruerunt (1) *Theodorus Metochita*, cui *Compendium Historiae Romanae* a *Meursio editum* uulgo tribuitur, qui et *Historiae Sacrae Libros II*, et *Hist. Constantinopol. Librum unicum* apud se MSC. extare testatur. (2) *Nicephorus Callistus*, *Monachus*, *Historiam Ecclesiasticam* ex *Eusebii*, *Socratis*, *Sozomeni*, *Theodoreti*, *Euagrii*, aliorumque monumentis conscripsit. Quam *Is. Casaubonus* ob fabulas aniles admixtas parui aestimat; licet Pontificiis uulgo pluris fiat. (3) *Barlaam*, gente quidem Calaber, ordinis S. Basilii monachus, sed qui ad Graecos transiens Primatum Papae et Latinos acriter impugnauit. Vid. L. ALLAT. *de Consens. Lib. II, cap. 17.* Deinde Graecis monachis, qui *Hesygastae* appellantur, dicam haeresis scripsit. (4) *Matthaeus Hieromonachus*, Blastares dictus, *Syntagma canonum* conscripsit, quod *cum notis Beueregii*, *in Pandectis Canonum* anno 1672 prodiit. (5) *Iohannes Contacucenus*, ex nobili Byzantino an. MCCCXLI, Imperator Constantinopolitanus, et postea ex Imperatore Monachus factus, *Hist. Byzantinam cum notis Pontani* editam Parisiis an. 1645 reliquit. (6) *Nicephorus Gregoras*, seu potius *Gregorae* filius *Historiae Byzant.* Libros XI scripsit, de qua *Lipsii Politic. Lib. I, c. IX, §. XII*, iudicium extat. (7) *Gregorius Palamas*, Episc. Thessalonicensis duos λόγους ἀποδεικτικοὺς *de Processs. Spir. S.* scripsit, apud ALLAT. *de Cons. Lib. II, cap. XVI, §. IV, qui* σύγχρονον eius DEMETRIVM CYDONVM *Lib. cit. cap. XIIX, §. II*, memorat autorem Libri *de Dogmatibus Gregorii Palamae.* (8) *Nilus*, *Metropolita Rhodius*, de *sanctis Synodis oecumenicis Enarrationem* synopticam reliquit, quae *Tom. II Biblioth.*

Biblioth. Iur. Canon. Iuſtelli pag. 1155, extat. (9) *Georgius Codinus*, Curopalata, Librum *de Officiis Eccleſiae* et *Aulae Conſtantinopolitanae cum notis Gretſeri* Pariſiis anno 1625 editum reliquit. (10) *Maximus Planudes*, Monachus Graecus, *de Proceſſione Spir. S.* Opuſculum ſcripſit, apud ALLATIVM *Diſſ. II de Libris Eccleſ. Graec.* (11) *Manuel Chryſoloras*, nobilis Byzantinus, Epiſtolas *de Comparatione V. et N. Romae Codino* ſubiunctas ſcripſit: item *Quaeſtiones Grammaticales.* Hic poſt DCC annorum barbariem in Italia ſtudium Graecarum literarum excitauit.

§. 4. Inter *Latinos* Scriptores DVNS SCOTVS, Doctor *ſubtilis* appellatus, ordinis Minorum monachus, circa initium huius ſeculi, *Theologiam Scholaſticam* iuxta ductum Lombardi, et Philoſophiam Ariſtotelicam in Schola Pariſienſi profeſſus, primum de *immaculata B. Virginis conceptione* dogma defendit, et *Thomae Aquinatis* ac *Bonauenturae* placita ad limam reuocauit. Hinc *Thomiſtarum et Scotiſtarum* nomina, quae ſcholas poſtea iurgiis impleuerunt. Opera Scoti, *Lucas Waldingus* in II Tomos digeſta Lugduni an. 1639 publicauit. Conf. NATAL. ALEX. *Hiſt. Eccleſ. Sec. XIV, part. I, pag. 586.*

§. 5. FRANCISCVS MAYRONIVS, gente Gallus, diſcipulus *Scoti*, Doctor *acutus*, aliis *illuminatus* dictus, *Quodlibetica*, *Formalitates*, et *in IV Libros Sententiarum Commentarios* ſcripſit. Opera eius Venetiis aliquoties impreſſa ſunt. Ipſe morem in Sorbonna inuexit, quo ſingulis diebus Veneris, aeſtiuo tempore ab ortu ſolis ad occaſum ſine ulla requie, ſine ullo paſtu et potu, ſine ullo praeſidis auxilio, ab uno reſpondente contra multos opponentes diſputatur. Vid. CAVE *Hiſt. Lit. Append. pag. 15.*

§. 6.

§. 6. NICOLAVS DE LYRA, siue LYRANVS, Anglus, uel potius Normannus, ex Iudaeo Christianus, Doctor *planus* et *utilis* appellatus, *Postilla perpetua*, seu *Breuia Commentaria in uniuersa Biblia* scripsit, quae *Bibliis Glossatis* Duaci anno 1617, et Antwerpiae anno 1634, inserta sunt. Vid. BELLARMIN. *de Script. Eccl. p. 369.* De hoc uulgo dicitur: *Si Lyra non lyrasset, totus mundus deliraſſet.* Vel ut Pontificii aiunt: *Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset.* Ipse *Lutherus* in *cap. I. Genes.* eum inter optimos Scripturae interpretes ponit.

§. 7. PETRVS AVREOLVS, Gallus, Doctor *Facundus* appellatus, in Schola Parisiensi docens *in IV Libros Sententiarum Commentarios*, *Quodlibetica*, *Breuiarium Bibliorum*, et *Tract. de Immaculata Conceptione B. Virginis*, et alia, conscripsit. Σύγχρονος eius fuit IOANNES BASSOLIS, Scotus, Doctor *ordinatissimus* dictus, *Duns Scoti* discipulus, ob ingenium praeceptori tanti aestimatus, ut ipso praesente in auditorio diceret: *En adiutorium!* in *Libros IV Sententiarum* etiam *Commentarios* compilauit.

§. 8. DVRANDVS A S. PORTIANO, Gallus, Episcopus Meldensis, Doctor *Resolutissimus* appellatus, praeter *Commentarios in IV Libros Sententiarum*, Librum *de Origine Iurisdictionum* reliquit, quem *Bellarminus* laudat: quia Ecclesiasticam Papae Iurisdictionem defendit.

§. 9. Celebrior est GVILIELMVS OCHAM, siue OCCAM, Anglus, Doctor *singularis* et *uenerabilis Inceptor* dictus, quem IAC. GADDIVS *de Script. non Eccles. Tom. II. pag. 122*, inter *maxima et portentosa ingenia* refert. Hic primum *Duns Scoti* discipulus, sed postea acerrimus eius antagonista, in Parisiensi Schola docuit,

docuit, et *Philippi Pulchri*, Galliae Regis, partes aduersus *Bonifacium*, Papam, tutatus est. Interfuit conuentui Minoritarum Perusii an. MCCCXXII habito: quo unanimi Franciscanorum suffragio definitum est: *Christum et Apostolos nihil aut proprium aut in communi possedisse*, asserere haereticum non esse, prout credi uoluit *Iohannes*, Papa. Pro *Ludouico IV*, Bauaro Imper. aduersus Pontificem etiam calamum strinxit, docens Imperatorem nulli, nisi DEO, in temporalibus subesse. Vox eius ad Imperatorem fuit: *Tu me defende gladio; et ego te defendam calamo*, AVENTIN. *Lib. VII, fol. 609.* Opera eius multa WALDINGVS *de Script. Ordin. Minor. pag. 155*, recenset. Ab hoc secta inter Scholasticos celebris, *Occamistarum* et *Nominalium*, nomen habet. Conf. *Catal. Test. Ver. Lib. XIIX, fol. 1718.*

§. 10. Huic subiungimus MARSILIVM PATAVINVM, Philosophum insignem, ac *Ludouici IV*, Imperatoris, consiliarium, qui *Defensorem Pacis*, et *de Translatione Imperii* scripsit. Inuisus ualde Pontificiis scriptor; quia Pontificem Rom. Imperatori subiicit, ac curiae Romanae fastum et luxuriam reprehendit. Opera eius in *Tom. II* GOLDASTI *de Monarch.* et etiam seorsim extant. Vid. FLAC. *Catal. Test. Verit. Lib. XIIX, fol. 1758.*

§. 11. IOANNES WICLEFVS, Anglus, Philosophus et Theologus insignis, uitaeque sanctimonia praestans: qui in Oxoniensi Academia Theologiam docens, anno MCCCLX curiae Romanae uitia inolita falsaque Ecclesiae dogmata oppugnauit. Quo ipso apud bonos gratiam iniit, cleri autem inuidiam incurrit. Innumeris fere Latino ac uulgari idiomate Anglicano *Opuscula* scripsisse dicitur. Vid. FLAC. *Catal. Test. Ver. Lib.*

Lib. XVII, fol. 1814. et CAVE *Hist. Lit. Append. fol. 50, seqq.* Opera eius cum *Versione Bibliorum MS.* Oxoniae in Bibliotheca asseruantur. Discipulos ille multos reliquit, qui *Wiclesitae* appellati, Pontificiorum hoc et sequenti aeuo iras et anathemata sustinuerunt.

§. 12. IOANNES TAVLERVS, Germanus, ordinis Dominicani monachus, qui circa annum MCCCL Coloniae et Argentorati scriptis pietate plenis innotuit. Extant eius *Conciones* et alia opuscula, quae omnia pietatem spirant, et a *Luthero* hoc nomine insigniter commendantur *in Epist. CVII ad Georgium Spalatinum*; it. *Tom. I Ien. Latin.* laudantur. Conf. *Catalog. Test. Verit.* FLAC. *Lib. XVIII, fol. 1767, seq.*

§. 13. IOANNES RVYSBROCHIVS, gente Belga, Doctor *diuinus* et a *Dionysio Carthusiano alter Dionysius Areopagita* appellatus est; quod circa medium huius seculi Theologiam *mysticam* excoluit, et a sterili Scholasticorum Theologia homines ad cultum DEI interiorem, seu uitam spiritualem et pietatem perducere laborauit, in *Scriptis* eius, quae *Coloniae* anno 1502 et 1609 prodierunt, stylus obscuritatis arguitur. Sed qui Scholasticorum styli illuuiem cum illo contendit, forte de isto mitius sentiet. Vid. IO. THOMASII *Schediasm. Hist. pag. 65.*

§. 14. THOMAS BRADWARDINVS, Anglus, Doctor *profundus* appellatus, Oxonii primum docuit: deinde *Eduardo III*, Regi Angliae, a confessionibus sacris fuit, *de Causa DEI*, et *de Veritate causarum, contra Pelagium Libros III* scripsit, Londini anno 1618 editos. Plura eius Opera BALAEVS *Cent. V, pag. 87,* recenset.

§. 15. Omissis aliis, qui gregi Scholasticorum Theologorum accensentur, et a BELLARMINO, LABBEO, GENE-

GENEBRARDO, *pag. 691, 700, 707, seqq.* et a NAT. ALEX. *Histor. Eccl. Sec. XIII et XIV, part. I, can. V,* recensentur; duas adhuc foeminas hoc seculo celebres memorabimus. Vna est *Brigitta*, gente Suecica, regio sanguine prognata, quae ob pietatis studium, soluto matrimonio, in quo septem liberos genuerat, uitam monasticam amplexa est, et anno MCCCL Romam uenit, *Libros*que *VIII Reuelationum*, ac alia opera scripsit, quae Norimbergae anno 1521, Romae et Coloniae an. 1628, ac Monachii an. 1680, impressa prostant. Altera est *Catharina Senensis*, Itala, Senis an. MCCCXLVII nata, quae perpetuo uirginitatis uoto se DEO obstrinxit. Monachi illam diuinis uisionibus et miraculis fuisse celebrem narrant. Ideo a *Pio II*, Pontifice inter sanctas relata. Extant eius *Dialogi de Prouidentia DEI*, *Epistolae*, *Orationes*, alii tractatus. Vid. CAVE *Hist. Lit. Append. fol. 60*, utriusque foeminae donum suspectum uidetur; quod cum alia absurda dogmata, tum quod sibi illae inuicem contradixerint, probant. Nam *Brigitta* B. Virginis *Mariae* conceptionem *immaculatam; Catharina* uero *maculatam* ex reuelatione statuit.

§. 16. Inter *Historicos* huius aeui clariores apud *Latinos* sunt, FRANCISCVS PETRARCHA, Italus, Philosophus etiam insignis et Orator: Qui *de Remediis utriusque Fortunae Lib. II*, *multos Dialogos*, et praeter *Tractatus politicos* ac *Epistolas*, *Rerum memorandarum Lib. IV*, et *Epitomen uitarum uirorum illustrium* reliquit. Vid. IAC. PHIL. THOMASINVM *in Petrarcha Rediuiuo*, Patauii anno 1650 edito. Ceteri historici Latini, ut *Suffridus*, Presbyter Misenensis; *Eberhardus*, Archi-Diaconus Ratisbonensis; *Marinus Sanudo*, cognomento *Torsellus*, Venetus; *Matthaeus*

Mareſchalcus de Pappenheim; Petrus de Duisburg; Lupoldus Germanus, nobilis de Bebenburg; *Iohannes de Beck; Albertus de Argentina; Matthaeus*, Weſtmonaſterienſis Monachus, uulgo *Florilegus* dictus, partim *in Piſtorii*, *Vrſtiſii* et *Freheri Tomis de Script. German.* partim ſeorſim extant excuſi. Nobis ad alia properandum eſt, cum primum *Dantem Aligerium*, Italum allegauerimus, quem *Paulus Langius* uatem et Theologum ſecularem uocat. Vir certe prudens fuit, qui uitia ſeculi notauit, et *de Officio Papae* et *Imperatoris* prudenter ſcripſit.

§. 17. *DOCTRINAE* purioris ſtudium iamdiu ab Eccleſia exulauerat, et ſalebroſis ſcholarum nugis locum ceſſerat. Vnde *Scotiſtae* impugnarunt *Thomiſtas*; ab utrisque *Guilielmus Occam* cum *Nominalibus* ſuis ſequacibus diſſentiebant. Et dum ſacerdotes Iuris Canonici ſtudio incumberent, ut ad maiores in Eccleſia dignitates adſpirarent; Monachi inprimis *Mendicantes* Theologiam tractarunt ac apud populum gratiam inierunt maiorem, iactantes perfectiorem uitae ſtatum. Vnde Sacerdotes ſeculares inter et Fraterculos iſtos multae contentiones ortae. Quanquam inter ipſos deinde Monachos, qui ſe *Spirituales* appellarunt, iurgia autore *Petro Iohanne de Oliua*, Ordinis Franciſcani, exorta ſunt, quae Pontificum bullae promulgatae extinguere non ualuerunt.

§. 18. In his caligantis Eccleſiae tenebris, DEVS *Iohannem Wiclefum* excitauit, qui cum primum Symbolum Apoſtolicum, Orationem dominicam et Decalogum expoſuiſſet; Papatum ipſum ſtrenue impugnauit, demonſtrando, in Eccleſia Chriſti non requiri ſupremum Epiſcopum, qui ſe caput faciat Eccleſiarum omnium, ac dominatum in ipſos etiam Principes exer-

ceat:

ceat: Papas cum suis complicibus rapuisse claues coelorum, et nec ipsos ingredi, nec alios permittere intrare. Transsubstantiationem cum cultibus superstitiosis sanctorum et reliquiarum, item Ordines monasticos, indulgentias et satisfactiones Papales reiecit. Vnde multis, cum scripta eius in Germaniam et Bohemiam transferrentur, lux maior ueritatis affulsit. Vid. FLACII *Catal. Test. Verit. Lib. XIIX*, et D. KORTHOLDI *Hist. Eccl Sec. XIV, cap. II.*

§. 19. Accessit Theologiae *mysticae* studium, quod, ut hoc seculo magis resuscitari coepit; ita pietati excitandae plus profuit, quam Scholasticorum disputatrix Theologia. Doctores eius et inprimis *Ruysbrochius*, tres huius studii *uias* ostenderunt, *primam* dicentes *purgatiuam*, quae propria sit incipientium, qua agitur de reformatione naturae corruptae: *secundam, illuminatiuam*, quae sit proficientium, de naturae mundatae illustratione: *tertiam*, *unitiuam*, quae sit perfectorum, de transformatione mirabili naturae sanctificatae, quae unionem cum DEO pariat mysticam. Haec Theologiam tradendi methodus, inprimis articulum de *Regeneratione et Renouatione hominis* illustrauit; et, si phrases istius ab illuuie errorum Platonicorum et Enthusiastarum detergantur, styloque Scripturae S. res eodem expressae efferantur, maiorem culturae Christianismi, quam Scholasticorum Theologiam, usum adferre, Theologi exercitatiores iam obseruarunt. Vid. IO. THOMASII *Schediasma Hist. et Dissert. nostram de Origine Theol. Mysticae.*

§. 20. Scholastici interim, ut in pingui otio negotiosi uiderentur, inter se de inanibus quaestiunculis concertarunt. *Nominales* enim, quorum Coryphaeus *Occam*, cum *Realibus* in Academia Parisiensi contende-

bant de categoriis; an *nomina*, an *res* in Praedicabilibus et Praedicamentis essent. Vid. P. RAMI *Lib. I, Schol. Metaphys. Thomistae* et *Scotistae*, super Auctoritate suorum patriarcharum, in Theologia, acriter litigarunt. *Vrbanus V*, Papa, Theologiam *Thomae* tanquam ueridicam et Catholicam *Tholosatibus*, ut eam sequerentur, commendauit, apud BZOVIVM *an. Chr.* MCCCLXX, *Sect. 15.* Vid. NATAL. ALEXANDR. *Hist. Eccles. Sec. XIII et XIV, part. II, Dissert. VI.*

§. 21. Inter *Fratres Minores* et *Praedicatores* magna contentio de *Christi et Apostolorum paupertate* fuit; illi hanc affirmarunt; hi negarunt, pingentes Christum in cruce pendentem una manu et brachio affixum, altera denarios tractantem, et bursis in cingulo suo pendentibus inserentem. Sed Papa *Iohannes XXII*, (aliis XXI,) *haereticum esse censendum declarauit, asserere, Christum et Apostolos nihil habuisse in proprio, nec in communi.* Vid. *Fascicul. Temp. pag. 84*, ALVARVM PELAGIVM *Lib. I, de Planctu Eccles. cap. 56, seqq.* AVENTIN. *Lib. VII, fol. 613*, et HOTTINGERI *Hist. Sac. cap. XIV, pag. 737, seqq.* Conf. etiam NAT. ALEX. *Sec. XIV, part. III, Diss. XI.*

§. 22. Modus interpretandi Scripturam S. per allegorias et tropos, etiam hoc seculo magis inualuit; cum sensum eius literalem Homiliarii parum intelligerent. A quo errore nec *Lyranum* semper fuisse immunem, BALAEVS *pag. 393*, animaduertit. Vnde multae absurdae atque ineptae locorum scripturae S. expositiones uel detorsiones, in sermonibus et homiliis horum temporum occurrunt. Laudandum tamen est *Caroli V*, Regis Galliae, studium, quod S. Codicem in uernaculam linguam transferri curauit. Vid. HVETIVM *de Interpret. Lib. II, cap. 12.*

§. 23.

§. 23. Dissensus inter Ecclesiam Graecam et Romanam hoc seculo non remisit; licet Pontifices Rom. unionem semel atque iterum cudere tentarint. Nam *Iohannes XXI*, Papa, duos huius negotii causa Episcopos ad Graecos ablegarat; sed Graeci, teste *Iohanne de Mandeuilla*, scriptore Anglo, *Iohanni* responderunt: *Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, auaritiam satiare non ualemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Papam enim Anti-Christum esse, hoc tempore plurimi affirmarunt, apud AVENTINVM *Lib. VII, fol. 577, Barlaamus, S. Basilii* Monachus, libello *περὶ τῆς τοῦ* ΠΑΠΑ *ἀρχῆς, cap. 16.* Papae Rom. primatum et usurpatam iurisdictionem uniuersalem multis argumentis impugnat. Conf. GOLDASTI *Monarch. Tom. I.*

§. 24. In Graeca Ecclesia inter *Barlaamum*, et *Palamam* enata est grauis contentio de *lumine in monte Thabor Christo circumfuso; an illud increatum aliquid et naturale ac coaeternum DEI lumen fuisset?* Barlaamus lumen illud neque ex diuina essentia emanasse, nec diuinam essentiam fuisse asseruit; et praeterea corporeos oculos per nullam diuiniorem potentiam, adeo eleuari posse, ut Deitatem conspiciant: Palamas uero cum Monachis, qui *Hesychastae* uel *Quietistae* dicebantur, illi acriter contradixit. Vnde controuersia illa in diuersis Synodis agitata multas turbas excitauit, de qua *in Dissertat. nostra de Hesychastis uel Quietistis Graecis* egimus.

§. 25. *HAERESES* Pontificii, non una ipsi haeresi infecti, plures enumerant. LOLHARDI primum nominantur, qui anno circiter MCCCXV, a *Lolhardo Waltero* nomen indepti, teste TRITHEMIO *in Chro-*

nic. Hirſaug. per Germaniam, Bohemiam et Auſtriam tradiderant: (1) Miſſas eſſe uanitatem: (2) Luciferum cum Daemonibus ſuis coelo iniuria pulſum, tandemque beatitudini cum ſuis reſtituendum: Michaelem et Angelos omnes aeternis cruciatibus deputandos; hominesque a ſua ſecta alienos ſimiliter damnandos: (3) B. Virginem *Mariam*, ſi uirgo permanſiſſet poſt partum, non hominem, ſed Angelum peperiſſe: (4) Habere ſe XII Apoſtolos iactitaſſe, qui totum ſingulis annis Imperium perluſtrarent, et duos ex illis ordine et profeſſione ſeniores, ſingulis annis Paradiſum intrare, ac ligandi et ſoluendi poteſtatem ab Helia et Enocho recipere, quam cum aliis eiuſdem ſectae profeſſoribus communicarent: (5) Sacramentum Baptiſmi pro balneo nudo habuiſſe. Plura eorum impia dogmata NATAL. ALEX. *Hiſt. Eccl. Sec. XIII et XIV, part. I; pag. 385, ſeq.* recenſet. Autor ſectae huius *Walterus*, Coloniae an. MCCCXXII, referente *Trithemio*, combuſtus fuit.

§. 26. Inter haereticos huius aeui etiam CECCVS AVSCVLANVS, Caroli Ducis Calabriae Aſtrologus, refertur; quod *in Tractatu de Sphaera* ſtatuiſſet, in ſuperioribus coeli orbibus Spiritus malignos generari, qui per incantationes ſub certo ſtellarum poſitu, uel conſtellationibus, ad res mirabiles producendas conſtringi poſſent: Stellarum influxui item fatalem neceſſitatem operandi tribuebat; adeo, ut Chriſtum in mundum, uoluntate diuina, ſe illi accommodantem ueniſſe; ideoque pauperem naſci et ignominioſam ſubire mortem neceſſum habuiſſe: Anti-Chriſtum etiam, ob ſiderum in coelo poſitum futurum, neceſſario diuitem et ſplendidum fore. Quam ob cauſam ille an. MCCCXXVII Florentiae ad rogum

gum condemnatus fuit. Vid. IO. VILLANI *Lib. X, cap. 42 et 43.*

§. 27. Sedente *Iohanne XXII*, Papa, ECKARDVS Teutonicus, ordinis Praedicatorum monachus, circa an. MCCCXXIX, uiginti et septem errores dissemināsse dicitur. Quos inter crassiores fuerunt: (1) DEVM tam cito mundum creasse, quam cito ipse fuisset: (2) DEVM blasphemia laudari: (3) Hominem, qui orando singulare aliquid bonum petat, malum petere, et male, quia negationem boni et negationem DEI peteret, DEVMque sibi negari, oraret: (4) Hominem transformari et in DEVM totaliter conuerti posse. (5) Quicquid S. Scriptura de Christo diceret, id omne de quouis homine sancto uere dici; et quicquid diuinae naturae proprium foret, id totum hominis iusti proprium esse: (6) DEVM animas amare, non opera externa: (7) Omnem distinctionem a DEO alienam esse, neque in natura, neque in personis probari, quia natura ipsa sit una, et hoc unum; et quamlibet personam esse unam, et id ipsum unum, quod natura: (8) Esse aliquid in anima, quod sit increatum et increabile, et hoc esse intellectum. Has τερατολογίας *ex Ioh. XXII, Papae, literis* ODORICVS RAYNALDVS *ad annum Christi* MCCCXXIX, *num. 70*, de *Eckardo* refert. TAVLERVS uero in *Opusculo de Conuiuio*, et BZOVIVS *ad annum* MCCCXXVII, *Sect. 14*, eum pietate et doctrina uirum insignem fuisse scribunt.

§. 28. IOHANNES DE MERCVRIA, Monachus Cistertiensis, Parisiis an. MCCCXLVII tradidit: (1) fieri potuisse, ut Christus diceret falsum, idque assertione creata tam uocali quam mentali affirmaret: (2) DEVM efficaciter uelle, quicquid uult; item, uelle

uoluntate beneplaciti, ut quis peccet: (3) neminem peccare uolendo aliquid contra uoluntatem DEI: (4) peccatum magis esse bonum, quam malum: (5) DEVM esse causam peccati, qua peccatum est et demeritorium: (6) nullam creaturam, nullamue circumstantiam peccati grauitatem innuere: (7) DEVM praedestinasse homines propter bonum usum liberi arbitrii, quem ipsos habituros praescivit. (Quos errores Parisiensis Facultas Theologica damnauit. Vid. NATAL. ALEX. *Hist. Eccles. Sec. XIII et XIV, part. I, pag. 405, seqq.*

§. 29. Anno sequenti NICOLAVS DE VLTRICVRIA philosophica Theoremata Theologiae admiscens, ibidem proposuit: (1) Non scimus euidenter, quod aliqua causa causet efficaciter, quae non sit DEVS: (2) Non scimus euidenter, quod aliquis sit, uel esse possit effectus naturaliter productus: (3) Euidenter non potest ostendi, quod res quaeliber non sit aeterna: (4) Actus animae nostrae sunt aeterni: (5) DEVS et creatura non sunt aliquid: (6) DEVS rationali creaturae praecipere potest, ut ipsum odio habeat, cui mandato obediens mereretur magis, quam si ipsum ex praecepto diligeret; quoniam id faceret maiori conatu et contra propriam propensionem. Plures eiusdem scepticas assertiones NAT. ALEX. *l. c. pag. 407, seq.* recenset.

§. 30. Similes de DEO, Christo et homine friuolas ac improbas propositiones, Parisiis, *Magister Simon*, Frater *Guido*, *Magister Ludouici* ad disputandum proposuerunt, quos NATALIS ALEX. *l. c. pag. 411, seqq.* recitat.

§. 31. REGHARDVS BERTHOLDVS DE RORBACH, Germanus, qui Herbipoli primum docuit, deinde

inde uero ob haeresin Spirae an. MCCCLIX, combustus fuit, propugnare ausus est: (1) Christum in cruce, cum se derelictum quereretur, desperasse, et B. Virgini Mariae maledixisse, nec non terrae, quae sanguinem suum hausisset: (2) hominem in hac uita eam perfectionem consequi posse, ut nec ieiunio, nec oratione opus sit: (3) laicum illuminatum ita proficere posse praedicando et docendo, ut illi magis quam Euangelio aut S. doctoribus credendum sit: (4) hominem pium, in perceptione cibi communis, tantam percipere gratiam posse, quanta in Eucharistia percipitur. Vid. MVTII *Chron. Lib. XXV, fol. 283.*

§. 32. MARTINVS CONSALVVS, homo fanaticus, in Hispania somniauit, se germanum Archangeli Michaelis fratrem esse, et locum, ex quo cecidit Lucifer, sibi a DEO seruari; item, se primam ueritatem et scalam coeli dicebat, quod singulis diebus adscenderet atque oscularetur; nec non se Anti-Christum aduenientem ad singulare certamen prouocaturum, et cruce Christi diademate spineo ornata eum prostraturum. Hunc deinde *Nicolaus Calaber* DEI filium in coelis ab aeterno genitum dixit, omnesque in extremo die iudicii ad infernum damnatos, *Consalui* huius precibus salutem consecuturos esse, referente EYMERICO *Part. II Directorii Inquisit. qu. XI.* Iungimus huic *Virginem de Anglia* dictam, quae Spiritum S. in redemtionem mulierum incarnatum fuisse somniauit, et mulieres baptizauit in nomine Patris, Filii et suo. Mortua Mediolanum ducta et in cinerem redacta fuit. Vid. *Annales Dominican. Colmarienf. ad an.* MCCCI.

§. 33. BARTHOLOMAEVS IANOVEZIVS, Maioricanus, tempore *Vrbani V*, Papae, libellum publicauit, quo asserebat: (1) Anti-Christum die Pentecostes an-

ni MCCCLX uenturum esse: (2) Anti-Christi tempore omnia Ecclesiae Sacramenta et incruentum sacrificium defitura: (3) Christianos adultos, qui Anti-Christi charactere semel inusti forent, nunquam amplius ad fidem Christi redire posse: Pueros uero Christianorum, Iudaeos et Saracenos et infideles ceteros ab eodem Anti-Christo seductos, eo extincto ad Christum conuersum iri.

§. 34. M. DIONYSIVS SOULECHAT, Minorita, anno MCCCLXIII Parisiis docuit: (1) legem amoris omnem auferre proprietatem et dominium: (2) actualem abdicationem cordialis uoluntatis et temporalis potestatis domini ostendere et efficere statum perfectissimum: (3) Christum abdicasse huiusmodi possessionem et ius in temporalibus, et hoc exemplum pro regula perfectionis habendum esse: (4) Christum in morte omnia simpliciter abdicasse. Quas de paupertate Euangelii assertiones sacra Facultas Parisiensis damnauit, apud NATAL. ALEXAND. *l. c. pag. 417, seqq.*

§. 35. PALAMITAE, a *Georgio Palama*, Monacho primum Graeco, deinde Episcopo Thessalonicensi, appellati, qui et ἡσυχασταί, seu *Quietistae*, a quiete animae, quam profitebantur, nuncupati, etiam haereticis accensentur. Illi cum *Euchetis* et *Messalianis* ueteribus quaedam communia habentes, insolitum et absurdum contemplandi et orandi modum frequentarunt. Nam illi oppresso ad umbilicum capite, contortis oculis suppressoque spiritu cum primum locum cordis mens reperisset, mirabilem se lucem intueri, et inexhausta affici se uoluptate dixerunt. Vid. COMBEFISIVM *in Not. ad Manuelis Calecae Librum de Essentia et Operatione aduersus Palamitas, in Auctar. Nouiss. Biblioth. Patrum*, et *nostram Dissert. de Hesychastis seu Quieti-*

Quietiſtis Graec. *Palamas*, Heſychaſtarum defenſor, iactabat peculiare diuinum lumen, quo Heſychaſtae in iſto corporis habitu conſtituti perfunderentur, eſſe gloriam Deitatis increatam; non quidem ipſam DEI ſubſtantiam, ſed operationem et gratiam et ſplendorem, ex diuina ſubſtantia in ſanctos miſſum, quem exemplo luminis Thaborici declarabat. Vid. L. ALLAT. *Lib. II de Conſenſ. cap. XVII.*

§. 36. Paraſiti Papales, *Marſilium* de Menandrino *Patauinum*, ob Librum, *Defenſorem Pacis*, Ludouico Bauaro inſcriptum: *Franciſcum Petrarcham*, qui in *Epiſtolis ſuis* Romam, *matrem fornicationum et errorum* dixit; *Ioh. Wicleſum*, qui Papatus pudenda maxime detexit; *Michaëlem Ceſenatem*, Guilielmi Occami ſocium, quod Romanam Eccleſiam *meretricem Babylonicam* uocarit; *Iohannem Taulerum*, (licet a Dominicanis defendatur,) ob *Phariſaiſmum* Eccleſiae Romanae obiectum, *Haereticis* huius ſeculi accenſere non erubeſcunt. Sed rectius hos et ſimiles doctores, *Teſtibus Veritatis* FLACIVS annumerat *Catal. Lib. XVIII.* Theologi Pariſienſes meliori iure *Iohannem XXII*, Papam, haereſis poſtularunt; quod negarit, animas fidelium ante excidium orbis coeleſtem in curiam recipi, apud AVENTINVM *Lib. VII, pag. 601.*

§. 37. Multae quidem, hoc affligtiſſimo Eccleſiae ſtatu, *Synodi* prouinciales et nationales, in *Tomis Conciliorum* et apud *Bzouium* leguntur conuocatae, ſed quae omnes fere uel Pontificis Rom. affectata iura in Caeſarem, Reges ac Principes; uel iura et priuilegia cleri a uectigalibus, collectis, cenſuris et foro ciuili attinent: licet interdum aliae cauſae obtentui ſumtae fuerint, quae res Eccleſiae propius tangere uidebantur.

§. 38.

§. 38. In causa *Templariorum*, plures quidem Synodi conactae; uerum unum, quod uulgo *Oecumenicon XV*, Conciliorum Pontificiis dicitur, *Viennae Allobrogum* a *Clemente V*, Papa, an. MCCCXI, indictum fuit. Cuius causae praetexebantur abolitio eorum, quae *Bonifacius VIII*, aduersus *Philippum Pulchrum*, Regem Galliae, decreuisset, et reformatio Ecclesiae Clerique disciplinae, nec non *Fratricellorum Beguardorum*, et aliorum haereticorum errores, qui in *Clementinis* memorantur *Tit. de Summa Trinitate et de Haereticis.* Enimuero praecipuam istius Concilii caussam fuisse, extinctionem Ordinis Templariorum et expeditionis sacrae in Palaestinam, cum acta tum euentus Concilii docuerunt.

§. 39. Ordo autem *Templariorum*, seu Fratrum *Mansionis*, aut *Militiae Templi*, a *Balduino II*, Rege Hierosolymorum, institutus, ac a Papa *Honorio II*, anno MCXXIIX, confirmatus fuerat; ut uel templum Hierosolymis custodiret, uel hospites et peregrinatores illuc uenientes deduceret ad loca sancta secure inuisenda. Hi fauore Principum et aliorum largitionibus, sensim inuidendas sibi per Europam opes ac potentiam acquisierant; ut illa Regibus et principibus metuenda uideretur. Odium etiam sibi ob luxuriam et alia scelera conflauerant, ut ordo eorum omnibus fere inuisus esset. Itaque *Philippus*, Rex Galliae, qui de regno Hierosolymitano uni ex tribus filiis suis conferendo cogitauerat, *Clementi V*, Papae, et hic aliis Principibus persuasit, ut de perdendo ac delendo hoc Ordine conspirarent, spe pleni fore, ut illis extinctis opes horum amplissimae ipsis accresceret. Itaque, ut eorum exterminium aliquo iuris colore incrustaretur, nefandorum ipsi scelerum accusati (licet pauciores eorum

rum essent conuicti) in hoc Concilio, ad internecionem omnes damnantur; multis horum combustis, multis inedia, et aliis crudelissimae mortis generibus necatis. Vid. LANGII *Chronic. Citiz.* ad hunc annum, MVTIVM *Chron. Lib. XXII*, PAPYRIVM MASSONIVM *Annal. Lib. III*, GVILIELM. TYRIVM *de Bell. Sacr. Lib. XII, cap.* 7, ROBERT. GAGVIN. *Hist. Lib. VII*, et alios. In compendio historiam hanc FRID. SPANHEMIVS *Epitom. Isag. Hist. Eccles. N. T. Sec. XIV, Sect. VIII*, D. KORTHOLDVS *Hist. Eccl. Sec. XIV, cap.* 2, prolixius eam NAT. ALEXAND. *Hist. Eccl. Sec. XIV, part. III, Diss. X*, exsequitur. Simile fatum aliqui *Iesuitis* praesagiunt; quippe qui in multis iisdem non uidentur dissimiles.

§. 40. *REGIMEN ECCLESIAE Romanae* tyrannicum, hoc seculo Romani Pontifices non minori, quam antea, libertate continuarunt. *Bonifacius* enim *Octauus*, Papa, ferus homo, ut *Nero VIII* appellari meruerit, *Gibellinos*, h. e. qui Caesaris partes tutabantur, acerrime non tantum persecutus est, coronaque imperiali ornatus aliquando exclamauit: *Ego sum Caesar et Pontifex.* Conf. *Inter Extrauagantes communes Tit. de Maioritis et Obedientia;* Sed ita in *Philippum*, Galliae Regem, incensus, bullis promulgatis, omnia regni *Francisci* priuilegia suspendere ausus est, ipso Rege diris deuoto. Qui tamen hominis insanientis ausa strenue elusit. Vid. NAT. ALEX. *Hist. Eccl. Sec. XIII et XIV, part. III, Diss. IX.*

§. 41. *Benedicti XI*, filii bubulci, dominationem intra annum finitam, *Clemens V*, Gallus gente, excepit. Qui non melior aut modestior *Bonifacio;* nisi quod *Philippum*, Regem Galliae, sibi conciliarit; Sede etiam Papali *Auenionem* translata: ubi per LXX annos haesit,

haesit, Romae ueteris praerogatiua neglecta, quae hactenus tantopere iactata et defensa fuerat. Hic *Henricum VII*, Lucemburgicum Imperatorem, sacramento sibi obstrinxit, ut Italiam bellis intestinis liberaret, sibique fidelis esset. Iuramentum, quod exegit, in *Clementin. de Iureiurando* extat. Nam Liber *Clementinarum* (scilicet constitutionum) *in Iure Canonico* ipsum habet autorem. Quas successor *Iohannes* confirmauit, et ut in Gymnasiis publice docerentur, doctoribus publicis mandauit.

§. 42. Successor eius, *Iohannes XXI*, (aliis XXII,) patre sutore ueteramentario uel cerdone natus, se ipsum ob dissidia Cardinalium designauit Pontificem, et Auenione contra iuramenti fidem haerens, per uestigia antecessorum suorum Anti-Christiana iuit. Nam *Ludouicum Bauarum*, Imperatorem, diris deuouit, quod *Friderico*, Austriaco Anti-Caesari, nollet cedere. Hic uero illi XXVI articulos haereseos Simoniae et aliorum delictorum enormium obiecit. Vid. IO. G. HERWARTHI *Defensionem Ludouici IV*, et NAVCLER. *Generat. XLV, f. 248, 251.* De eius libidine dominandi, *Extrauagantes* constitutiones et *Regestum Bullarum* testantur. Haereticos declarauit, qui affirmarent, *Christum et Apostolos nihil habuisse proprii.* Vid. ALVARII PELAGII *Lib. II de Planctu Eccl. 5, 6, seqq.* Auaritia eius inexplebilis fuit. Hinc uarii acquirendi modi excogitati, quos ex *Regulis Cancellariae, Rotae ordinationibus, Beneficiorum taxis, Reseruationibus, Prouisionibus et Annatarum Iuribus*, quae ab illo profecta sunt, colligas. Conf. NAT. ALEX. *Hist. Eccles. Sec. XV et XVI, part. III, Diss. IX.* Vnde et tantam auri argentique uim reliquit, quantam nullus ante Pontificum. Conf. PLATINA *in eius Vita.*

§. 43.

§. 43. *Benedictus XII*, pistoris uel molitoris Galli filius, (unde referente *Spondano*, is ad Cardinales, ipsos *asinum elegisse*,) ab auaritiae crimine quidem alienior fuit, sed dominatum minui haud passus est; cum antecessoris sui fulmen excommunicationis in *Ludouicum Bauarum*, Imperatorem, uibratum confirmaret; dignitatem imperialem ad se uelut ad Christi uicarium deuolutam esse, iactando. BZOVIVS in eo laudando, more suo prolixus est; sed epicedium, quod eius memoriae an. MCCCXLII consecratum fuit, aliter sonat:

Hic situs est Nero; laicis mors, uipera Clero,
Deuius a uero; cupa repleta mero.

Clemens VI uestigia antecessorum premens *Ludouicum Bauarum* iam diris deuotum denuo anathemate ferit; quod illi subiicere sese detrectaret. *Iubilaeum*, ut largior obuentionum messis esset, in quinquaginta annos reduxit; Bullam promulgando, in qua Angelis mandauit, ut morientes in itinere ad Iubilaeum Romanum, recta in sinum *Abrahae* deportarent. Vid. PLATIN. *in eius Vita*, et *Extrauagant. comm. Lib. V, tit. IX, Poenit. et Remiss. cap. II unigenitus.* Palatio eius affixa charta, in qua Leuiathan, princeps tenebrarum, salutat uicarium suum Papam et Cardinales seruitores suos, quorum ope iam uincat Christum, quosque salutat mater eorum superbia, et sorores auaritia, luxuria, apud ALBERTVM ARGENTIN. *pag. 156.*

§. 44. *Innocentius VI*, gente Gallus, dum curiam Romanam emendare, et concordiam in Italia reducere laborat, ansam praebuit schismati, quod Ecclesiam Romanam diu turbauit. *Vrbanus V* successor quidem Pontificiae maiestati decus redditurus, sedem suam Romam

mam transtulit, ut Clericorum uitia quodammodo emendaret: at superstitiones augere non intermisit. Nam reuersus Romam, capita *S. Petri* et *Pauli* reperisse dicitur; quae loculis argenteis inclusa ad aram maximam Lateranensis Basilicae collocauit; ut statis solennibusque diebus, populo spectanda proferrentur. Vid. VOLATERRAN. *in eius Vita*, et SABELL. *IX Ennead. IX, col. 82.* De aliis superstitionibus ab ipso sancitis, BZOVIVS plura narrat.

§. 45. *Gregorius XI*, *Baldi* ICti discipulus, sub initium an. MCCCLXXVII, magna cum pompa sedem Papalem postliminio Romam, et quidem ob reuelationem *Catharinae* Senensi de eo factam, transtulit; cum illa iam LXX annos Auenione in Gallia fuisset. Multum ille superstitiosis duabus foeminis, Catharinae Senensi et S. Brigittae tribuit, quae iactarunt diuinas reuelationes; *Dominum uelle, ut curia Papalis Romam* reduceretur. Vid. VOLATERRAN. *Lib. XXII*, et SABELL. *Ennead. cit.* Vrbem Auenionensem a *Iohanna* Regina, cuius patrimonium fuerat, emit, teste PLATINA *in eius Vit.* Ipso an. MCCCLXXVIII, morte sublato, *Schisma* illud diuturnum exortum, quod L annos durauit. Certarunt inde de Papatu, *Vrbanus VI*, Neapolitanus, et *Clemens VII*, Sabaudus; hic Gallorum, ille Italorum praesidio nixus. His mortuis *Papatus triceps* factus; cum per factiones diuersas, *Iohannes XXIII*, *Gregorius XII*, *Benedictus XIII*, eligerentur. Durauit hoc schisma ad Concilium usque Constantiense, in quo *Martinus V* Papa constituendus fuit. Vid. ROLEVINCK. *Fascic. Tempor. f. 86.* MARIVM *de Schism.* et THEODORICVM A NIEM *de Schism. Lib. I.* Quantae hoc tempore Ecclesiam Rom. turbae exercuerint, in compendio recitari nequit. Omnes interim

interim Pontifices Rom. uicarii Christi esse uoluerunt. Sed *Carolus VI*, Rex Galliae, post irritas de schismate tollendo curas, decreuit: *se nullum ex iis, qui Romanam tunc Ecclesiam scindebant, agnoscere Papam;* addito interdicto; ne quis Romam aut Auenionem proficisceretur. Durante hoc schismate, *Bonifacius IX* aerarium augere suum non intermisit, homo auarissimus. Nam duo *Iubilaea* celebrauit, unum sibi ab *Vrbano* annum derelictum; alterum a se promulgatum, ut uno decennio bis meteret messem. *Platina* testis est, sub eius Pontificatu, multa crimina per Simoniacam prauitatem increuisse atque indulgentias plenarias passim fuisse uenales. Conf. CRANZ. *Metropol. Lib. IX, cap. X*, HEIDEGGERI *Histor. Papat. Period. V, n. 139.*

§. 46. Multi hac rerum facie, cum Principes, tum doctores, abominationem desolationis in templo DEI agnouere, ingemiscentes; sed tollere malum nesciuerunt; cum Pontificum et cleri mores corruptissimi, leges omnes in potestatem suam redegissent. Vid. Libellum de *Aetatibus Ecclesiae in Catal. Test. Verit. Lib. XIIX*, exhibitum. Vt uero cura omnis emendandi *disciplinam* frustra fuit; ita pii omnes uiri impares fuerunt idolomaniae et superstitionibus inolitis, imo auctioribus factis tollendis. Vid. FLACII *Catal. Test. Verit. Lib. XIIX.* FRANCISCVS PETRARCHA in *Epistola ad Amicum*, curiam Romanam, quam *Babylonem* uocat, ita depingit: *Omne bonum ibi perditur, sed primum omnium libertas, mox ex ordine quies, gaudium, spes, fides, charitas, animae iacturae ingentes: sed in regno auaritiae, nihil damno adscribitur, modo pecunia salua sit. Futurae ibi uitae spes inanis quaedam fabula, et quae de inferis narrantur*

fabulosa omnia, et resurrectio carnis, et mundi finis, et Christus ad iudicium uenturus inter naenias habentur. Veritas ibi dementia est, abstinentia uero rusticitas, pudicitia probrum ingens, denique peccandi licentia magnanimitas et libertas eximia, et quo pollutior, eo clarior uita, quo plus scelerum, eo plus gloriae: bonum nomen coeno uilius, atque ultima mercium fama est. In Paralip. Vrsbergens. p. 345, haec habentur: *Ab eo tempore* (quo sedes Papae Auenionem est translata) *defecit omnis disciplina et religio in Cardinalibus et tres radices uitiorum, superbia, auaritia, luxuria, ualidissime dominantur.* Ipse BZOVIVS *ad an.* MCCCLII, *Sect. 22*, uitia Clericorum, ex BERNHARDO, his uerbis notat: *Clerici aliud esse, et aliud uideri uolunt: habitu milites, quaestu clerici, actu neutrum exhibentes. Nec enim pugnant ut milites, nec euangelizant ut clerici, uentri suo, non Christo Domino, seruientes.*

§. 47. De *Superstitiosis Ritibus* hoc aeuo uel confirmatis uel nouiter introductis, adhuc uelut per saturam pauca memoranda ueniunt. *Clemens V*, Papa, *Festum Corporis Christi*, ex quorundam ficta reuelatione confirmauit. Vid. *Clementin. III, Tit. 16, de Reliq. et Ven. Sanct. c. unic. si Dominum. Iohannes XXII* ordinauit, ut sub uesperam ter campanae pulsarentur, quo audito quisque salutationem Angelicam ter in honorem B. Virginis *Mariae* recitare deberet. Vid. POLYD. VIRGIL. *de Inuent. Rel. Lib. VI, cap. 12, Clemens VI* institutum antiquum Antonianorum, quo porcus (das Dinge Ferckel) in honorem *Antonii* uicatim alebatur, in posterum nutrire prohibuit. Vid. BZOVIVM *ad annum* MCCCLI *Sect. 16*, POLYD. VIRGIL. *Lib. VII, Inu. cap. 7, Innocentius VI Festum clauorum et coronae Christi*

Christi lanceaeque Longini, qua Christi latus in cruce apertum, instituit, apud TRITHEMIVM *Chron. Hirsaug.* et HOSPIN. *de Fest. fol 78. Vrbanus VI festum visitationis B. Mariae*, secundum formam festi corporis Christi instituit, quod *Bonifacius IX*, an. MCCCXC confirmauit. Vid. BELLARM. *Lib. III, de Cult. Sanct. cap. XVI*, RIVET. *Apolog. pro Sanctiss. Virg. Maria Lib. II, cap. 13*, *Bonifacius IX*, *Brigittam*, Virginem sanctam, inter Diuas retulit. Vnde *Ordo S. Brigittae* coepit. Bulla Canonizationis apud TVRREGREMATAM, *in Prolog. cap. I, ad Reuelationum Brigittae Librum*, extat. *Vrbanus*, Papa, Imperatori *Palaeologo* ob Turcarum metum sollicito, misit agnos DEI ex cera confectos ceu alexicacos. Quos Graeci riserunt, quod in locum uitulorum idololatricorum uiderentur conflati, apud BZOVIVM *ad an.* MCCCLXVII, *fol. 9. Benedictus XII, festum de Sacris Stigmatibus S. Francisci*, toti ordini Franciscanorum seruandum instituit, apud BALEVM *pag. 413.*

§. 48. *PERSECVTIONES* interim in *Oriente* non cessarunt, inualescente magis Turcarum potentia. *Osmanes* enim totam Bithyniam, expugnata Prusa Bithyniorum metropoli, an. MCCCXXVI occupauit, et successor eius *Amurathes*, assumto primum Imperatoris titulo, arma uictricia in Europam transtulit. Vterque Christianos afflixit, uel sub iugum misit. Non felicior Ecclesiae status sub Baiazethis imperio, qui Ciliciam, partem Armeniae, Albaniae, Slauoniae, Bulgariae et alias prouincias occupans, Muhammedanismum, oppressis ubique Christianis propagauit.

§. 49. In *Occidente* seu Romana Ecclesia, Waldenses, Wiclefistae et quotquot pii in Pontificis et Cleri Romanensis uitia inuehebantur, aut corruptissimos eo-

rum mores taxabant, sub infami haereticorum nomine, ad ignem, uel ad alia supplicia rapiebantur. Ipse *Ludouicus Bauarus*, Imperator, apud AVENTINVM *Lib. VII, f. m. 610*, de *Ioanne XXII*, Papa, loquens, testis est: *Nempe sanguinem*, inquit, *Christianum sitit, discordiae, seditionum mala ubique gentium inter Christianos ferit. In Germania et Italia, literis, pollicitationibus, auro Principes, tetrarchas, episcopos, sacerdotes, monachos, ciues corrumpere nititur, inducit, sollicitat, ad arma uocat. Aduersus diuinam prouidentiam, supremam coeli maiestatem, unde omnis potestas existit, contra charitatem Christianam pugnat, fratres in fratres armat: praecipit, ut Christiani mutuum affectum et amorem, quem solum pater immortalis a nobis exigit, exuant, arma corripiant, atque in sua uiscera uertant, fidem frangant, pacta dissoluant, inuicem fraudent, decipiant, imponant, a SS. Imperio deficiant, rebellionem, conspirationem, caedes, incendia, stupra faciant. Nec licet per hunc Anti-Christum, Christianis pacem a DEO datam seruare, etc.* Vid. AVENT. *l. c. pag. 611, seqq.* Conf. HOTTING. *Hist. Eccles. Sec. XIV, pag. 667, seqq.*

§. 50. Omissis fabulis de sanctorum, apud *Bzouium* et *Legendarios*, memoratis miraculis, ad *MEMORABILIA* huius aeui referri possunt, (1) quod *Bonifacius IIX*, Papa, *Ericum VII*, Daniae Regem, diris deuouerit, et pro absolutione magnam pecuniae summam postularit apud IO. IS. PONTANVM *Rer. Dan. Lib. VII.* (2) Quod *Clemens V*, Papa, *Dandalum*, Venetorum legatum, canis instar alligatum catena, sub mensa, coenante se, iacere passus sit: (3) Quod monachus Senensis, *Bernhardus Politianus*, *Henricum VII*, Imperatorem, exhibita ipsi hostia ue-

nenata cum calice toxico mixto, nefarie interfecerit. Vid. LANGII *Chronic. Citizenſ.* CVSPIN. *in vita Henrici VII*, AVENTIN. *Lib. VII, fol. 598*, et HOTTING. *Hiſt. Eccleſ. Secul. XIV, pag. 751.* (4) Quod *Henricus II*, Rex Angliae, ob necem *Thomae Cantuarienſis* uirgis caeſus fuerit: (5) Extinctio Templariorum *ſupra §. XLV, ſeq.* annotata: (6) Aurea Bulla a *Carolo IV*, Imper. an. MCCCLVI publicata: Vid. THVLEMARII *Tract. de Aur. Bulla.* (7) *Wenceslai*, Imperatoris, exauctoratio. (8) Iudaeorum in Germania magna ſtrages, apud ALBERT. ARGENTIN. *ad an.* MCCCXLIIX, CRANZ. METROPOL. *Lib. IX, cap. 48*, LANG. *Chron. Citiz. an.* MCCCL, et AVENTIN. *Lib. VII, fol. 574.* (9) Schiſma Pontificum Rom. diuturnum: (10) Studium linguae Ebraicae et aliarum a *Clemente V* excitatum. Vid. *Clementin. V, Tit. I, de Magiſtris.* (11) Nouae Academiae in Germania, Colonienſis, Heidelbergenſis, Pragenſis, et Erffurtenſis inſtitutae. (12) Lithuanorum ad Chriſtianiſmum conuerſio, baptiſmum principe ipſorum *Iagellone* ſuſcipiente, apud CROMERVM *Hiſt. Lib. XIII*, et OLAVM *M. Hiſt. Sept. Lib. II, cap. 1.* (13) Pixidis nauticae a *Iohanne Goia*, ciue Amalphitano, inuentio: (14) Studium iurisprudentiae a *Bartolo de Saxo Ferrato*, et *Baldo de Vbaldis* excitatum. Vid. HOTTING. *Hiſt. Eccleſ. Sec. XIV, pag. 722, ſeqq.* (15) Puluis pyrius a Monacho *Berchtholdo de Schwarz*, in generis humani perniciem hoc ſeculo inuentus, apud HOTTING. *l. c. pag. 666 et 751.*

§. 51. Sub finem hiſtoriae huius aeui, cum *irae* diuinae, tum *gratiae* certa documenta obſeruari merentur. Illam *indicia* DEI produnt, quibus Orientalis et Graecae Eccleſiae diſſidia, ac populi Caeſarumque

Byzantinorum scelera, immissis Turcis ac Muhammedanis, ultus est. Mala etiam, quae in Occidente Ecclesiam et rempublicam inprimis Germaniam inter tot dissidia, bella et schismata Pontificum Rom. afflixere, irae diuinae indicia sunt. Humanarum mentium deliria etiam in Sectis nouiter exortis animaduerti merentur; cum S. Scripturae lectio frigide tractaretur. *Gratiae* autem diuinae tribuendum est, quod in hac scholarum et monachorum barbarie, cum pios, tum eruditos atque cordatos aliquot uiros excitarit, qui Romani Anti-Christi tyrannidem impugnatum iuere, foedasque superstitiones in Rom. Ecclesia notarunt, Scripturae S. autoritatem cum Wiclefistis urgentes, simulque etiam iura et autoritatem summarum potestatum, aduersus Papam Rom. uindicantes. Vnde multis in his ignorantiae tenebris lux ueritatis affulsit, quae premi semper, sed opprimi nequit.

PERIODI IV

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT V

DE

SECVLI XV HISTORIA

§. 1

Seculum, quod ordimur, *decimum quintum*, tam propter bella Christianis luctuosa, quam propter Pontificum Rom. schismata turbasque in Conciliis et Ecclesia excitatas, triste fuit. Nam Constantinopolis

nopolis a Turcis anno MCCCCLIII capta est. Pontifices Rom. inter se dissidentes, etiam supra Concilia autoritatem suam extollere, contra Constantiensis et Basileensis Synodi decreta, machinati sunt. Accessit bellum ferale *Hussiticum*, quod ob *Iob. Hussium*, in Concilio Constantiensi contra datam fidem combustum, in Bohemia et Germania exarsit. Interim ad felicitatis literariae partem referendum, quod post diuturnum literarum squalorem ac incultam tot seculorum barbariem, bonarum artium et linguarum studia, futurae Ecclesiae reformationis commodo, resuscitari coepta essent.

§. 2. *DOCTORVM et SCRIPTORVM* ingens occurrit numerus, ex quo celebriores tantum adducemus; cum prius *Latini a Graecis*, *Dogmatici* ab *Historicis* fuerint distincti.

§. 3. Inter *Dogmaticos* et quidem *Latinos*, primum locum sortitur PETRVS DE ALLIACO, Compendiensis Gallus, primum Cancellarius Parisiensis, deinde Episcopus Cameracensis, ac tandem Cardinalis an. MCCCCXI factus. Qui Concilio Constantiensi interfuit, Ecclesiaeque reformationem necessariam esse iudicauit; etsi choragus fere tragicae istius scenae, in quam *Hussus* et *Hieronymus Pragensis* producti sunt. Praeter *Commentarios in quatuor Libros Sententiarum*, uarios tractatus scripsit, anno 1634, Duaci editos. Vid. LABBEI *Tom. II, pag. 180.* Ob autoritatem, qua polluit, *Aquila Franciae et aberrantium a ueritate malleus indefessus* appellatus fuit. Conf. FLAC. *Cat. Lib. XXIX, fol. 1796.*

§. 4. Huius discipulus fuit IOANNES CHARLLERIVS, a pago uel uico *Gersonii*, agri Rhemensis, *Gersonis*, seu *de Gerson*, *Doctor Christianissimus* appella-

tus, ob eruditionem et singularem prudentiam Cancellarius Parisiensis electus: qui postea anno MCCCXIV Regis Gallorum iussu, Concilio Constantiensi interfuit. In quo reformationem Ecclesiae suasit; cumque Pontifices illi obsisterent, *Commentarium de Auferibilitate Papae ac Ecclesia* conscripsit. Cum Lutetiam deserere cogeretur, Lugduni libris scribendis, et paruulis catechizandis tempus impendit. Quum mortem sibi imminere persentiscceret, adductis in Ecclesiam paruulis suis discipulis, DEVM pro se orare quotidie, et orando exclamare iussit: *DEVS meus, creator meus, miserere pauperrimi famuli tui Iohannis Gersonis.* Vitam subita inter orandum morte, anno MCCCCXXIX finiit. Verba, quae saepe inter concionandum usurpauit: *Poenitemini et credite Euangelio*, eius epitaphio inscripta fuerunt. Opera ipsius saepius impressa, IV Tomis an. 1636 edita prostant. Vid. CAVE *Hist. Lit. Append. fol. 79, seqq.* et FLAC. *Cat. Test. fol. 1804.*

§. 5. IOANNES CAPRIOLVS, Tholosanus ex oppido Ratinensi, doctrinae Thomisticae acerrimus defensor, iuxta *Trithemium*, anno MCCCCXV floruit, *Commentarios in IV Libros Sententiarum* conscripsit, quibus *Iohannis Scoti*, *Petri Aureoli* et Nominalium, contra *Thomae* placita, in medium allata argumenta refellit. Hinc et *Principis Thomistarum* nomen promeruit. Libri eius Venetiis 1514 prodierunt.

§. 6. FRANCISCVS ZABARELLA, an. MCCCCXLVII, Constantiae obiit, legatus a Pontifice ad *Sigismundum*, Imperatorem, missus. Antequam fieret Cardinalis, in Gymnasio Florentino, Ius Canonicum docuit, et *Commentarios* in *Decreta et Concilia* compilauit. Vid. THOMASINI *Illustr. Viror. Elog. pag. 9.*

§. 7.

§. 7. IOANNES HVSSVS, Bohemus a uico natali sic cognominatus, floruit circa initium huius seculi, et Pragae, ubi concionatorem simul egit cum *Hieronymo Pragensi* Papismum strenue oppugnauit, uir, ipsis fatentibus aduersariis, doctrina illustris et pietate insignis. Opp. eius Norimbergae II Tom. a *Matthia Flacio* edita sunt. Ipse uero Constantiae MCCCCXV martyrio, contra datam fidem affectus obiit. Vid. PANTALEONEM *de Viris Illustr. Germaniae part. II, pag. 379, seqq.* Plura de eo memorandi, infra redibit occasio. Conf. FLAC. *Catal. Lib. XIX.*

§. 8. HENRICVS KALTEISEN, Germanus patria Confluentius, Fidei apud Colonienses inquisitor, et tandem Nydrosiensis et Caesariensis Archi-Episcopus, qui in Concilio Basileensi per tres dies, *de Libera Praedicatione uerbi DEI*, contra Bohemos et Hussitas perorauit. Vid. *Concil. Tom. XII, pag. 1249*, et RZOVIVM *ad annum* MCCCCXXXIII, *Sect. 254.*

§. 9. NICOLAVS DE CVSA, seu CVSANVS, a uico Cusae ad Mosellam, ubi natus, sic appellatus, in Concilio Basileensi autoritatem Papae defendit, uir uariae eruditionis magis, quam constantiae laude celebris; scripsit *III Libros ad Iulianum Caesarinum* Cardinalem, *de Docta Ignorantia*, et *III Libros de Concordia Catholica*, qua Papam Concilio inferiorem esse demonstrauit; item tres *de Cribratione Alcorani*, et alia, quae tribus Tomis comprehensa Basileae 1564 impressa sunt.

§. 10. LAVRENTIVS IVSTINIANVS, *Venetus*, anno MCCCCXXXI clarus, Venetorum Episcopus primus ibi Patriarcha factus anno MCCCCL, multa, quae ad Theologiam mysticam pertinent, scripsit, ut *Lignum uitae; de Casto Connubio uerbi et animae; de*

Interiori Conflictu: de Contemtu Mundi; de Spirituali Animae Interitu, de eiusdem Spirituali Resurrectione; de Gradibus Perfectionis etc. Opera eius Lugduni 1568 excusa sunt. Huic subiungimus LAVRENTIVM VALLAM, Florentinum, uirum eleganti eruditione politum; sed qui omnibus minus latine loquentibus diram scripsit, et ineptos sui aeui Theologos perstrinxit, ac ideo ad rogum quaesitus fuit. Laudat eum ERASMVS *Lib. VII, Epist. III.* Vid. CAVE *Hist. Lit. Append. fol. 121, seqq.* et FLAC. *Catal. Lib. XIX, fol. 1894.*

§. II. IOANNES CAPISTRANVS, a Capistrano oppido Brutiorum sic dictus, concionator feruentissimus per oppida circumforanei instar agyrtae oberrans, in triuiis conciones ad plebem habuit. Contra Fraticellos, Hussitas et Adamitas inquisitor factus, *de Electione Papae, de Dignitate Ecclesiae*, contra Hussitas, *de Auctoritate Papae et Concilii, de Matrimonio, de Excommunicatione, Speculum Conscientiae*, et alia scripsit, quae WADDINGVS *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum*, et BELLARMIN. *Lib. de Script. Eccles. pag. 286, seqq.* recensent.

§. 12. ALPHONSVS TOSTATVS, gente Hispanus, Episcopus Abulensis, circa medium huius seculi clarus, *Commentaria* copiosissima *in Pentateuchum* et alios Libros sacros, item *Quaestiones*, ut loquuntur, *innumerabiles* breui uitae tempore conscripsit. Obiit, cum XL annos tantum uixisset: ideo hoc elogio ornatus: *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.* BELLARMINVS tamen monet, *Defensorium trium conclusionum*, quod reliquit, esse caute legendum; quia potestati Pontificis derogare uidetur. Opera eius omnia

XXVII

XXVII Tomis comprehensa Venetiis 1596 prodierunt.

§. 13. GABRIEL BIEL, Heluetius, aut Spirensis, in Academia Tubingensi an. MCCCCLXXX, Theologiam professus est, et *in IV Libros Sententiarum Commentarios, Expositionem Canonis Missae, Sermones de Tempore, Defensorium Obedientiae Apostolicae* conscripsit, Conf. THEOPH. RAYNAVD. *de Bon. et Mal. Libris pag. 139.* De generatione Filii DEI et processione Spir. S. doctam ignorantiam professus est: *Quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus.*

§. 14. IOANNES DE TVRRECREMATA, Hispanus, Theologus et ICtus celebris circa medium huius aeui, scripsit *IV Libros de Ecclesia, Commentarios in Decretum Gratiani, in Psalterium, in Euangelia Dominicalia, de Sanctis,* et alia Opuscula a *Bellarmino* recensita. Conf. LABBEVM *Tom. I, pag. 615.*

§. 15. DIONYSIVS CARTHVSIANVS, Belga, uir doctrina et sanctitate insignis, circa medium huius aeui floruit: qui non tantum *in omnes Libros Scripturae S. sed et IV Libros Sententiarum Commentarios* conscripsit; item *Libellum de IV Nouissimis*, quem BELLARMINVS caute legendum censet, propter doctrinam de statu animarum in purgatorio degentium. *Commentarii in S. Biblia* Coloniae 1533 septem uoluminibus excusa sunt.

§. 16. HIERONYMVS SAVANAROLA, Ferrariensis Italus nobili genere ortus, uir sanctimonia uitae et doctrina illustris, in luxum Cleri Romani inuectus, dixit, *in Ecclesia a planta pedis usque ad uerticem capitis nihil sani esse, et abominationem desolationis stare in loco sancto*: ideo Principes Christianos excitauit literis,

ut

ut labanti Ecclesiae succurrerent. Sed eo odium *Alexandri VI*, Papae, incurrit, qui ipsum anathemate percussit, et Florentinum Magistratum permouit, ut is cum duobus sociis combueretur. Vitam eius *Picus Mirandula* descripsit. Conf. BZOVIVM ad an. MCCCCXCVII. *Triumphum crucis*, siue *de Fidei Christianae Veritate*; item *de Vitae Christianae Simplicitate*, *Epistolas* et alia Venetiis superiori seculo typis excusa scripsit. Vid. CAVE *Hist. Lit. Append. fol. 162, seqq.* et FLAC. *Catal. Lib. XIX, pag. 1914.*

§. 17. THOMAS DE KEMPIS, siue a *Campis*, modico in dioecesi Colonienſi oppido ad Rhenum, ipsius patria cognominatus. Alias a familia nomen *Hemerichon*, seu *Malleolus* habuit. Tanta pietate insignis fuit, ut multi ex remotis locis, eius uidendi cupiditate accensi, in dioecesin Vltraiectinam, ubi uixit, uenirent. Obiit anno Christi MCCCCLXXI. Multa Opuscula pietatem spirantia reliquit, quae coniunctim Duaci 1635, in 8, et Antwerpiae 1607, in 4, edita sunt. Inter illa eminet Libellus *de Imitatione Christi*. De quo controuerti solet, an eiusdem sit foetus? Vid. THEOPH. RAYNAVD. *de Bon. et Mal. Libr. Part. I, Erot. X, num. 230*, VINCENT. PLACCIVM *de Pseudonymis pag. 199.* Constantinus Caietanus, Monachus, Iohannes Launoius, illum *Iohanni Gerſen*, Benedictini Ordinis Abbati, tribuunt; contra Heribertus Rosweidus, Fronto, Gabriel Naudaeus, Theophilus Raynaudus, *Thomae a Kempis* uindicant.

§. 18. IOANNES PICVS, Mirandulae Comes, Concordiae Princeps, uir ingenio et doctrina pro aetate maximus, et ideo *Phoenix* dictus, claruit anno MCCCCLXXXIV. Multa tum *Philosophica* tum *Theologica* scripsit, quae a *Bellarmino* recensentur. Opera eius

eius Basileae 1533, it. 1573, et 1601, prodierunt. Obiit MCCCCXCIV, aetatis suae XXX, Epitaphium tumulo eius inscriptum ita habet:

Iohannes iacet hic Mirandula; cetera norunt
Et Tagus et Ganges, forsan et Antipodes.

§. 19. MARSILIVS FICINVS, Florentiae natus, σύγχρονος Mirandulani, in Philosophia Platonica et Theologia uersatissimus, scripsit *de Religione Christiana*, *Theologia Platonica*, *de Animarum Immortalitate*, *de Aeterna Felicitate*, *Commentarios in Epist. Paulinas*, *Conciones de V Panibus Lucae*, *de Duobus Discipulis in Emaus*, *de Stella Magorum*, *etc.* Opera eius Basileae 1561, et II Tomis Parisiis 1641, excusa sunt. Hic statim post obitum *Michaëli Mercato*, Miniatensi se uisendum, ut uiuus promiserat, obtulit, quaeque ante de animarum immortalitate disseruerat, expertum iam se esse, confirmauit. Quod ex proborum et eruditissimorum testium fide BARONIVS *ad an.* MCCCCXI *prope finem* narrat.

§. 20. ANTONIVS FLORENTINVS, primum Monachus, deinde Archi-Episcopus Neapolitanus ab *Eugenio*, Papa, inuitus renunciatus, sanctitatis studio circa an. MCCCCLIX celebris, *Summam Theologicam* in IV partes diuisam, et *Summam Historialem* in III Partes diuisam multisque fabulis refertam scripsit. Extat etiam *Summa eius Confessionalis*, Parisiis 1516 edita. Conf. MICH. POCCIANCII *Catalog. Scriptor. Florentin. pag. 13.*

§. 21. ANGELVS DE CLAVASIO, Liguriae oppido oriundus, uir pius, *Summam CASVVM Conscientiae*, quae ab autoris nomine *Angelica* nuncupata est, reliquit. Venetiis illa, Lugduni et Argentinae

nae typis exscripta prostat. Ipse anno MCCCCXCV obiit.

§. 22. HENRICVS DE HASSIA, Germanus, Ordinis Carthusiani professor, *Regulas ad discernendum peccatum mortale a veniali*, *Commentarios in Genesin* et *Exodum*, *in Proverbia* et *Apocalypsin*, item *in Libros Sententiarum*, nec non *Speculum Animae* composuit. Obiit an. MCCCCXXIIX. Laudat ipsum TRITHEMIVS et SIXTVS SENENSIS *in Bibliotheca sua*. Conf. BELLARMIN. *de Script. Eccles. pag. 381.*

§. 23. PAVLVS Carthagena a S. Maria, *Burgensis*, a patria in Hispania dictus, ex Iudaeo Christianus et Episcopus Burgensis factus an. MCCCCXV claruit, *Additiones ad Lyram*, et *Scrutinium Scripturarum* conscripsit, quae Lugduni 1590 editae prostant. Huic iungimus σύγχρονον NICOLAVM DE CLEMANGIS, Magistrum Parisiensem, *Doctorem Theologum* appellatum, qui Librum *de Corrupto Ecclesiae Statu*, *Deplorationem Calamitatis Ecclesiasticae per schisma nefandum*: item *de Concilio Generali*, *de Praesulibus Simoniacis*, quod tam corpore e Babylone sit fugiendum, quam mente, *Epistolas* et *Librum de Studio Theologiae* conscripsit. Opera eius omnia cum Analectis et Glossario Latino-Barbaro *Martini Lydii* Lugduni Batau. 1630, in 4, prodierunt. Ipse obiit ante an. MCCCCXL, cuius sepulchrum hoc elogio ornatum: *Qui Lampas fuit Ecclesiae, sub lampade iacet.* Vid. FLAC. *Catal. Lib. XIX. f. 1874.*

§. 24. AVGVSTINVS DE ROMA, Episcopus Nazarenus, circa an. MCCCCXL floruit, et inter alia *de Sacramento diuinitatis IESV Christi et Ecclesiae; de Christo capite et eius inclyto principatu; de Charitate Christi*

Christi circa electos, *et de eius infinito amore* scripsit. Quae tria Opuscula in indice Romano librorum prohibitorum sunt prohibita, donec expurgentur. Vid. BELLARM. *de Script. Eccles. pag. 284.*

§. 25. BESSARIO, *Trapezuntius*, Graecus ad Latinos transiens et Cardinalis factus, multa scripsit tam *Latina* quam *Graeca Opuscula*, quae BELLARMINVS *Lib. cit. pag. 292*, et LEO ALLATIVS *de Consensu Lib. III, cap. 3*, recitat. Obiit an. MCCCCLXXII. Homo uersipellis et patriae et Ecclesiae proditor appellatus est. Huic iungimus AMBROSIVM CAMALDVLENSEM, Florentinum Abbatem, uirum prudentem et qui Latine ac Graece doctus fuit, ac Papae partes in Concilio Basileensi tutatus est: *Tractatum de Spiritu S. Orationes ac Epistolas* uarias scripsit. Vitam eius AVGVSTINVS FLORENTINVS *Histor. Camaldulensium Lib. III* descripsit.

§. 26. MEFFRETHVS, *Presbyter* Misnensis, circa an. MCCCCXLIII clarus, *Conciones aestiuales et hyemales*, sub nomine, *Hortuli Regina*, reliquit, quae Monachi 1612 et 1615 editae sunt. Cui iungimus M. WESSELIVM HERMANNI, *cognomento Gansfortium*, Theologum Groeningensem, uirum qui propter doctrinam et pietatem, *Lux Mundi* dictus, claruit anno MCCCCLXXVI. *Tractatus eius de Potestate Papae et Ecclesiae*, apud GOLDASTVM *Tom. I* extat, Opera alia, quibus Papatum tangit, Basileae 1523 impressa sunt. In *Sermonibus de Conceptu B. Virginis*, eam a labe originali immunem fuisse, non ausus est docere.

§. 27. HERMOLAVS BARBARVS, ex Patricio Veneto Patriarcha Aquilensis anno MCCCCLXXX factus, non tantum *Philologica Opuscula*, sed etiam *Conciones*

sacras

sacras conscripsit. Vid. SIMLERVM, *pag. 288.* Huic iungimus THOMAM NETTERVM, uulgo WALDENSEM dictum, Anglum, qui circa an. MCCCCXXX, *Doctrinale fidei antiquae*, tribus Tomis distinctum, compilauit, quod Venetiis 1571 prodiit: et IACOBVM PEREZIVM, Hispanum, qui *Commentarios in Ps. in Canticum Salomonis*, et alia scripsit: de quibus uid. IOSEPH. PAMPHILVM, *Chron. Ord. Eremit. S. Augustin. pag. 96.* Addendus est *Raymundus de Sabundo*, Hispanus, Gymnasii Tholosani Professor, Medicus et Philosophus celebris, circa an. Chr. MCCCCXXX *Theologiam Naturalem*, quae Lugduni 1540 edita est, et *Violam animae*, quae etiam Theologiae naturalis partem complectitur, reliquit. Prodiit Coloniae 1501. Plures addere compendii ratio non patitur.

§. 28. Inter *Historicos Latinos* huius seculi clariores sunt, (1) *Flauius Blondus*, patria Foroliuiensis, Secretarius *Eugenii IV*, Papae, *Historiam Romanam ab inclinatione Imperii usque ad sua tempora*, h. e. ab anno Christi CCCCVII usque ad annum MCCCC, scripsit, ubi de Roma triumphante, Roma instaurata, Italia illustrata, agit. (2) *Iohannes Froissardus*, Valentianis ad Scaldin in Hannonia natus, res in Galliis praesertim Belgioque gestas *Chronico* complexus est; quod ab an. MCCCXXVI ad an. MCCCXCIX perduxit. (3) *Theodoricus de Niem*, Germanus, Clericus Luccensis, uulgo Episcopus Verdensis dictus, quod *Spondanus ad annum MCCCCX, num. 3*, negat, uir cordatus, *Historiam annorum XXXIIX Libris quatuor* complexus, quo tempore *Schisma* inter Papas et Antipapas fuit. Prodiit illa Basileae anno 1560. Ipse Concilii Constantiensis tempore an. MCCCCXVI obiit. FLAC. *Catal. Lib. XXIX.* (4) *Poggius Brandolinus*, uel *Bracciolinus*, Floren-

Florentinus, *Historiam Florentinam* scripsit, in qua hoc ipsi uitio datur, quod pleraque omiserit, quae ad ciuiles discordias pertinerent, patriae nimis fauendo; Quod Artius Syncerus hoc epigrammate expressit:

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem:
Nec malus est ciuis, nec bonus historicus.

§. 29. *Wernerus Roluink*, seu *Rollwink de Laer*, Westphalus, Carthusianus, *Fasciculum Temporum* ab Orbe condito ad suam usque aetatem, h. e. ad annum MCCCCLXX, collegit, quem *Iohannes Linturnus* ad. an. MDXIV perduxit. Vid. VOSS. *Lib. III, de Hist. Latin.* (6) *Baptista Platina*, patria Cremonensis, Apostolicus Abbreuiator, quem *Trithemius* commendat *in Catalogo Script. Eccles.* Scripsit *Vitas Pontificum Romanorum*, quas *Onuphrius Panuinius* continuauit. Ipse Romae, anno MCCCCLXXXI, peste sublatus est. Conf. FLAC. *Catal. Lib. XIX, fol. 1904.* (7) *Aeneas Syluius*, Piccolominaeus, qui deinde Pontifex factus *Pius II* uocatus est, Libros duos *de Gestis Concilii Basileensis*, *Historiam Bohemicam*, *Epistolas* et *Cosmographiam*, siue Librum *Historiarum de Mundo uniuerso*, scripsit. Opera eius Basileae 1571 prodierunt. *Historiam Friderici III*, Imperatoris, ab eo scriptam *Boeclerus* edidit. Obseruant in illo, quod minus constans fuerit: *Nam quod Aeneas Syluius probauit, Pius damnauit.* Vid. FLAC. *Catal. Lib. XIX, fol. 1891.* (8) *Gobelinus Persona*, Decanus Paderbornensis, *Cosmodromium*, seu Chronicon uniuersale, scripsit, quod anno 1599 Francofurti impressum fuit. Quod cum aliis scriptoribus Germanicis MEIBOMIVS Helmstadii publicauit. Vid. *Tom. I Script. German.*

§. 30. (9) *Petrus de Natalibus*, Episcopus Equilinus, circa an. MCCCCLXX clarus, *Historiam Sanctorum*

rum compilauit, quae Argentorati 1502, et Lugd. 1542, excusa prostat. (10) *Iacobus Wimphelingus*, Sletstadiensis, Ecclesiae Spirensis Presbyter anno MCCCCXCIV celebris, *Epitomen Imperatorum et Rerum in Germania gestarum; Librum de Vita et moribus Episcoporum Argentinensium; Soliloquium de Pace Christianorum*, et alia Opuscula, quae SIMLERVS *pag. 316*, recenset, conscripsit. (11) *Antonius Bonfinius*, Asculanus, hortatu Matthiae Coruini, Regis Hungariae, *Commentarios rerum Hungaric.* reliquit, qui Hanouiae 1606 excusi sunt. (12) *Iohannes Annius Viterbiensis*, praeter *Commentarios in Psalm. et Apocalypsin*, *XXVII Libros Antiquitatum* multis fabulis refertarum edidit, de quibus VOLATERRANI *Iudicium Lib. XIV, Anthropologiae*, et LVDOVICI VIVIS *Lib. V, de Tradendis Disciplinis*, nec non MELCHIORIS CANI *Lib. X, Loc. Comm.* legi potest. (13) *Marc. Ant. Sabellicus*, Italus, fabri ferrarii filius, claruit an. MCCCCXC, *Historiarum ab O. Condito, Enneades XI*, et *III Libros Exemplorum, Aquileiae Antiquitates*, et alia scripsit, quae in eruditorum manibus sunt. (14) *Robertus Gaguinus* natione Belga, Iur. Can. Doctor, uir eruditus et eloquens, immaculatae conceptionis Deiparae uirginis contra *F. Vincent. de Castro Nouo* defensor acerrimus, *Annales rerum Gallicarum Lib. XII* complexus est, quos *Hubertus Velleius* continuauit: Prodierunt Francofurti 1580. (15) *Iohannes Nauclerus*, Nobilis Sueuus, Cancellarius Tubingensis, et eiusdem Ecclesiae Praepositus, circa exitum huius seculi clarus, res memorabiles a Mundo Condito usque ad an. MD complexus est *Chronico*, quod in duo uolumina distinxit, in *primo* LXIII Generationes ab Adamo ad Christum usque; *altero* Gene-

ra-

nerationes L, h. e. res usque ad suam aetatem persecutus est, quod Coloniae 1563 impressum fuit. (16) *Iohannes Antonius Campanus*, quem mater rustica opere fessa, in agro sub lauro peperit, primum ouibus pascendis a patre destinatus, postea sacerdotis famulus factus, literis operam ita diligenter nauauit, ut Scholae Perusinae praeficeretur: tandem Episcopus Aretinus factus, orationem in conuentu Ratisbonensi habuit luculentam, qua bellum contra Turcas suasit. Praeterea scripsit *Vitam Pii II*, et *Libros VI, de Gestis Andreae Brachii Ducis Perusini.* Vid. VOLLATERRANVM *Lib. XXI*, IOVIVM *in Elogiis*, et LILIVM GYRALDVM *Dialog. I de Poetis sui temporis.*

§. 31. Ex *Graecis* Scriptoribus clari sunt 1) *Simeon*, Archi-Episcopus Thessalonicensis; qui scripsit Commentarium *de Diuino Templo* Ingolstadii 1603 impressum, item Dialogum *de Poenitentia*, quem *Morinus* edidit. 2) *Iosephus Bryennius*, Constantinopolitanus Monachus, scripsit *IIX Orationes contra Latinos περὶ τῆς ὑπερθέου τριάδος.* Vid. L. ALLATIVM *de Consensu Lib. II, cap. XIIX, §. 18.* 3) *Macarius*, cognomine *Macres*, Opus *de Processione Spiritus S. aduersus Latinos* scripsit. Vid. ALLATIVM *de Consensu Lib. II, cap. XIIX, §. 11.* 4) *Iohannes Cananus*, scripsit Narrationem *de Bello Constantinopolitano cum Turcis*, quae cum *Georgio Acropolita* Parisiis 1651 prodiit. 5) *Georgius Phranza*, Protouestiarius, *Chronicon de Rebus Byzantinis et Peloponnesiacis* scripsit, quod *Iacobus Pontanus* cum Notis, et *Theophylacti Simocattae Historia* edidit Ingolstadii 1604. 6) *Demetrius Chrysoloras* scripsit aduersus Latinos. Vid. L. ALLATIVM *de Consensu Lib. II, cap. XIIX, §. 12. qui et cit.*

loc. §. 15. Macarium Metropolitanum Ancyranum allegat. 7) *Marcus Eugenius*, Archi-Episcopus Ephesius, *de Synodo Florentina* Libellum scripsit, qui in *Concil. Tom. XII* extat. 8) *Iohannes Eugenius*, Nomophylax, qui Concilio Florentino interfuit, et *Antirreticon* aduersus Synodum dictam scripsit, quod L. ALLATIVS *Libro de Purgatorio pag. 61, 220, 241,* allegat. 9) *Georgius Gemisthus Pletho*, Constantinopolitanus Philosophus insignis, quo post *Platonem* et *Aristotelem* σοφώτερον οὐκ ἴφυσεν ἡ ἑλλάς. Vid. L. ALLATIVM *de Consens. Lib. III, cap. III, §. 6.* 10) *Georgius Trapezuntius*, ortu Cretensis, multa e Graecis transtulit et scripsit. Vid. ALLATIVM *de Consens. Lib. III, cap. III, §. 2.* et BOISSARDVM *Icon. Illustr. cap. I, pag. 134.* 11) *Syluester Sguropulus*, magnus Ecclesiarcha, *Historiam Concilii Florentini*, cui interfuit, descripsit, quae Hagae 1660 prodiit cum Notis *Rob. Creygthonii.* 12) *Iohannes Argyropulus*, Constantinopolitanus, qui post captam Constantinopolin, in Italiam transiit, ac Florentiae et Romae philosophiam et bonas literas docuit. Scripta eius ALLATIVS *Tom. I Graecor. Orthod.* recenset. 13) *Hilarius*, Monachus Graecus, contra Graecos pro Latinis, *Orationem de Pane Graecorum mystico et Latinorum fermentato* Graece scripsit, quam *Meursius* Lugd. Batau. 1629 edidit. 14) *Ducas*, nobilis Byzantinus, *Michaëlis Ducae*, Imperatoris, nepos, *Historiam Byzantinam de postremis Imperii Constantinopolitani Rebus* reliquit, quam *Bullialdus* edidit Parisiis 1649. 15) *Georgius Scholarius*, Gennadius alias dictus, primus post captam Constantinopolin patriarcha, scripsit *Exhortationem* et *Orationes III ad Synodum Florentinam*, cui interfuit, quae *Tom. XIII Concil.* habentur. Deinde et *Confessionem Fidei, Mahommeti*

meti oblatam reliquit. Vid. M. CRVSII *Turco-Graeciam Lib. II*, et L. ALLATIVM *Lib. III, cap. V et VI.*

§. 32. *DOCTRINA* miris modis foedata, in scholis per inanes quaestiones metaphysicas magis, quam Biblicas tractabatur. Et cum *S. Maria* Deipara pro Diua passim adoraretur, etiam *de Conceptione* eius *Franciscanos* inter ac *Dominicanos* acre certamen exortum est. Quod BAPTISTA MANTVANVS *XII Fastor. Libro* graphice perstringit:

Pullulat hac radice grauis discordia rixae;
Sunt etenim qui conceptus contagia in istos
Lapsa uelint, magnamque putent traxisse parentem
Fomitis antiqui uitium, cui fecit origo
Nomina. Sunt alii, quibus haec absurda uidentur.
Sicque duae ueniunt ista in certamina sectae;
Nonnunquam magno implentes subsellia risu.
Aequanimes autem uolumus si uera fateri,
Vanus uterque labor, pietas temeraria, praeceps
Religio, leuitas uelata scientiae amictu.
Nec natura potest illuc extendere uisum:
Nec DEVS hoc docuit, nec re dependet ab ista
Nostra Salus. Quae nos igitur dementia torquet,
Vt studeamus in his consumere litibus annos.

§. 33. *Iacobus de Quitrode*, Carthusianus, qui anno MCCCCXL floruit, *de Erroribus modernorum Christianorum* agens, uanitatem cultus tum sacri regnantis notauit: Propter idololatriam, *inquit*, ut peregrinationes, concursum ad statuas, conficta auaritiae causa miracula, et eiusmodi manifestas uanitates et impietates, derideri ab infidelibus nostram religionem, ac a Iudaeis multis; nostros etiam in fide languefieri, quod Christianis et praesertim imperitioribus proponunt illas manifestarias falsitates, erroresque, quibus a sacer-

dotibus, quaestus gratia, ludificentur, indeque eos et reliquae nostrae religionis uanitatem probari conari. Vid. *Catal. Test. Verit. Lib. XIX, fol. 1905, seqq.*

§. 34. Huc referas controuersiam *de Sanguine Christi*, inter Monachos enatam. *Iacobus* enim *Marchianus*, ordinis Minorum Professor Brixiensis an. MCCCCLXIII pro concione Festo Paschatis dixerat, *pretiosum Christi sanguinem in triduo passionis, dum iacuit in terra sparsus, indignum fuisse latriae cultu, quod fusus et a corpore Dominico separatus, hypostaticam unionem protinus amisisset.* Quod cum ordinis Praedicatorum monachi resciuissent, illi haeresis dicam scripsere. Vnde nouae inter fraterculos istos contentiones inanes ortae. Vid. BZOVIVM *ad an. Christi* MCCCCLXIII, *Sect. 1.*

§. 35. Huic noua an. MCCCCLXXXIII successit controuersia *de Stigmatibus S. Catharinae Senensis*, et *S. Francisci*, quam BZOVIVS *ad an. cit. Sect. 20*, grauissimam dicit. *Hoc anno*, inquit, *Sixtus Pontifex, duas grauissimas controuersias inter Regulares alios et Minoritas componere coactus est. Vna erat de Stigmatibus S. Catharinae Senensis D. Dominici institutum professae. Iactabant Minoritae, peculiare id S. Francisco uni et soli fuisse, ut stigmata Dominicae passionis mirando quodam modo expressa circumtulisset.* Praeualuerunt illi in principio apud Pontificem Minoritam, ut propositis poenis et censuris uetuerit, imagines eius Sanctae cum Stigmatibus pingi aut fingi; aut in publicum exponi; et si prostarent, stigmata deleri, abradi et amoueri. Vnde ingens ubique in Dominicanos persecutio, cum fidelium scandalo coniuncta tamdiu, donec ille anathemata sustulisset, et a persecutione Minoritas cohibuisset.

§. 36.

§. 36. Maioris momenti controuersia fuit *Hussitica*, quae ipsam Papatus acropolin petebat. Cuius historia cum prolixa sit, eam hic in compendium contraham. *Iohannes Hussus*, a uilla *Hus*, quod anserem significat, cognominatus, Professor Academiae Pragensis et in sacello Academico, Bethlehem dicto, Ecclesiastes, uir eruditus et uitae inculpatae, sub initium huius seculi, a duobus Anglis Theologiae Baccalaureis Pragam uenientibus, *Ioh. Wiclefi* Libros *de Realibus Vniuersalibus* acceperat. Hos ipse cum discipulo suo genuino *M. Hieronymo de Praga* euoluens, magis magisque in doctrina *Wiclefi*, quae in multis Waldensium placitis congruebat, confirmatus fuit; Papae regnum sacrum esse Anti-Christianum, a quo Cleri et Ecclesiae corruptio in omnes dimanarit. Huic alii etiam, occasione subtracti in S. Eucharistia calicis adstipulabantur. Igitur pro isto, zelo incensus, Papatum publice impugnare aggressus est. Cui nouam ansam ipse *Papa Iohannes XXIII* dederat; cum Bullas ad expeditionem cruciatam aduersus *Ladislaum*, Regem Neapolitanum, tum hostem suum promulgasset. Has ille an. MCCCXII, publice proposita disputatione, impugnauit, cuius argumentum praecipuum fuit: *utrum secundum legem Iesu Christi, liceat et expediat, pro honore DEI et salute populi Christiani, et pro commodo regni, Bullas Papae de erectione crucis, contra Ladislaum, Regem Neapolis, et complices eius, Christi fidelibus approbare?* Vnde uelut signo certaminis dato, magni animorum motus Pragae et in Bohemia excitati. *Hussus* uero cum sociis bonitati causae confisus, errores et abusus in Ecclesia Romana inolitos ac dominantes, cum disputando tum concionando strenue impugnare perrexit, foedamque Ecclesiae faciem, quam Cleri in primis uitio

tio induisset, manifestauit, attestantibus *Hussi Libris* Norimbergae coniunctim II Tomis editis. Lis illa, cum *Husso* XLV articuli Papali doctrinae repugnantes, ab aduersariis obiecti essent, ad *Alexandrum V*, Papam, deuoluta fuit. Vnde is ad causam dicendam, *Hussum* euocauit Romam; qui eo uenire recusauit. *Wenceslaus* tamen, Rex Bohemiae, rogatu *Sophiae* coniugis suae, cui *Hussus* a S. Confessionibus erat, legatos misit, qui absentiam eiusdem apud Pontificem excusarent. *Sigismundus* interim Fratrem *Wenceslaum*, cum Papa ad opprimendos Hussitas, minis etiam additis cohortabatur. Isto autem conniuente et iocante: *Hunc anserem aurea sibi ouа ponere*, indies aucto Hussitarum numero, Papaeque et Cleri auctoritate uilescente, *Sigismundus* Imperator an. MCCCCXIV, *Constantiae Concilium uniuersale* indixit. In quo, cum *Hussus* saluo, ut uocant, conductu instructus, ad defendendam ueritatem comparuisset; contra datam fidem, et quidem inauditus ad rogum cum *Hieronymo Pragensi* condemnatus et combustus fuit. Historiam hanc AENEAS SYLVIVS *in Hist. Bohem. cap. XXIV*, DVBRAVIVS *Lib. XXIII*, prolixius describunt. *Iohannes Cochlaeus* uero et *Varillasius* Gallus, eandem impudenter corruperunt. His paullo melior est NATAL. ALEX. qui *Hist. Eccl. Sec. XV et XVI, part. cap.* 2, falsis multa etiam uera admiscet.

§. 37. Combustis autem his duobus ueritatis diuinae testibus, ex eorum discipulis aliqui *Calixtini* appellati, (quorum *Rokyzanus* caput) articulum de necessaria communione sub utraque propugnarunt; aliqui *Thaboritae*, ab oppido Thabor dicti, *Procopio* duce, repurgationem Ecclesiae necessariam urserunt: *Orphani* aliqui ob mortem ducis sui appellati, ore

Vdalrici

Vdalrici Presbyteri, liberam praedicationem uerbi DEI requisiuerunt. His accesserunt *Picardi*, originem iuxta nonnullos e Gallia trahentes, qui a Thaboritis dissentiebant, licet Papatum infestarent. Ita his in partes scissis, multis inter se caedibus grassati sunt, testantibus *Belli Hussitici Scriptoribus.*

§. 38. Papaei interim inter se certarunt de ardua quaestione; *an Papa supra Concilium*; *an uero illi subiectus esse debeat?* Posterius Concilium Basileense affirmauerat; prius Papa eiusque parasiti omnes contenderunt. Papam nimirum esse supra Concilium Generale; nec a sententia Pontificis ad futurum Concilium appellari posse; etiam in iis, quae ad fidem pertinerent. Motus tamen in Bohemia maiores adhuc concitauit *decretum Concilii Constantiensis Sess. XIII, Iun. 15 anno* MCCCCXV, de communione sub una factum: *Quod licet Christus post coenam instituerit, et suis discipulis administrauerit sub utraque specie panis et uini hoc uenerabile Sacramentum: item, licet in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie; - - TAMEN HOC NON OBSTANTE, sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae seruauit et seruat*, scilicet *communionem sub una.* Sacrilegii huius praetextus uanissimi fuerunt quaesiti, periculum effusionis, prohibitio intinctionis, exempla communionis infirmorum et infantum, et haeresis eorum, qui alteram sine altera speciem non ualere sentirent, quales Bohemi. Vid. MABILLONII *Comment. in Ordinem Roman. cap. IX.* Puduit Concil. Basileense *Sess. XXX* eius decreti. Hinc caute decretum, permissa sic utraque: *siue sub una specie; siue sub duplici quis communicet, secundum ordinem et obseruantiam Ecclesiae, proficere digne*

communicantibus ad salutem. Vid. SPANHEMII *Epitom. Isagog. Histor. Eccles. N. T. Secul. XV, num. 4.* Bohemi autem cum restitutionem ablati calicis in S. Eucharistia urgerent, institutionem Christi moremque ueteris Ecclesiae allegantes; *Iohannes de Ragusio* asserere ueritus non est, Ecclesiam habere ius ac potestatem, dogmata et decreta diuina mutandi, ad usum εὐταξίας.

§. 39. *HAERETICORVM* censu, hoc aeuo, ut ante, omnes habiri, qui cum meretrice Babylonica communionem auersabantur, aut Papam Rom. pro Anti-christo agnoscentes, uel Suprematum eius, aut impura dogmata ac leri uitia impugnatum iuere. Vt *Wiclefistae*, *Hussitae* et similes mox nominandi.

§. 40. Tales sunt THABORITAE nomen ab oppido Thabor, quod eorum dux *Zisca* moenibus cinxerat, habentes: qui Io. Hussi doctrinam aduersus Papaeos acriter defenderunt. Si tamen uerum est, quod DVBRAVIVS *Lib. XXVI*, de iis commemorat, ab omnibus erroribus non fuerunt immunes. Conf. AEN. SYLVII *Epist. CXXX.* His apud *scriptores Bohemicos* iunguntur *Calixtini* quibus nomen a defensione *calicis* in S. Eucharistia inditum. Calicem illi in parietibus, in uexillis, in templis pingebant. Vnde Poëtae in istos lusus notus est Satyricus:

Tot pingit calices Boiemorum terra per urbes,
Vt credas Bacchi Numina sola coli.

Orebitae, itidem Hussitae, a monte quodam *Oreb*, quo congregari solebant, dicti, qui in sacrificulos crudeles extiterunt. Dux eorum *Brodericus*, Presbyter Strasmicensis fuit. Vid. DVBRAVIVM *Lib. XXIII.*

§. 41.

§. 41. ADAMITAE anno circiter MCCCCXX in Bohemia innotuere. Quorum autor *Pickardus* quidam, ex Gallia Belgica per Germaniam in Bohemiam penetrans, fuit. Qui assumto nomine *Adami* se DEI filium mentitus est, atque assecias suos *Adamitas* dici uoluit. Hi in insula quadam Danubii, ut Protoplastorum statum scilicet exprimerent, nudi incedebant, connubia promiscua permittentes. Quos *Ziska* Hussitarum dux omnes deleuit, duobus tantum in memoriam stolidissimae sectae reseruatis. Vid. AEN. SYLVII *Hist. Bohem. cap. XLI, XLII*, et NATAL. ALEX. *Hist. Eccles. Sec. XV et XVI, part. I, pag. 405.* Hos etiam *Piccardos* ab autoris patria appellatos fuisse constat. Conf. DVBRAVII *Lib. XXVI.* Quibus adiunguntur a Pontificiis duo innocentes piique uiri, *Petrus Dresdensis et Iacobus Misnensis*, qui Hussi doctrinam sectati, Papatum impugnarunt, ac *autores* uulgo *cantionum ecclesiasticarum*, *Puer natus in Bethlehem*; et *In dulci iubilo* etc. habentur. Conf. FLAC. *Cat. Test. Verit. Lib. XXIX, fol. 1836.*

§. 42. GVILIELMVS DE HILDERNISSEN, Ordinis B. Mariae de monte Carmelo Sacerdos, et *Aegidius Cantoris*, Belga, sectam, quae *Hominum Intelligentiae* dicta fuit, circa initium huius seculi condiderunt. Nam *Aegidius* ille asserebat, (1) se esse Saluatorem hominum, qui per se ipsum uisuri essent Christum, sicut per Christum, Patrem: (2) Diabolum omnesque homines tandem saluandos esse: (3) Omnes actus nefarios et actum carnalis copulae, delectationem Paradisi uocauit: (4) Tempus ueteris legis, tempus fuisse *Patris;* tempus nouae legis, *Filii;* et tempus proximum *Spiritus S.* esse. *Guilielmus* addebat, exteriorem hominem non maculare interiorem: DEVM esse ubique;

que, in lapidibus, in membris hominis, sicut in Sacramento Altaris: Resurrectionem amplius non sperandam esse, quod iam facta sit in Christo, cuius membra sumus, cum caput sine membris non resurrexerit. Hos aliosque errores uero postea an. MCCCCXII, coram *Petro de Alliaco*, Episcopo Cameracensi, reuocauit et eiurauit. Vid. NATAL. ALEX. *Hist. Eccl. Sec. XV, part. I, pag. 403, seqq.*

§. 43. AVGVSTINVS DE ROMA, Archiepiscopus, Nazarenus, ex ordine Fratrum Eremitarum, in libro *de Christo et Ecclesia*, has propositiones heterodoxas attulerat: (1) Christus quotidie peccat, et ex quo fuit Christus, quotidie peccauit; id uero non de persona Christi, sed de membris eius mysticis intelligi uoluit: (2) Non omnes fideles iustificatos esse membra Christi, sed solos electos finaliter in perpetuum cum Christo regnaturos esse: (3) Humanam naturam in Christo esse Christum, et eandem personam Christi: (4) Naturam humanam assumtam a Verbo, ex unione personali esse ueraciter DEVM naturalem et proprium. Quos errores *Synodus Basileensis Sess. XXII* damnauit. Vid. NATAL. ALEX. *Sec. XV, part. I, pag. 1 et 425.*

§. 44. *Ioh. Gerson*, ex *Iohannis Parui*, Nortmanni Theologi Parisiensis libello, cui titulus, *Iustificatio Ducis Burgundiae*, errores uarios excerpsit, quos inter praecipuus fuit monarchomachicus; quod subdito cuique liceat, Regem in tyrannum degenerantem interficere, uid. GERSON. *Tom. I, Opp. fol. 409.*

§. 45. PETRVS DE OSMA, siue OXONIENSIS, Theologus Salmanticensis, *Confessionem Sacramentalem* publice reiecit, quod a Christo non fuisset instituta. Deinde peccata mortalia una cordis contritione, prauas cogitationes sola displicentia deleri, docuit.

Quem

Quem *Alfonsus Carillius* Archiep. Toleranus, hac de causa aliis Theologis Compluti conuocatis, an. MCCCCLXXIX damnauit, tradente BANNESIO *Commentar. in II, Secundae Tom. Aquinat. quaest. I, art. X.*

§. 46. Crassiores fuerunt errores HERMANNI RVISSVICK, Batui: qui an. MCCCCXCIX Hagae Epicureismum seminauit: quod anima hominis simul cum corpore intereat; quod materia, ex qua elementa facta sunt, DEO fuisset coaeterna: quod Christus fuisset (absit blasphemia dicto) simplex homo et seductor aliorum; quod gesta Christi humano generi et rectae rationi fuerint contraria; quod Scriptura S. contineat figmenta. Ob haec et similia nefanda placita, ad rogum damnatus fuit, memorante PRATEOL. *Lib. IIX.* Vid. NAT. ALEX. *Sec. XV, part. I, pag. 430.*

§. 47. TRITHEM. *in Chron. Spanheim.* Sectam in Bohemia circa exitum huius seculi enatam memorat, quae *Fossariorum* (der Grubenheimer,) ideo appellata fuit, quod in fossis et speluncis noctu conuenirent, et uaga libidine, brutorum instar uterentur, ministros Ecclesiae contemnerent, Sacramenta irriderent, aliaque nefanda patrarent. His iunguntur *Fratres Bohemi*, qui disciplina Hussitica imbuti, a Rege *Bodebrazio* an. MCCCCLIIX precibus impetrarunt, ut in ditione Liticensi, in montanis Silesiae proximis, liceret ipsis, abdicatis superstitionibus, sacra sua obire, In hoc secessu, ad formam simplicitatis Apostolicae degere uolentes, se inuicem *Fratres et Sorores*, insuper habita dignitate titulorum, compellarunt. Ideo multae de iis calumniae sparsae sunt. Historiam eorum *Camerarius* peculiari libello descripsit.

§. 48.

§. 48. *CONCILIA* et *SYNODI* hoc aeuo plures conuocatae fuerunt. Inter quas *oecumenicis* annumerantur *Pisana*, *Constantiensis*, *Senensis* et *Basileensis*.

§. 49. *Pisana* anno MCCCCIX ad tollendum schisma, inter Anti-Papas ortum, ex consensu utriusque factionis Cardinalium celebrabatur. Nam tres simul Pontifices in illo schismate inaugurati fuerant, *Iohannes XXIII*; *Benedictus XIII*, et *Gregorius XII*, nec, BELLARMINO *Lib. IV, de Pontif. Rom. cap. 14*, fatente iudicari poterat, quis *eorum uerus ac legitimus esset Pontifex*; cum non deessent singulis doctissimi Patroni. In Synodo tamen haec contra *Gregorium* et *Benedictum* tanquam Pontificatu indignos, et notorios schismaticos sententia lata fuit, apud THEOD. NIEMIVM *Lib. III, de Schism. cap. 44, pag. 229.* In Sessione XVI, (al. XVII,) communi consensu decretum, eum, qui Rom. Pontifex eligeretur, non prius Synodum dissoluere debere, quam sufficiens facta sit reformatio uniuersalis Ecclesiae, statusque eius tam *in capite*, quam *in membris*. *Acta* huius *Synodi* EDMVNDVS RICHERIVS *Hist. Concil. General. Lib. cap. II*, recenset. De autoritate eius dubia, BELLARMINVS *Lib. I, Concil. et Eccles. cap. 8*, disputat. Conf. NATAL. ALEX. *Hist. Eccles. Sec. XV, Part. II, Diss.*

§. 50. *Constantiensis* Synodus in Historia celebrior est, quae a *Sigismundo*, Imperatore, et *Iohanne XXIII*, an. MCCCCXIII indicta ac sequenti an. MCCCCXIV, praesente etiam *Sigismundo* inchoata fuit. Huius conuocationis causas duas praecipuas fuisse, ex actis illius adparet; *una Ioh. Hussi* doctrinam, *altera* schisma Pontificum Rom. attinebat. In *Sess. IV et V*, decernitur, Pontificem Concilio subesse debere. In *Sess. X, XI, et XII, Iohannes XXIII*, Papa, deponitur. In

Sess.

Seſſ. XIII lex, de non praebenda laicis communione ſub utraque, lata eſt. In *Seſſ. XV*, Iohannes Huſſus non auditur contra fidem ipſi publice datam, et haereticus ad rogum damnatur; cum ante *Seſſ. VIII*, *Wicleſus* pro haeretico fuiſſet declaratus. In *Seſſ. XIX*, decernitur, haereticis non eſſe ſeruandam fidem. In *Seſſ. XXI*, *Hieronymus Pragenſis* cum *Huſſo* fato ad ignem damnatur. In *Seſſ. XXXIX*, decretum de reformanda Eccleſia, et curia Romana *in capite et membris* editum fuit. In *Seſſ. XLV*, et ultima, an. MCCC CXVIII habita, *Martinus V*, Papa nouiter electus omnia et ſingula decreta fidem concernentia adprobauit, eoque finem Synodo impoſuit. In qua praeter ducentos et ſeptem Epiſcopos, Cardinales XXIX, et Patriarchas IV, adfuere CCCCL mulieres publicae, barbitonſores DC, ioculatores, fiſtulatores et coci CCCXX. Bonorum autem uirorum (pergit GESNERVS *ex Paralipom. Chron. Vrsbergenſ.* loqui) numerum exprimere nullus poteſt, non ob frequentiam, ſed quod ob raritatem innumerabiles fuerint, conf. NATAL. ALEX. *Hiſt. Eccleſ. Sec. XV, Part. II, Diſſ. III et IV*, et in qua decreta *Seſſ. IV et V*, contra *Bellarminum* inprimis defendit.

§. 51. *Martinus V*, Papa, iuxta decretum Concilii Conſtantienſis, *Papiae* primum in Italia anno MCCC CXXIII Synodum inchoat; quam ob ingruentem peſtem, mox *Senas* tranſtulit. In qua de neceſſaria Eccleſia Catholicae reformatione, et Graecae ac Latinae Eccleſiae unione paruo cum fructu actum eſt. Nam poſtquam ſacrum in Huſſitas et Wicleſiſtas bellum continuandum Papa decreuiſſet, Eccleſiae emendatione in aliud Concilium reiecta Synodum diſſolvit.

uit. Vid. NAT. ALEX. *Hist. Eccl. Sec. XV, Part. III, Diss. VIII.*

§. 52. Maioris famae est *Concilium Basileense* Oecumenicum, quod ex *Decreto Synodi Constantiensis Sess. XXXIX Sigismundus*, Imperator, cum *Martino V*, Papa, an. MCCCCXXXI conuocauit, et *Eugenius IV*, *Martini* Successor, primum approbauit; licet postea cum de curiae Romanae emendatione ac autoritate sua agi coeptum esset, *Iulianum Caesarinum*, Cardinalem, legatum suum auocaret. Sex enim capita in *Sess. I* deliberationis praescribebantur: 1) *De Haeresibus exstirpandis;* 2) *De Vnione cum Ecclesia Catholica omni populo Christianam fidem profitente;* 3) *De docenda singulos Christiana et Catholica Veritate;* 4) *De Bellis inter Principes exortis Christianos sedandis;* 5) *De Ecclesia in capite et in membris reformanda;* 6) *De Veteri Disciplina Ecclesiastica, omni studio reducenda.* Episcopi ac Oratores praesentes secundum nationes, in quatuor Conuentus distincti, *Italicum* puta, *Gallicanum*, *Germanicum*, et *Hispanicum*, quos *Sacras Deputationes* dixere, iisque nomina a negotiis demandatis indiderunt; ut *Fidei*, *Pacis*, *Reformationi*, et *Communium.* Ex his quatuor Conuentibus duodecim uiri deputati, terni ex singulis, et doctrina et rerum peritia clariores, quorum magistratus menstruus erat. Finito quouis mense, quatuor ex antiquis remanebant, qui octo recens adlectos dirigerent. Hi ter in hebdomade conuenientes, res ante discussas uel reiecerunt, uel ad quempiam ex conuenientibus remiserunt. Praeses duodecim uirorum, cum maioris momenti res incideret, extra ordinem quatuor conuentus conuocare poterat, et quod demum approbatum erat in congregatione generali, id in formam decreti redactum, in publica

blica uniuersi Concilii Sessione, solenni ritu promulgabatur. In *Sess. II* Synodi Constantiensis *Sessionis IV et V* decretum, de immediata Ecclesiae et Concilii auctoritate supra Papam, ceu fundamentum rerum tractandarum assumtum fuit. Ideo Papa *Eugenius IV* Synodum hanc dissoluere molitus est, bullis publice promulgatis. Verum cum a patribus congregatis et ipso *Sigismundo*, Imperatore, semel iterumque grauiter moneretur, tandem *Sess. XVI* anno MCCCCXXXIV bullas suas de dissolutione Concilii publicatas reuocauit, ac *IV et V Sessionis* decretum Synodi Constantiensis admisit. Inde de capitibus supra propositis actum est. In *Sess. XXX* decretum ex Synodo Constantiensi de communione laicorum sub una specie panis, approbatum. In *Sess. XXXVI* anno MCCCCXXXIX declaratum fuit, *S. Mariam* Deiparam *immunnem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa.* Vnde et renouatum festum conceptionis *Mariae* in honorem S. Deiparae quotannis celebrandum. In *Sess. XXXIX Eugenio* deposito, *Amadaeus*, Sabaudiae dux, *Felix V* appellatus, in Pontificem electus, approbatus fuit. In *Sess. XLV* et ultima, anno MCCCCXLII habita decernebatur, ut triennio elapso, Lugduni in Gallia Synodus conuocaretur. Vid. NAT. ALEX. *Hist. Eccl. Sec. XV, Part. III, Dissert. VIII, art. II, seqq. In Dissert. seq. IX* de Controuersia super *Annatis* orta disserit.

§. 53. Anno MCCCCXXXVIII *Synodus Ferrariae* sub *Eugenio IV* inchoabatur, quae ob pestem ingruentem, *Florentiam* translata fuit. Causa eius praetendebatur reductio Graecorum ad Ecclesiam Latinam. Ideo et *Ioh. Palaeologus*, Imperator Constantinopolitanus, et *Iosephus*, Patriarcha, cum multis Episcopis eo uenere. In *Sess. I* disceptabatur, *an sit purgatorium?*

quod Graeci negarunt. Deinde de processione Spiritus S. a *Patre Filio*que disputabatur. Graeci tandem praesentes in unionem consenserunt: de qua multa LEO ALLATIVS *de Perp. Conf. Eccl. Orient. et Occid. Lib. III, cap. 1 et 2,* memorat. Formula unionis a *Iuliano* Cardinale Latine, a *Bessarione* uero, Niceae Archiepiscopo, et postea Cardinale, Graece praelecta atque ab utriusque Ecclesiae Episcopis praesentibus, excepto *Marco Ephesio*, qui unionis pacta improbauit, subscripta fuit. Vide *Historiam ueram unionis non uerae* SYLVESTRI SGVROPVLI, quam *Carolus Creygthon* Hagae Comitis anno 1660 publicauit. Graeci enim domum reuersi et a suis male excepti, unionis pacta irrita pronuntiarunt. *Georgius Scholarius* etiam sub finem *Libri de Processs. Spiritus S.* se post illam unionem, magis ab unione, quam antea dissensisse scribit. Vid. NATAL. ALEXAND. *Hist. Eccl. Sec. XV, Part. III, Diss. X*, et HEIDEGG. *Hist. Papat. Period. V, §. 141.*

§. 54. Rex Galliae, *Carolus VII*, cum Synodus Basileensis decreta pro reformatione Ecclesiae in capite et membris, et alia ad ipsum anno MCCCCXXXVIII misisset, *Auarici Biturigum Synodum* indixit, in qua *Sanctio*, quam uocant, *Pragmatica* cusa est. Cuius duo praecipua capita sunt: *Vnum*, quod Rom. Pontifex quoque decennio, Synodum generalem loco, quem uoler, posthac congreget; Si autem negligens sit, Patribus id iuris competeret: *Alterum*, Basileensis Concilii auctoritas, et ipsius decretorum constantia perpetua esto: quae nemo unquam, nec ipse Rom. Pontifex tollere, infirmare aut transferre praesumito etc. *Sanctionem* hanc *XXIII Titulis* constantem, *Cosma Guimierus* cum notis illustrauit; *Historiam* uero eius *Pinsonius*

nius, Aduocatus Parisiensis, descripsit. Papa *Eugenius* et *Pius II* quidem illam abrogare moliti sunt; sed Rex illorum molitionibus acriter restitit. Tandem *Ludouicus XI*, Rex Galliae, sibi persuadere passus est, ut, repugnante licet Senatu, et Academia Parisiensi, in abrogationem eius consentiret. Vid. RICHERII *Hist. Concil. General. Lib. IV, Part. I, cap. I*, et NAT. ALEX. *Hist. Eccl. Sec. XV, Part. III, Dissert. X.*

§. 55. *Toleti* in Hispania an. MCCCCLXXII *Synodus* propter morum cleri reformationem habita fuit, qua inter alia constitutum est: ne, non scienti loqui Latinaliter parochialis Ecclesia, aut canonicatus, aut dignitas alia Ecclesiastica conferretur: deinde quod clerici non debeant ludere taxillis; et quod decedentes in duello, sepultura Ecclesiastica carere debeant.

§. 56. *REGIMEN ECCLESIAE* sub initium huius aeui propter ipsos Pontifices turbidum fuit. Nam an. MCCCCIX in Concilio Pisano *Alexandro V* electo, Ecclesia Romana *triceps* facta est; cum *Gregorius XII*, et *Benedictus XIII*, abdicato sibi inuicem loco cedere nollent. Vid. HEIDEGGERI *Hist. Papat. Period. V, §. 139. Iohannes XXIII, Balthasar Cossa* ante dictus, post obitum *Martini* seipsum eligit: *Date mihi*, inquit, *Petri chlamydem, et ego dabo Pontifici futuro.* Oblata illa, eam suis humeris iniiciens, dixit: *Papa sum ego et non alius.* Qui cum criminum infandorum reus esset, in Concilio Constantiensi sede remotus, custodiae traditus fuit; (Vid. *Sess. IX et XII Concil. Const. et Platin.*) *Martinus V* exauctoratis simul tribus Papis, illi surrogatus est. Qui etsi paulo uideretur melior; in Wiclefitas, Bohemos, et Hussitas tamen saeuiit; cum ante uiuicomburium *Ioh. Hussi* et *Hieronymi Pragensis* approbasset. In Concilio Basi-

leensi *Eugenius IV Seſſ. XXXIV* Pontifex declaratur, *pacis et unitatis Eccleſiae* DEI *perturbator notorius, uniuerſalis Eccleſiae ſcandalizator, Simoniacus, periurus, ſchiſmaticus, a fide deuius, imo pertinax haereticus.* Hic Hungariae Regi, *Ladislao*, autor fuit, ut pacem cum Turcis factam uiolaret. Vnde luctuoſa Chriſtianis ad Varnam clades ſatis decantata illata fuit, quam Poëta ingenioſo Epigrammate expreſſit:

Romulidae Cannas ego Varnam clade notabo:
Diſcite mortales non temerare fidem.
Me niſi Pontifices iuſſiſſent rumpere foedus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora iugum.

Conf. CHALCOCOND. *Lib. VI, et VII*, et BZOV. *anno* MCCCCXLIV, *Sect. 96. Thomam Rhedonium* Carmelitam, pium certe uirum flammis tradidit, quod in concionibus dicere ſolitus eſſet: Romae magnas abominationes fieri, et ideo Eccleſiam reformatione indigere. Vid. BAPTIST. MANT. *de Vit. Beat. cap. ult. Eugenium* excepit *Felix V*, dux Sabaudiae primus, Baſileenſis Concilii auctoritate electus Pontifex, qui pertaeſus mox confeſſionis iſtius terrae a *Nicolao V*, ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut ſeſe Papatu abdicaret. Hinc *Nicolaus V* Papa factus, qui literas et literatos quidem fouit; ſed tamen uitia in eo grauiora notauit VOLATERRANVS *Lib. XXII, pag. 517.* Quum poſt eius exceſſum *Calixtus III* an. MCCCCLV, electus eſſet Pontifex, *Dominicus Capranicus* dixit: *Quam fatue fatui fatuum creauere*, teſte IAC. SPIGELIO *Scholiis ad Aeneae Syluii comment. pag. 271.* Per totam Europam Praedicatores cruciatos dimiſit, qui ad bellum aduerſus Turcas populum excitarent. Ipſe autem ambitione turgidus, pro *Petro Borgia* ſororis filio regnum

Insonderheit ist Pii II Brief an den türkischen Kayser Mahomed II, da Constantinopel erobert hatte, merkwürdig, in welchem er ihn zur Annehmung der röm. Religion zu bereden sucht. u. ihm das kayserl. Titul, wie ehmahls Leo dem Carolo, beylegt verspricht, u. dagegen seine Hoffnung, wenn er es nicht thun würde. Er ist in 39 Bl. unter seinen Briefen in der basil. Ausgabe s. Werke. Man hat ihn sogar dieser Briefe halber in Verdacht gezogen der röm. Religion nicht die Mahomedaner gewonnen (s. Fabr. Syll. Script. de Ver. R. C. p. 470) aber es hat ihm schwerlich eher zugetraut werden müssen, auf den Einfall zu gerathen, da man ihn für die röm. Kirche hielt, ist nur ein Kobelmarck. Auf den Concil. Basil. hat er sich selbst mit breitlich was in Aufnahme der Kayserl. Gerechtsame geworden. Denn er war da nur als ein Notarius. Aber er hatte all ein Gelehrter s. Verrichtungen dasige genau beobachtet, aber privatim, disputirt, was Gutes gestiftet wurde. Er schrieb viel Böses heraus in der Absicht Ruhe zu stiften. Er wurde als Cardinal abgewiesen, weil sich der nöthige Kayserl. Freundschaft gebrauchen lassen. Er scheint nicht sehr beliebt gewesen zu seyn. Er starb 1464 in Ancona. Sein Herz ist in Rom in Ara Coeli aufbehalten worden. Damit ist parallel, was zwischen Pius, als er noch Cardinal war, u. dem brandenburg. Juristen u. Canzler Joh. Meyer vorgegangen ist, der ihn auch sehr beliebt u. sein Freund war. Er schrieb an ihn einen Brief, worin er über den grossen Hauf Klagte, der in Teutschland angerichtet hätte, wenn auf ihn der Cardinal in der Schrift de ritibus, moribus et conditione Germaniae antwortete.

gnum Siciliae ambiuit, *Annatas* praetextu belli Turcici ab Episcopis exegit. Quae causa inter alia Germaniae Principes mouit, ut conuentu Rhenano instituto, *Grauamina Nationis suae*, contra sedem Romanam conciperent, de quibus AENEAS SYLVIVS *in Epistolis* memorat. In *Epistol. CCCLXXXIII*, ad Concellarium Moguntinum *Martin. Mayerum* scribit: *Fatemur aliquando in Romana curia, quam regunt homines, aliqua fieri, quae digna essent emendatione; nec dubitamus ipsos Romanae Vrbis Praesules etiam, in quantum homines, falli, errare, labi ac decipi posse, Romae 10 Augusti anno 1457.* Sed postquam *ex Aenea Syluio*, praeter expectationem factus esset Papa *Pius II*, (factum id uero anno MCCCCLIIX,) aliter sensit. Nam ante Pontificatum adeptum, pro Concilio Basileensi; Papa uero constitutus aduersus illud sensit, decretum promulgans, quod appellantes a Rom. Praesule, ad futurum Concilium, tanquam haeresis fautores et laesae maiestatis rei sint plectendi, teste 10. GOBELLINO *in Comment. Pii II.* Cetera tamen melior fuit antecessoribus suis. Optauit etiam Sacerdotum coniugia restitui. Vid. PLATIN. *in eius Vit.* et SABELLIC. *Ennead. VI, 10.* Successor huius *Paulus II*, ingenio bardus, auarus et superbus, literarumque bonarum contemtor, Platinae aliquando dixit: *Ita nos ad iudices reuocas, acsi nescires, omnia iura in scrinio pectoris nostri collocata esse? Sic stat sententia, loco cedent omnes, eant, quo uelint, nihil moror. Pontifex sum, mihique licet aliorum acta pro animi arbitrio et rescindere et approbare.* Vid. PLATIN. *in eius Vit.* Die inter crapulas consumta, lapsu repentino apoplectico extinctus fuit, *Sixtus V*, patre piscatore genitus, literatos fouit. Festa *Conceptionis*

et Praesentationis Mariae, Annae, Ioſephi et *Franciſci* inſtituit, ac *Iubilaeum* ex quinquageſimo, ad annum XXV contraxit, ut largiores indulgentiarum prouentus eſſent. Aliquando theſauro ſuo familiari *Francisco Aragonio* oſtenſo, dixit, *Petrum et Paulum his ornamentis caruiſſe*: ubi pari libertate Aragonius repoſuit: *Nec tu quidem Pontifex, Petri ſucceſſor, claudicanti dicere poteris: Surge et ambula.* Vid. EGNATII *Lib. VI, Exempl. pag. 203*, conf. HEIDEGG. *Hiſt. Pap. Per. V, §. 146.* Poſt eius obitum an. MCCCCLXXXIV *Innocentius VIII*, Genuenſis, Pontifex factus, liberos nothos ſuos palam iactauit, ac diuitiis honoribusque ornauit. Vnde Marullus;

Octo Nocens pueros genuit, totidemque puellas,
Hunc merito poterit dicere Roma PATREM.

Conf. VOLATERR. *Lib. XXII*, et PANVINIVM *Appar. ad Platin. pag. 327, ſeqq.* Hic Norwegis, propter uini inopiam, permiſit, ut ſub panis tantum ſpecie Euchariſtiam celebrarent. Vid. VOLATERR. *Lib. VII, Geograph. p. 159.* Multo ſceleratior eius ſucceſſor *Alexander VI*, quem GVICCIARDINVS *Lib. I*, a turpiſſimis moribus deſcribit, et MACHIAVELLVS *de Princip. cap. XIIX*, hominum deceptorem uocat. Spurium ſuum *Caeſarem Borgiam*, et notham ſuam *Lucretiam*, diuitiis et honoribus auxit, eiusque turpi conſuetudine uſus eſt. Vnde *Sannazarius* epitaphium illi fecit;

Hic iacet in tumulo Lucretia, nomine, ſed re
Thais; Pontificis filia, ſponſa, nurus.

Vid. VOLATERR. *Lib. XXII.* Hic *Hieronymum Sauonarolam* ad rogum damnauit, quod curiam Romanam et clerum, pro concione libere taxaſſet. Vid.

COMI-

von Alex. VI. Staatsschatz, worunter sein Handel mit d. Türkey Bajazeth II. Bruder
merkwürdig ist, hat man ganz bisher, sonderl. seit d. Engländer Alex. Gordon
lebte daselbst u. seine Papiere d. Lauf ins ganz. Abendland, gründlich wird, so,
einmal alle d. Original-Documente genommen ist.

COMINAEI *in Hist. Caroli VIII Lib. V*, et IO. FR. PICI MIRANDVLANI *Apolog.* pro innocentia *Sauanarolae.*

§. 57. *DISCIPLINAM* aeui huius corruptissimam arguunt Conciliorum consultationes pro reformanda Ecclesia, cum in capite, tum eius membris necessaria. ROLVINCKIVS *in Fascic. Temp. p. 87*, clarius corruptionem hanc describit: *Conscientia pura*, inquit, secundum DEI timorem olim in Praelatis uigens Ecclesiam Christi laudabiliter more uita et exemplo erexit et peruexit. Dehinc successu temporis cum iam Ecclesia in temporalibus abundare coepisset, oblita quodammodo de *conscientia; scientia*, quae inflare solet, multos in Ecclesia fecit, qui S. Scripturam, diuersis uersutiis palliantes, iustitias Domini rectas, quae cor laetificare consueuerunt propter delicias carnis falsificare non timebant: Multas haereses seminabant et plura beneficia pinguia, per Papam dispensando cumulabant. Veruntamen aliqui, licet pauci, *con*, cum *scientia* retinentes, conscientia pura et scientia sana illuminati, multos ad iustitiam erudiunt, qui iam quasi splendor firmamenti in aeterna felicitate rutilare creduntur. Sed heu! nefandis his temporibus *con*, cum *sci*, de conscientia abrasis, solum *entia*, sponsam Christi gubernare uidemus; personas uidelicet *conscientia scientia*que carentes, et uelut *entia* insensibilia, nec DEVM, nec sanctos eius uerentes, beneficia super beneficia sibi usurpare. AENEAS SYLVIVS *Epist. CIV* ad *Caspar. Schlickium* scribit: *Omnes hanc fidem habemus, quam nostri Principes, qui si colerent idola, et nos etiam coleremus, et non solum Papam, sed Christum etiam negaremus, seculari potestate urgente; quia refrixit charitas et omnis interiit fides.* Culpa haec tamen, a

cordatis istius aeui Theologis, in ipsum clerum coniicitur. Nam *Ioh. Syringius* cum *Keisersbergio*, Argentinensium doctore feruido et pio, saepius dixit: Der Pfaffen Thun wäre nicht recht, sie müßten fallen. Et *Tilemannus Spangenberg*: Sie sollen seyn Seelsorger, so seynd sie Leib- und Seelwürger. Vid. FLAC. *Cal. Test. Verit. Lib. XIX, f. 1921.* DIONYS. CARTHVSIANVS *in Expōsit. cap. I Daniel. sub fine p. 701*, exclamat: *Heu! heu! ad quantum lapsum uenit hodierna die Ecclesia propter reprobam uitam clericorum.* Vnde hoc seculo toties reformatio in *capite* et *membris* Ecclesiae postulata, sed non obtenta fuit. Conf. HEIDEGGERI *Histor. Papat. Period. V, §. 147*, FLAC. *Catal. Test. Verit. Lib. XIX*, et ipsum BZOVIVM *ad an.* MCCCCXCII, *Sect. 20.*

§. 58. *PERSECVTIONES* Romani Antichristi inprimis *Ioh. Hussus, Hieronymus Pragensis*, et horum asseclae, sub huius aeui initium senserunt. Sed cum illi uiuicomburio fuissent sublati, Hussitae duce Zisca, uicissim in Papicolas bello longe lateque grassati sunt; iniurias sanctis illis martyribus illatas ulturi. Vid. AEN. SYLVII *Hist. Bohem. cap. 47*, AVENTINI *Lib. VII, fol. 652*, et THEOBALDVM *de Bell. Hussit.* Ceterum in laudatis martyribus constantiam, in morte demonstratam, peculiari epistola luculenter *Leonhardus Aretinus* descripsit. Et AEN. SYLVIVS *Histor. Bohem. cap. 26*, de eadem testatur: *Pertulerunt ambo constanti animo necem, et quasi ad epulas inuitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes uocem, quae miseri animi posset facere indicium. Vbi ardere coeperunt, hymnum cecinere, quem uix flamma et fragor ignis intercipere potuit. Nemo philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quam isti incendi-*

um

um. Memorabilia etiam sunt duorum laudatorum martyrum *uaticinia:* quorum ille in mediis flammis anno MCCCCXV, die 6 Iul. Constantiae, *hodie*, inquit, *Hussum*, (anserem Bohemis notat,) *crematis: post centum annos cygnus ueniet, quem comburere non poteritis:* Hic an. MCCCCXVI, die 30 Maii contenta uoce professus est: *Carnifices suos post centum annos sibi responsuros esse.* Ita ex STVMPFII *Chronic.* ABR. SCVLTETVS *Annal. Euangel. Decad. I, p. 6.* Vnde Bohemi desiderio *Hussi*, numismata cuderunt, inscriptione postremorum eius uerborum signata: *Post centum annos, respondebitis DEO et mihi.* Et his exactis, apparuisse *Lutherum*, testis est *Petrus Matthaeus*, Scriptor Pontificius non incelebris.

§. 59. *Hieronymi Sauonarolae*, uiri doctrina et pietate insignis, martyrium supra memorauimus. Is scelera Papae et curiae Romanae procerumque Florentinorum impietatem publice taxauerat. Hinc odium illorum incurrit, ut obtentu magiae, haeresis et proditionis, tormentis non tantum subiiceretur, sed et ad rogum an. MCCCCXCIIX damnaretur. Innocentiam eius *Ioh. Picus Mirandulanus peculiari Libro* aduersus Pontificem demonstrauit. Viri autem pietatem et constantiam PHIL. COMINAEVS testis αὐτόπτης *Commentar. Lib. VIII, cap. 2*, laudat. Conf. WOLFII *Memorabil. Tom. I, fol. 927.*

§. 60. Non mitiora fata *Christianorum*, sub *Turcico* imperio fuerunt; Constantinopoli an. MCCCCLII (aliis MCCCCLIII,) expugnata. BZOVIVS *ad annum* MCCCCLIII. *Isiodori Cardinalis Rutheni* Θρηνωδίαν περὶ τῆς ἁλώσεως plane grauem excitat. AENEAS etiam SYLVIVS *Epist. 13, 152 et 162*, calamitatem Graecorum horrendam, quam post captam Constantinopo-

lin passim sustinuerunt, describit. Conf. CHALCOCONDYL. *Lib. IIX*, LEVNCLAV. *Lib. XV*, et BESOLDI *Histor. Constantinopol. pag. 779, seqq.*

§. 61. *MEMORABILIA* omnia huius seculi compendium non capit. Potiora ergo paucis tantum uerbis attingemus: Qualia sunt 1) Pontificum Rom. inter se schismata ac ambitiosa tyrannis; 2) Concilii Basileensis decretum solenne, *Papam Rom. infra Concilium esse;* 3) Vnio Graecae Ecclesiae cum Latina seu Romana frustra tentata; 4) Clades Christianis ob perfidiam, in pugna Varnensi, a Turcis illata; 5) Constantinopolis expugnatio Imperio orientali et Christianis fatalis; 6) Imperii Trapezuntini (a Trapezunto, Cappadocia urbe, sic appellati,) a Muhammede an. MCCCCLX facta euersio; 7) Literarum meliorum cultura, post Constantinopolin captam, a Graecis exulibus in Italia restaurata; 8) Maurorum et Iudaeorum in Hispania durissima sors, a Rege *Ferdinando* Catholico *Inquisitionis*, quod dicunt, barbaro *officio* instituto; quo an. MCCCCXCII centum et uiginti duo mille familiae in exilium electae sunt; 9) *America* per *Christophorum Columbum*, *Ferdinandi* Catholici et *Isabellae* auspiciis an. MCCCCXCII detecta; 10) *Typographia* per *Iohannem Guttenbergium* et *Ioh. Faustum*, ciuem Moguntinum, an. Christi circiter MCCCCXL, rei literariae bono, inuenta, anno MCCCCL Latina Biblia primum impressa sunt; 11) Multae rerum conuersiones in politia memorabiles, quae in historia ciuili passim annotatae leguntur.

§. 62. Summatim dicendo, in huius aeui historia scena panditur, in qua tum Rom. Anti-Christi, eiusque complicum ambitio et scelera, tum qui ab Ecclesia Romana dissensere, persecutiones et dirissima uiui-

comburii

comburii supplicia contemplari datur. Nam ueritatem coelestem profiteri, aut contra Papatus crimina uel hiscere, uel uitae probitatem in clero requirere, crimen morte piandum erat. Equidem in ipso regno Anti-Christiano non defuerunt, qui uecordiam et superbiam Pontificum Rom. coërcere molirentur, Conciliorum autoritatem super ipsos extollendo. Verum ut fixum ratumque maneret, imperium Papale ἀνυπεύθυνον esse; illi pertinacem ambitionem induere pro causa, regnumque sacrum tyrannicum, artibus uariis et sectionibus munire non cessarunt, imperium in mentem, partem hominis nobilissimam, quae sola mancipio non datur, ac seruire nescit, affectantes. Quid? o sacrilegium! Christi sanctissimum in Eucharistia institutum, sanctione illi aduersa *de Communione* quam *sub una* uocant, mutilare non dubitarunt. Etsi bellum Hussiticum diuinae ultionis exemplum satis luculentum, quod multo Bohemorum et Germanorum sanguine constitit, eos monere debuisset; quantum scelus sit, usu sanguinis Christi laicos priuare, et innocentes afficere martyrio. Maius irae diuinae documentum, expugnatio Constantinopolis, qua tot Christianorum millia iugo Turcico submissa stertentibus uelut Christianorum principibus praebuit, qui otiosi tantam rei Christianae iacturam spectarunt. Ita fatalis torpor homines, quando DEVS peccata eorum punit, occupare solet. Christo tamen in hac temporum calamitate, et uitiorum colluuie, sanctum remansit semen, quod furor hostium exstirpare haut ualuit.

PERIODI V

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QVAE EST

ECCLESIAE REPVRGATAE AVT REFORMATAE

CAPVT I.

DE

SECVLI XVI HISTORIA

INGRESSVS

Aggredimur *seculum*, quo, si Ecclesiam respicis, nullum aliud inde ab aeuo Apostolico, magis insigne fuit Tanta enim rerum Christianarum conuersio facta est, quanta post Apostolorum tempora in Ecclesia haut contigit. Regnum tenebrarum sub Papatu hactenus inualuerat, et qui aduersus illud aut Romani Veiouis tyrannidem hiscere ausi erant, aut ad rogum damnati, aut si Principes, excommunicationis fulmine prostrati fuerunt; unde ubique gentium querimoniae de corruptelis Rom. Ecclesiae ac Pontificis tyrannide auditae. Sed qui malum reprimere posset, nemo inuentus erat. Donec DEVS Ecclesiae misertus, contra hominum opinionem, *Martinum Lutherum* uirum inuicti et plane diuini animi excitaret: ut, quod ante tot piorum uotis ac postulationibus expetitum fuerat, propitio perficeret fato. Diuinum hoc opus *Reformationis* est. Quod cum a multis, tum ab illustri SECKENDORFIO *iustis Commentariis*

metariis descriptum fuit. Ex illis ergo pro instituti mei ratione, potiora hic tantum annotabo, nouo ob rerum copiam narrationis ordine usurus: Hoc est, uniuersam huius seculi historiam secundum temporum certa interualla, in *Sectiones nouas sex*, dispescam, ut discentium memoriae quodammodo consulatur.

PERIODI V

SECTIO I

§. 1

In *prima Sectione*, statum Ecclesiae, qualis ab initio huius aeui, usque ad annum XVII, quo *Lutherus* Reformationis opus aggressus est, paucis delineabo.

§. 2. Ac quod *SCRIPTORES* primum attinet, qui hoc tempore claruerunt, omnes recensere, aut eorum etiam opera annotare, compendii nostri ratio non permittit. Igitur praecipuos saltem nominasse sufficiat. Hos inter clariores sunt, *Iohannes Reuchlinus*, siue *Capnio*, patria Phorzensis, gente Germanus; *Iohannes Trithemius*, Germanus, primum Spanheimensis deinde Herbipolensis Abbas; *Albertus Cranzius*, Hamburgensis Canonicus; *Iohannes Ludouicus Viues*, Hispanus; *Baptista Mantuanus*, Italus, Monachus eruditus; *Iohannes Auentinus*, Boius, seu Bauarus; *Iacobus Clichtoueus*, Neoportunensis; *Guil. Budaeus*, Galliae literatae decus; *Desiderius Erasmus Roterodamus*, princeps eruditorum huius seculi; *Petrus Galatinus*, ex Iudaeo Christianus in Hispania factus; *Franciscus Ximenius*, Cisnerensis Hispanus; *Thomas de Vio*, a patria Caietanus appellatus; *Thomas Morus*, Angliae Cancella-

cellarius; *Martinus Lutherus*, Islebiensis Saxo; *Petrus Mosellanus*, *Beatus Rhenanus*, *Iacobus Wimphelingus*, *Longolius*, *Simon Grynaeus*, *Io. Langius*, Westphalus; *Bilibaldus Pirckheimerus*, Germanus, et alii. Conf. CHYTRAEVM *Chron. Saxon. Lib. III, fol. 48, seq.* HOTTING. *Histor. Eccl. Secul. XVI, Sect. III*, et SCVLTETI *Annal. Euangel. pag. 2, 3 et 4.*

§. 3. *DOCTRINA*, quae seculis Christianismi antiquissimis ab ipso Christo eiusque discipulis tradita, atque ab illorum sectatoribus in Ecclesia asserta primum fuerat, plusquam Cimmeriis tenebris inuoluta mireque contaminata erat post *Constantini M.* Imperatoris aetatem: ut pauci admodum superfuerint, qui uerbum coeleste rite tractarent, aut uiam ad DEVM, quam Christus monstrauerat, insisterent. Tanta quippe barbaries regnare coeperat, ut Abbas *Neuhusani* monasterii, *in Vangionibus* dixerit: Wenn Luther nicht kommen wäre, sie hätten die Leute überreden wollen, daß sie Heu gefressen hätten. Idem de quodam Canonico Herbipolensi MELCH. ADAMI *in Vit. Theol. pag. 845*, memorat. Qui tum Ecclesiae praecerant Pontifices, *Alexander VI*, *Iulius II*, et *Leo X*, foedae libidini, luxuriae et sceleribus dediti, religionis curam abiecerunt; quippe quae illis ludus aut pro fabula erat. Conf. BVDAEI *Librum V, p. m. 642*, et RICHERIVM *Lib. IV Hist. Concil. General. Part. II, p. 29.* In *Concilio Lateranensi*, quo de emendatione Ecclesiae agi debebat, conclusum demum fuit *animas hominum esse immortales*, nec *de Aduentu Anti-Christi* amplius disputandum esse. Vid. FRANCISCI A CARIOLANO *Summ. Conc. f. 902.*

§. 4. In hoc igitur corruptissimo Ecclesiae statu, non tam haeresis quam superstitiosus Epicureismus nata-

notatur: Nisi uelis haeresin dicere, quod *Iulius II*, Papa, in Concilio Lateranensi Pisanorum Cardinalium institutum, de reformanda Ecclesia, *haeresin extinguendam* pronunciauit. Vid. RICHERII *Hist. cit. Lib. IV, part. II, p. 59.* Quatuor tamen haeresiarcharum Ordinis Praedicatorum, Bernae in Heluetia combustorum historiam memorabilem HOTTINGERVS *Hist. Eccl. Sec. XVI, Sect. III, pag. 334, seqq.* memorat.

§. 5. *CONCILIA* autem imperante *Maximiliano I* duo ad emendandum Ecclesiae statum indicta, unum *Pisanum*, alterum *Lateranense* uocatur.

§. 6. Quod *Pisanum* attinet, autores illius fuere *Maximiliamus I*, Imperator, et *Ludouicus XII*, Rex Galliae. Imperator enim princeps optimus cum flagitia et dedecora cleri detestaretur, ex officio, Pontificem et Clericos in ordinem redigere laborauit, et collectis anno MDX centum grauaminibus aduersus curiam Romanam, cum Rege Gallae de Concilio Pisano, pro necessitate et utilitate Reipublicae Christianae contra *Iulium II*, Papam, consilia agitauit. Ideo in *Insubria*, cum Cardinalibus congregatis deliberatione habita, tum nomine Imperatoris et Regis Galliae, tum nomine Cardinalium, Cal. Sept. MDXI *Pisis* Synodus congregata fuit. Papa uero *Iulius II* animaduertens, eo suae maxime autoritati derogari, *Maximilianum* a Gallo abstraxit, effecitque, ut is cum *Ferdinando* Catholico, Rege Hispaniae, omnem istius Synodi autoritatem aboleret. Vid. P. BEMBI *Hist. Lib. XII, pag. 507*, et GOLDAST. *Const. Imp. Tom. III, fol. 484.* Quo facto, Pontifex Regem Galliae sibi obnitentem diris deuouit. Vid. P. SVAVIS *Hist. Concil. Trid. Lib. I, p. 4.* Enimuero is contraria obnuntiatione diras reuicit, cuso etiam nummo aureo, qui titulos Regum Fran-

ciae

ciae regnique Neapolitani cum effigie sua ex una parte referebat cum elogio: *Perdam Babylonis nomen*, memorante THVANO *Lib. I Hist. initio.* Sed *Philippus Decius*, ICtus Mediolanensis, Pisanum Concilium defendit, apud RICHERIVM *Lib. IV Hist. Concil. Gener. p. 167, seqq.*

§. 7. Papa tamen ne promissi, intra biennium Synodi generalis habendae, immemor uideretur, an. MDXII *Concilium* in *Laterano* indixit *nouum.* In quo, ut diximus, missa emendandae Ecclesiae cura, decretum fuit, *animas esse immortales, et de aduentu Anti-Christi non amplius esse disputandum.* Hoc *Maximilianus I*, et Rex Galliae ob certos respectus ciuiles, in gratiam Pontificis tandem approbarunt, Etsi Episcopi tandem Italia, curiae Romanae assecłae, ad illud conueniissent. *Et haec est illa*, inquit RICHERIVS iam laudatus, *eximia et tantopere Christianis nationibus, a ducentis annis exoptata reformatio, uel, ut uerius dicam, abusuum curiae Romanae incrustatio et inuolutio.* Conf. HOTTING. *Hist. Eccl. Secul. XVI, Sect. III, p. 908, seqq.*

§. 8. Eo adhuc durante, *Iulius II*, Pontifex militaris dictus, die 21 Febr. anno MDXIII uiuis excesserat; in cuius locum *Iohannes Medicaeus*, qui nomen *Leonis X* assumsit, surrogatus fuit. Qui continuato illo Concilio, in *Sess. XI*, anno MDXVI, Synodi Constantiensis et Basileensis decreta atque Sanctionem Pragmaticam abrogauit. Verum Academia Parisiensis hac de causa a *Leone* ad Concilium prouocauit. Vbi dignum id notatu uidetur, quod, dum hoc Concilium, quo summa iterum potestas Papalis asserta fuit, anno MDXVII, mense Martio finiretur; Cal. Nouembr. eiusdem anni, *Lutherus* diuinis auspiciis sanctum Reformationis opus exorsus sit. Id quod *Iohannes Hilten*, Mona-

Monachus Franciscanus, anno antecedente praedixerat, initium fore inclinantis Papatus. *Melanchton* uidisse se enarrationem Danielis, manu *Hilteni*, et in ea uaticinium hoc scriptum, refert *in altero Epistolarum Libro, p. 81.* Conf. *Apolog. August. Confession, pag. 126, 276,* cum quo etiam supra recitata *Hussi* et *Hieronymi Pragensis*, cum martyrium subirent, praedictio congruit.

§. 9. Multi hac rerum tempestate, reflorescentibus inprimis meliorum literarum studiis, deprehenderunt, se in tenebris uersari, foedamque barbariem hactenus Religionem Christianam obscurasse et obruisse. Vnde illis taedium mouerunt inania caeremoniarum, ac ad friuolam potius subtilitatem, quam solidam pietatem adornata Theologiae uulgaris scita. Superstitiones quoque, queis monachorum uulgique animi irretiti fuerant, doctioribus et piis sensim innotescebant. Mores itidem sacri ordinis a summo ad imum, non minus exosi quam despecti, autoritatem cleri iam imminuerant; dum Episcoporum multi negotiis aularum impliciti, multi per ignauiam, luxum et uenationem, infulam prostituissent sacram: et *Alexandri VI*, *Iulii II*, qui nuper Pontificatum gesserat, memoria ob libidines, auaritiam et morum insolentiam, plerisque detestabilis fuit. Nec meliorem se praebebat *Leo X*, infandae Veneris masculae infamis; etsi bonas literas et literatos foueret, ac ideo ab his etiam laudatus fuerit. Conf. HOTTING. *Hist. Eccl. Sec. XVI, Part. I, Sect. III, pag. 538, seqq. et pag. 644, seqq. et Part II, cap. 1.* Talis cum esset Ecclesiae facies, iam prope erat, ut DEI benignitate, superstitioni et tyrannidi Papali modus aliquis aut finis poneretur. Cum enim lateres duplicantur, uenit *Moses*. *Moses* autem Germaniae fuit *Lutherus*.

PERIODI V.

SECTIO II.

§. 1.

Secundam Sectionem ab anno MDXVII ordimur, quae ortum, progressum et obstacula *Reformationis* a *Lutherio* coeptae usque ad annum huius aetui XXX, quo Augustana Confessio exhibita fuit, continet.

§. 2. De *SCRIPTORIBVS*, qui hoc temporis intervallo claruerunt, prolixe commemorare hic non vacat. Post *Lutherum*, *Philippus Melanchthon*, communis Germaniae Praeceptor appellatus, fuit praecipuus. Horum deinde vel discipuli, vel paraphrastae plures in eorum *Libris*, *Epistolis* et *Historia* celebrantur. Quos inter *Georgius Spalatinus*, *D. Bugenhagius*, *D. Georgius Maior*, *D. Casp. Cruciger*, *D. Nic. Amsdorfius*, *Andr. Cnophius*, *Vitus Theodorus*, siue *Dietericus*, *Paulus Speratus*, *Paulus Fagius*, *Andreas Osiander*, *Caspar Hedio*, *Ioh. Brentius*, *Martinus Bucerus*, et alii, in *Historia Lutheranismi*, a *Seckendorfio* passim laudati. Vid. PANTALEONIS *Prosopogr. Lib. III*, MELCH. ADAMI *Vit. Theolog.* Inde *Vlricus Zwinglius*, *Io. Oecolampadius* et alii in *Helvetia* reformationem Ecclesiae exorsi. Quos HOTTINGER *Hist. Eccles. Sec. XVI, Part. II, cap. 3*, commendat. *Antagonistarum Lutheri* nomina apud Pontificios clara sunt, *Iohannes Eccius*, Ingolstadiensis, *Sylvester Prierias*, Romanus, *Iacobus Hochstrat*, Louaniensis, *Conradus Wimpina*, *Hieronymus Emserus*, *Ioh. Cochlaeus*, *Iacobus Latomus*, *Iac. Faber* Stapulensis, et similes ieiunae theologiae magistri,

ſtri, in Lutheri ſcriptis apologeticis crebro nominati et confutati.

§. 3. Nobis ad ipſa auſpicia *Reformationis* progrediendum, quaque occaſione data, *Lutherus* tantum aggreſſus ſit opus, exponendum uenit. Nimirum Pontifex Rom. *Leo X*, immodico luxu et profuſis largitionibus, aerarium exhauſerat ſuum. Igitur *Laurentium Puccium*, Cardinalem, in conſilium adhibuit: unde iterum ſupplendo aerario pecunia conflari poſſet? Hic *indulgentias*, toto orbe Chriſtiano, et maxime in Germania praedicandas nominauit. Vnde iuſſu Papae indulgentiarum nundinatores, diplomatibus eius hac de cauſa promulgatis, dimiſſi ſunt. Vid. PETR. SVAVIS, ſeu PAVLI SARPII *Hiſt. Concil. Trid. Lib. I, pag. 4, ſeqq.* In *Germania* uel *Saxonia* potius, id muneris *Albertus Brandenburgicus*, Archiepiſcopus, et Primas Germaniae, nomine Pontificis, *Iohanni Tetzelio* Pirnenſi, Ordinis Dominicani fraterculo, commiſit. Qui ut erat impudens et uaniloquus, per Miſniam et Saxoniam uagans ſimplici et incautae plebeculae concionabundus affirmauit, ad primum tinnitum nummorum, in peluin adpoſitam coniectorum, manes defunctorum ex orco, rectis lineis, in coelum ſtatim ſubuolare: atque adeo poſſe cognatos, affines et amicos pecunia carorum ſibi animas redimere; ut culpa omnis et poena peccatis debita condonaretur: idque conteſtatum fecit datis membranis, in quarum cera ad rerum fidem confirmandam, ſigillum Pontificis impreſſum fuit. Has *indulgentiarum literas*, contra priſcae Eccleſiae ſtilum uocabant. Quibus propoſitis coelum uenale erat. Scelera enim non commiſſa tantum, ſed perpetranda etiam adhuc remittebat uolentibus ea prius redimere, ac poſtea conari. Vid. SLEI-

DAN. *Comment. Lib. I*, et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. I, Sect. VI, §. VI.*

§. 4. Erant, qui credulos nimis et superstitiosos homines, in fraudem flagitiosissimis nundinis impelli uiderent atque detestarentur: Sed qui sceleratam nundinationem impugnarent, nemo ausus est in *Germania*, praeter *Martinum Lutherum*, in Academia Wittebergensi Theologiae Professorem. Is enim diuino ueritatis studio ac zelo incensus, *Cal. Nou. an.* MDXVII *capita seu theses XCV de condonatione peccatorum* ex S. literis desumtas, et foribus templi arcis affixas Tezelii mendaciis opponebat, ac de hisce etiam Wittebergae pro cathedra grauiter disputabat, et cum aliis disserendo planum faciebat, *Indulgentias* a Tezelio praedicatas et diuenditas esse rem profanam, impiam atque nugatoriam. Vid. SECKENDORFFII *Hist. Lib. I, Sect. IX, seqq.* Ante uero hanc de indulgentiis susceptam disputationem, *Lutherum* a Pontificiorum erroribus in articulo *de Iustificatione*, et *Libero Arbitrio* dissensisse, D. KORTHOLDVS *in Hist. Eccles. Sec. XVI, cap. II*, demonstrauit.

§. 5. Iacta sic diuinis auspiciis alea, magni animorum motus passim concitati fuerunt, quibusdam caussae Lutheri fauentibus, quibusdam de eius successu desperantibus. *Albertus Cranzius* supra nominatus, cum de hoc ausu inaudiuisset, exclamauit: *Mi frater Martine, abi in cellam tuam, et dic miserere mei, DEVS!* apud CHYTRAEVM *Chron. Sax. f.* 223. Prior et Sub-Prior Wittebergae metu noui ausus perculsi Lutherum adeuntes rogarunt; *parceret ordini suo, nec ludibrio hominum exponeret, iam nunc in sinu gaudere Dominicanos, in ignominiae suae societatem Augustinianos uenisse.* Quibus Lutherus respondit: *Totum hoc concidet,*

det, si in nomine DOMINI coeptum non est: Sin autem, DEO rem committite perficiendam. Vid. LVTHER. *Enarrat. German. Ps. CXVIII, Tom. V, Ienens. fol. 90.* *Erasmus Roterodamus* inter eruditos huius aeui facile princeps, et qui *Nou. Testamentum Graecum cum interpretatione Latina* primum an. MDXVI, in Germania euulgarat, causam quidem Lutheri adprobauit, eumque primum laudauit; sed stili acrimoniam postea reprehendit. *Epistol. a Rector. Erfurtens. Lib. XII, Epist.* Conf. SECKENDORFF. *Histor. Luther. Lib. I, Sect. XXXVI, §. 87,* et SCVLTETI *Annal. Euang. ad an.* DCCXIIX, *pag. 30, 31.* Principes quoque, quorum dignationem fastu Sacerdotum proculcatam, Lutherus e diuinis literis assertum iuit, uiri destinata non poterant non adprobare. Praesertim cum doceret, ipsis fas esse Ecclesiae malis medicinam dispicere, ac Sacerdotum uitia corrigere, itemque bona sacra, quibus monachi et clerus segnitiem suam et luxum alerent, ad genuinos reuocare usus. Conf. HVG. GROTII *Annal. et Histor. de Reb. Belg. Lib. I, §. 9.* Ipse *Maximilianus I*, Imperat. etiam primum, antequam motus inde excitati nimium a Papa exaggerarentur, Lutheri ausis fauit; cum reformationem Ecclesiae iam ante ipse molitus esset.

§. 6. Quum uero publicata Lutheri disputatione aduersus *indulgentias*, *Tezelii* putidae merces passim uilescerent; incentore *Tezelio*, qui auxilio *Wimpinae*, *Lutheri* theses refutare ausus erat, *Iohannes Eccius*, *Syluester Prierias*, *Iacobus Hochstrat*, *Hieronymus Emserus*, *Cochlaeus*, *Iacob Faber* Stapulensis, et similes frigidae theologiae scholasticae magistri, *Lutherum* sophisticationibus et conuitiis cateruatim aggrediebantur. Verum is diuini uerbi ueritate subnixus, horum

strophas et ineptias sophisticas ita discussit, protriuit atque extinxit, ut aridae et leues stipulae in ardentem ignem coniectae absumuntur et pereunt; aut uelut exorto sole, caligo nocturna penitus discutitur atque euanescit. Vid. SLEID. *Lib. I*, unde ipse LVTHERVS *Tom. I, Epist.* scribit: *quo magis illi furiunt, eo amplius procedo; relinquo priora, ut in illis lateret, sequor posteriora, ut et illa allatrent.* Conf. P. SVAVIS *Histor. Conc. Trid. Lib. I, pag. 10.* Nam an. MDXIIX, *capita de indulgentiis* declarata *Leoni X*, Pontifici, inscripsit, submisse eiusdem petens iudicium, uid. *Tom. I Opp. Luth. Wittebergens.* Sed Pontifex in partes institorum indulgentiarum concedens, eos defendit, ac *Lutherum* postea *Bulla* promulgata d. 9 Nou. anno MDXIX damnat inauditum; cum ante Cardinale *Caietano*, Augustae Vindelicorum postulante, palinodiam canere recusasset, apud SLEID. *Lib. I*, P. SVAVIS *Histor. Conc. Trid. Lib. I, pag. 8*, et SECKEND. *Histor. Luth. Lib. I, Sect. XIIX, §. 37, seqq.*

§. 7. Interea *Georgius*, Dux Saxoniae, qui Lipsiae residebat, cognito *Io. Eccii* ardore disputandi cum *Wittebergensibus* 4 Non. Iul. an. MDXIX, inter illos *colloquium* indixit. Quo de libero hominis arbitrio *Eccium* inter et *Carolstadium* primum disputatum fuit: deinde *Lutherus* cum *Eccio* de primatu Papae disceptauit. Vid. PFEIFERI *Lipsiam* a nobis publicatam *Lib. III, §. 27*, et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. I, cap. 24, §. 53, seqq.* Hoc anno, Papa *Carolum Miltizium*, ex nobilitate Misnica cubicularium suum, ad Electorem Sax. *Fridericum Sapientem* cum munere *Aureae Rosae*, quam SLEID. *Lib. I, p. 7.*, describit, singularis scilicet beneuolentiae signo misit per literas eundem rogans atque obtestans, ut *Lutherum* filium

Satanae

Satanae expelleret. Vid. SLEID. *Lib. I, et Tom. I, Luth. Opp. Latin. Ienenſ.* Hic Altenburgi cum *Lutheꝛo* colloquutus, Pontificis mentem expoſuit; ut nempe ſileret, atque palinodiam caneret. Quod *Lutherus* facere recepit, ſi ante errroris ex S. codice fuiſſet conuictus. SLEID. *Lib. II*, et SECKENDORF. *Hiſt. Luth. Sect. XXIV, §. 47, ſeqq. et Sect. XXVII, §. 67.* Cum autem Pontifex officium iuſti iudicis deſeruiſſet, Lutherumque inauditum damnaſſet; hic ad liberum Concilium prouocauit, ac coepto interim Reformationis operi ſtrenue inſiſtendo cauſam DOMINI egit.

§. 8. Dum haec in Miſnia et Saxonia geruntur, Tiguri apud Heluetios *Vlricus Zwinglius* an. MDXIX, *Bernhardum Samſonem* Mediolanenſem, monachum Franciſcanum, pari cum *Tezelio* modo indulgentias uendentem, publice refutare atque demonſtrare coepit, eum eſſe impoſtorem. Vid. SLEID. *Lib. I, fin.* P. SVAVIS. *Hiſt. conc. Lib. I, pag. 9*, SCVLTETVM *Annal. Euang. Part. I, pag. 45, 47.* Atque hinc ille Heluetiorum Reformatoris elogio ornatur, et ab *Hottingero* prolixe laudatur.

§. 9. Lutherus inſequenti anno, a Pontifice excommunicatus, iras dirasque eius iuxta habuit. Nam non tantum *librum de Captiuitate Babylonica*, h. e. Papatu, publicauit; ſed et ipſam *Bullam* (ab *Vlrico Hutteno* equite Franco feſtiuis gloſſis interlinearibus illuſtratam) eiusque autores excommunicauit. Vid. *Tom. I, Lat. Ienenſ. fol. 403 et 464.* Quia uero Pontifex etiam *Lutheri* libros Romae cremari iuſſerat, ipſe conuocato omnium Scholaſticorum coetu, Wittebergae extra portam, *Ius Pontificium* ſeu *Canonicum* Vulcano ſolenniter conſecrauit. Vid, SLEID. *Lib. II*, et SCVLTET. *Annal.*

Annal. pag. 53, seqq. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. I, Sect. XXXI et XXXII.*

§. 10. Instabant Comitia a Caesare *Carolo V, Wormatiae* an. MDXXI indicta. In his *Lutherus* citatus, animo intrepido comparuit, suamque doctrinam coram Caesare et aliis magnatibus animose professus est, nec blanditiis nec minis, quibus tentatus fuit, cedendo. Quapropter cum uiri inuicti constantiam nec ipse Caesar frangere posset, eum d. 8. Mai. proscripsit. Vid. SECKENDORF. *Hist. Luth. Lib. I, Sect. 37, 38, 39, 40, seqq.* P. SVAVIS *Histor. Concil. Trident. Lib. I, p. 15, seqq.* Proscriptum *Fridericus*, Elector Saxoniae, in arce Warteburg prope Isenacum abscondit; ne per insidias e medio tolleretur. *Luthero* in Pathmo hoc, ut uocare solebat, haerente, quidam fanatico spiritu abrepti, Wittebergae, somnia et colloquia cum DEO iactare coeperant, praeterea requirentes, ut Papatu egressi rebaptizarentur. Vnde Fanaticis illis commune *Anabaptistarum* nomen impositum. Hi erant *Nicolaus Storch*, *Marcus Stubnerus*, *Martinus Cellarius*, et *Thomas Münzerus*, motuum postea rusticorum in Thuringia fax et tuba. Eodem animi morbo correptus *Andreas Bodenstein*, a patria *D. Carlstadius* appellatus, statuas e templis tumultuose eiecit, nec amplius Doctoris titulo uocari uoluit. Quorum insaniam *Lutherus* clam e *Pathmo* Wittebergam rediens, obiurgauit atque castigauit. Vid. SLEID. *Lib. III, pag. 72,* SCVLTETI *Annal. pag. 104 et 111,* SECKEND. *Hist. Luth. Lib. I, Sect. XLV, XLVIII*, conf. *Pauli Antonii Diss. de Pathmo Lutheri in arce Wartburg.* insertam Diss. *Cellarii* et recusam Halae an. 1730. Per idem tempus Academia Parisiensis certa quaedam capita,

pita, e libris *Lutheri* collecta damnauit; apud SVAV. *Hist. citat. pag.* 17.

§. 11. *Wormatiense* illud *edictum* iam memoratum multis terrorem incussurum esse uidebatur; ut nouam Euangelii lucem affulgentem fugerent atque ad tenebras pristinas redirent. Enim uero praeter opinionem et uota sacrificulorum, aliter euenit; cum excitatis iam ex ueterno Pontificio animis hominum, non eruditi tantum, sed et illiterati quoque multi scripta *Lutheri* cum Latina, tum Germanica legerent auide, atque intelligere inde inciperent, quantum commenta Pontificia a ueritate Christi Euangelica distarent. Nam per Thuringiam et Saxoniam inferiorem Euangelica doctrina disseminata, subinde plures inuenit amatores. Quos CHYTRAEVS *Chron. Sax. Lib. X*, memorat. Etsi interea *Henricus VIII*, Angliae Rex, occasione ex libro de *captiuitate Babylonica*, sumta, aduersus *Lutherum* calamum stringeret. Pontificem Rom. defensurus. Cui *Lutherus*, zelo uelut heroico stimulatus, mox grauiter respondit. Vid. SLEID. *Lib. III, p. 69*, et SCVLTETI *Annal. p. 115*, SECKEND. *Lib. I, Sect. XLVI, XLVII.* Interea *Leone X*, Papa, Cal. Decembr. an. MDXXI, uiuis erepto, fauore Caesaris *Adriani*, sequenti anno ad Pontificatum euectus, Principes Germaniae *Norimbergae* congregatos aduersus Lutherum incitare non intermisit, *Erasmum* etiam cohortatus, ut *Lutherum* aggrederetur. Vid. SLEID. *Lib. III, pag. 75, et Lib. IV, pag. 104*, ERASM. *Lib. XXIII, Epist.* At Germaniae Proceres, *centum* aduersus curiam Rom. *Grauamina* exhibuerunt, quae abrogari postulabant. Vid. SCHILTERI *de Lib. Eccles. Germ. Lib. VII, cap. 2.* Erasmus autem an. MDXXIV a Rege Angliae praecipue incitatus, edito libro, cui titulus, *Diatribe de libero*

arbitrio, aduersus *Lutherum* diuulgauit. Qui illi mox librum de *Seruo arbitrio* opposuit. In quo paulo duriores locutiones aliqui animaduerterunt, quas *Sebastianus Schmidius* excusauit. Vid. SLEID. *Lib. IV, p. 106*, LVTHER. *Tom. III, Epist. pag. 338*, et SECKEND. *Histor. Luth. Lib. I, Sect. LXIII.*

§. 12. Dum *Lutheri* Euangelica doctrina, per fidos Euangelicos ministros, latius per *Pomeraniam, Silesiam* et *Borussiam* quoque spargitur; Dux Saxoniae *Georgius* supra memoratus, omni molimine in maiori *Misniae* parte Reformationem Papatus impedire laborauit. Vid. LVTH *Tom. II, Altenburg. f. 224.* Inprimis quod reipublicae magnam inde conuersionem metueret, si Procerum dissensus circa sacra, cum cleri dissidiis inter se, magis in Germania inualesceret. *Hadrianum* Pontificem ad reformationem propensum, similes fere causae a laudabili consilio retrahebant, apud SVAV. *Hist. cit. Lit. I, pag. 24. seq.*

§. 13. Maius progressui Reformationis impedimentum obiectum fuit, per dissensum de *coena Domini*, inter *Lutherum* et *Vlricum Zwinglium* atque *Io. Oecolampadium* an. MDXXV exortum. *Lutherus* illa Christi uerba: *Hoc est corpus meum*, secundum literam, absque figura intelligebat; *Zwinglius* autem tropum in illis finxit, interpretando, *Hoc significat corpus meum*: Oecolampadius uero, *hoc est corporis mei signum*, exponebat. Vtrinque res magna contentione, multisque scriptis fuit agitata, dum *Lutheri* sententiam *Saxones*; *Heluetii* uero *Zwinglii* sequerentur. Ne autem Schisma hac de causa oriretur, post triennium Landgrauius Hassiae, *Philippus*, *Marburgi colloquium* instituerat. Enimuero dissidium hoc conuentu componi haut potuit. Vnde prima schismatis inter Protestantes causa

nata

Zu Ostern 1 Mensch, der am Aussatze sehr gelitten hatte, Heinrich Voigt v. Johann Ehrl. [illegible] mit Hoffnung verlassen; ohne daß Handschrift war [illegible] v. zog nicht zu Pfingsten ab.

In diesen 27½ Jahren hat uns Gottes das erste Todte Hausgenossen, welches den 1sten Sonnt. Nachm. unsrer Johanne Charlotten Hyazinth componirt wurde.

nata est. Vid. SLEIDAN. *Lib. V, pag. 140, et Lib. VI, pag. 175.* Auxit illud noxium Ecclesiae dissidium, *Caſparus Schwenckfeldius*, nobilis Silesius ab Ossinck, *Lutheri* doctrinam primum professus, sed postea contemplationibus suis nimium indulgens in deuia raptus est. Hic uerba Christi interpretanda censuit: *Corpus meum est hoc*, id est, cibus animae, panis coelestis, qui est ipsemet Christus. *Bucholzerus* de eo dixit: *Schwenckfeldio non defuisse cor bonum, sed caput regulatum.* Multa illi fanatica placita *Schlüsselburgius* peculiari libro tribuit.

§. 14. *Luthero* et doctrinae Euangelicae, eodem anno, maiorem inuidiam conflauit bellum *rusticanum*, cuius in *Thuringia* incentor *Thomas Münzerus*, uulgo pro euangelico praecone habitus, fuit. Hinc publicae Pontificiorum uoces passim auditae: *Hinc nouae doctrinae: Hinc Euangelii Lutheranici fructus!* Verum *Lutherus* rusticos seditiosos, non tantum a tanto scelere hoc grauissime ante dehortatus fuerat; sed etiam atrocem istam calumniam publicis scriptis amolitus est. Vid. *Tom. III Oper. Ienens.* SLEIDAN. *Lib. IV, pag. 117, et Lib. V, initio.* Rex Angliae, *Henricus III*, *Luthero* quoque hoc anno matrimonium cum *Catharina a Bore*, Virgine Vestali, ceu incestuosum exprobrauit, apud SLEIDAN. *Lib. VI, pag. 145.* Satyrica epithalamia in nuptias eius a *Conrado Collino*, Priore Colonienſi, et *Hieronymo Emſero* composita, apud Cochlaeum *in Vita Lutheri* extant. Conf. SECKENDORF. *Hist. Luth. Lib. II, Sect. II, III, IV, et V.* Nominatus autem Rex Angliae cum *Aloisia, Francisci I*, Regis Galliae tum in Hispania captiui matre, foedus ad sectam, quam uocat pestiferam *Lutheranam*, a

qua

qua non minus periculi sit, quam a Turcis, profligandam inierat. Apud SLEIDAN. *Lib. VI*, *pag. 145.*

§. 15. Dum ita passim extinguendae doctrinae Euangelii, consilia cuduntur, in *Septentrionis* regna, illa diuino munere propagatur. Nam *Fridericus*, Rex Daniae, operam nauante suam *Petro Suauonio*, *Lutheri* doctrinam in templis publice proponi iussit; cum iam per *Holsatiam* disseminata esset. Conf. CHYTR. *Chron. Sax. Lib. X.* In *Suecia M. Olaus Petri*, genuinus *Lutheri* discipulus, Rege *Gustauo* conniuente, itidem semina Euangelii latius, magno cum populi applausu sparsit. Et quanquam *Johannes Magnus*, Episcopus Vpsalienſis, contra niteretur; Rex tamen optimus laudati Petri suscepit patrocinium. Vid. MESSENII *Chronic. Episc. Sueciae a nobis editum cap. I*, PVFFENDORF. *Isagog. Hist. de Regno Suec. Germanic. §. 58, seqq.* SECKEND. *Hist. Luth. Lib. I, Sect. LVII*, et D. ERICI BENZELII *Brev. Hist. Eccles. Sec. XVI, p. 371, seqq.*

§. 16. Inualescente indies magis laudata Euangelii doctrina, *Carolus V*, Imper. et frater eius *Ferdinandus* cum *Francisco*, Rege Galliae, et *Papa* conspirantes illius extinguendae consilia agitarunt. Cum enim anno MDXXVI *Francisci* e captiuitate Hispanica dimitteretur, pacis formulae insertum fuit; Caesarem atque Regem eo potissimum spectare, ut et Christianae Religionis hostes, et *Sectae Lutheranae* extirpentur *haereses*. Ideo in Germania *Spirae* habitis *comitiis*, *Ferdinandus*, cum Episcopis inprimis, de noua, quam uocarunt, religione extirpanda consultauit. Enimuero dum inter Papam *Clementem VII*, Caesarem et Gallum dissidium exoriretur nouum, et Elector Saxoniae atque Landgrauius Hassiae, Euangelicos tuerentur; in comitiis, ut omnes ita sese gererent, quo facti sui rationem

et

et DEO possint et Caesari quoque reddere, decretum fuit, apud SLEID. *Lib. VI*, et SECKEND. *Lib. II, Sect. IX.* Imo Caesar a pontifice grauiter offensus, per omnem Hispaniam nominis Pontificii autoritatem, THVANO. *teste Lib. I, Hist.* abrogauit, ac per *Carolum* ducem Borbonium et *Fronsbergium* Romam intercepit atque diripuit. Vid. SLEID. *Lib. VI*, et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. II, Sect. XI et XII.*

§. 17. Turbatis sic Pontificiorum per intestina bella consiliis, *Philippus*, Landgrauius Hassiae, in suis ditionibus *Reformationem* suscepit; consiliis hac in re *Melanchthonis* et *Francisci Lamberti* Auenionensis Galli usus. Ante *Homburgi*, praesente Landgrauio, disputatio fuerat habita, in qua cum Pontificii succubuissent, reditus monasteriorum quoque ad Academiam Marburgensem, et quatuor Nosocomia ille transtulit. Vid. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. II. Sect. VIII.* Eodem anno *Badenae* inter *Fabrum, Eccium, Marnerum* Pontificios, et *Zwinglium, Oecolampadium, Bartholdum Hallerum* et alios, de Missa, de inuocatione Sanctorum, de Purgatorio et aliis disputatum fuerat. Et cum Oecolampadius clamoribus Eccii fuisset obrutus, *Wolffg. Capito* scribit: Die Evangelischen wären überschryen, aber nicht überdisputiret worden.

§. 18. Incrementa renascentis uelut Ecclesiae, de *Coena Domini*, a *Zwinglio*, excitata certamina, et *Anabaptistarum* per Germaniam uagantium molitiones fanaticae, hoc tempore turbarunt: cum *Syngramma* a *Suenicis* Theologis compositum (unde et *Sueuicum* appellatum) cum *Lutheri* praefatione Wittebergae prodiisset. Cui Oecolampadius et alii Heluetii, *Anti-Syngramma* opposuerunt. Vid. LVTHER. *Tom. VII Opp. Lat. Witteberg. fol.* 335. Hinc exacerbatis utrinque animis,

animis, spes concordiae, quam *Bucerus* et *Capito*, Argentoratenses Theologi reducere laborabant, exoleuit. *Lutherus* tamen interea Anabaptistarum delirantium errores latius serpentes refellere haut intermisit. *Iohannes*, etiam Elector Sax. anno MDXXVII, ut tribunitiis clamoribus sacrificulorum obex poneretur, in tota ditione sua, visitationem Ecclesiarum instituit. Vid. CHYTR. *Sax. fol. 338*, LVTH. *Tom. IV. Altenb. fol. 389. seqq.*

§. 19. Sequenti an. MDXXVIII. cum *Ioachimus* Elector Brandenburgicus infensus maxime *Luthero*, Euangelicos concionatores, e ditione sua eiiceret, et *Georgius*, Dux Saxoniae, in sua regione quoque, *Lutheri* asseclas persequeretur; *D. Ioh. Bugenhagius* in *Saxonia inferiori* et *Hamburgi* inprimis propagando Euangelio laudabilem operam nauauit. Vid. SECKENDORF. *Hist. Luth. Lib. II. Sect. XIII. §. 4.* *Lutherus* etiam de falsorum doctorum suppliciis quaesitus, negat eos occidendos esse, apud SECKENDORF. *l. c. §. 43.* Eodem anno, *Confessionem Magnam* de Coena Domini publicauit; in cuius parte 1) *Zwinglium*, in 2) *Oecolampadium* refutat; in 3) uero parte, suam de Eucharistia confessionem ad mortem usque tuendam edit. *Zwinglio* interim in articulo de Christo, ἀλλοιοῦν comminiscente *Lutherus* naturam unam in Christo, pro altera accipi posse, negauit.

§. 20. Caesar an. MDXXIX. *Spirae* iterum solennem Procerum conuentum indixerat; in quo Rex *Ferdinandus*, conspirantibus Catholicis, nomine Caesaris, inter alia decreuit; nemini fas esse, religionem ueterem (Pontificiam) mutare. Quod decretum *Iohannes* El. Sax. *Constans* appellatus, *Georgius* Marchio Brandenburg. *Ernestus* et *Franciscus* Luneburgi Duces, *Philip-*

Philippus Landgrauius Haſſiae, et Dux *Anhaltinus* pro-teſtando exitum declararunt. Vnde inposterum Euangelicis Ordinibus, qui ab Eccleſia Romo diſſenſerunt, nomen *Proteſtantium* inditum fuit. Vid. SLEIDAN. *Lib. VI, pag. 171, ſeqq.* IO. STRAVCHII *Diſſert. Exoteric. ſeu Iur. Publ. VIII*, et SECKEND. *Hiſt. Luth. Lib. II, Sect. XIV.* Ceterum in his comitiis, *Fabri* Conſtantienſis Landgrauio exprobrauerat intertextas famulorum aulicorum manticis literas V. D. M. I. AE. *Verbum Dei Manet In Aeternum*, cauillatus; manet in Ermelb. Landgrauius repoſuit: imo hoc uolunt iſtae literae: *Verbum Diaboli Manet In Epiſcopis*, apud SCVLT. *Ann. Euang. pag. 251*; *Lutherus* autem de ſalute, quos uocabant, daicorum ſolicitus, in horum gratiam *Catechiſmum minorem*, hoc anno publicauit. Vid. *Tom. IV, pag. 462, ſeqq.*

§. 21. Landgrauius Haſſiae *Philippus*, Princeps prudens et generoſus, diſſidium de S. Coena Domini, iam ultra triennium inter Euangelicos agitatum, magno Eccleſiae damno in ſchiſma tandem deſiturum eſſe, ni concordia mature ſanciretur, praeuidens; *Marburgi* colloquium inter diſſidentes an. MDXXIX inſtituit. Cui ex Wittebergenſibus *Lutherus*, *Iuſtus Ionas* et *Melanchthon*, ex Sueuis *Ioh. Brentius*, ex Norimbergenſibus *Andr. Oſiand.* ex Argentinenſibus *Bucerus* et *Hedio*, ex Heluetiis *Zwinglius* et *Oecolampadius* interfuerunt. Enimuero utraque diſſidentium parte, in ſua ſententia perſiſtente, tentatum illud concordiae ſtudium fruſtra fuit. Vid. SLEIDAN. *Lib. VI, pag. 175*, SCVLTET. *Annal. Euang. pag. 196, ſeqq.* et SECKENDORF. *Hiſt. Luth. Lib. II, Sect. XVII.* Eodem anno hac de cauſa *Flensburgi* in Holſatia, Rex Daniae, *Fridericus*, conuentum Theologorum indixerat, quo *D. Eugen-*

Bugenhagius oralem manducationem, aduersus *Melchiorem Hoffmannum* et *Hermannum Tastium* defendit. Huius *acta* anno 1611 Germanice edita prostant.

§. 22. Caesar autem Ordinibus Protestantibus uniuersis iam irascens, horum legatis *Placentiae* mandauit, ut decreto Spirensi et Wormatiensi promulgato pareant: alioquin fore, ut auctoritatis atque etiam exempli causa seuere in illos animaduerteretur. Quemadmodum hac de causa etiam *Bononiae* cum *Clemente VII*, Papa, sibi iam reconciliato egit: Qui armis controuersias obortas dirimendas esse censuit. Vid. MELANCHTH. *Tom. V, Declam. pag. 87*, et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. II, Sect. XXIX*, P. SVAV. *Hist. Conc. Trid. Lib. I, pag. 53*. Magno hoc tempore Ecclesia Euangelica periculo obnoxia uidebatur; cum Caesar, Papa et Reges in eius conuersionem conspirassent. Vid. SLEID. *Lib. VI et VII*. *Lutherus* tamen bonitate causae nixus, animum suum haudquaquam despondit; sed bene sperauit, quum nihil prope sperandum uideretur. Ac licet ad profligandam iniustam uim, nullum humanum praesidium praeuideret; non defore tamen coelestem opem, omnino existimauit.

PERIODI V.

SECTIO III

DE STATV RELIGIONIS A TEMPORE EXHIBITAE AVGVSTANAE CONFESSIONIS AD OBITVM LVTHERI

§. 1

In hac Sectione, praeter supra *Sect. II* nominatos Theologos, inclaruere *Vrbanus Regius*, *Ioachimus Moer-*

Moerlinus, *Matthias Flacius* Illyricus, *Hieronymus Weller*, *Iohannes Pfeffinger*, *Erhardus Schnepfius*, et alii ex *Lutheri* et *Melanchthonis Epistolis*, nec non *Historia Lutheranismi Seckendorfii* colligendi, quorum uitas *Melch. Adami*, elogia uero *Sleidanus*, *Melanchthon* in *Epistolis* suis, et ex parte *Thuanus* in *Historia* descripserunt. Inter Pontificios celebres Scriptores NATAL. ALEXANDER *Hist. Eccl. Sec. XV*, *part. I*, *c. 5*, recenset.

§. 2. Illuxerat in hac miranda rerum conuersione annus huius aeui *trigesimus*, quo Imperator *Carolus V Augustae Vindelicorum comitia* indixerat: ut tum de bello Turcico, tum inprimis de Religionis controuersiis sopiendis decerneretur. Hac de causa ipse *Protestantes* ante conuocationem, *fidei suae formulam* scripto exhibere etiam iusserat. Mandato huic Elector Saxoniae *Iohannes* paruit, et quod nemo futurum putasset, omnium primum ipse adfuit. Vsque adeo et DEO probare fidem suam et Caesari studebat Princeps magnanimus. Interim *Luthero* et *Melanchthoni*, uiro in litteris pariter et rebus sacris, id temporis longe exercitatissimo, cum *Iusto Iona* et *Bugenhagio* dederat negotium conficiendi postulatam a Caesare Confessionem, siue *Formulam Fidei*, communi omnium Protestantium nomine ipsi exhibendam; cum ut Caesaris uoluntati fieret satis, tum ut calumniae immanissimae, quibus sacrificulorum et monachorum greges hactenus *Lutheri* doctrinam onerauerant, abstergerentur, atque confutarentur. Quicquid enim aut Anabaptistarum et Fanaticorum natio delirauerat; aut quicquid crudelissimarum caedium hactenus et cladium, per rusticorum seditiones, perpessa esset Germania; immo quicquid Manichaei olim, aut Ariani et similes pessimi

haereticorum sparsissent impii; id omne nouitiae *Lutheri* Sectae, uel ipsi *Luthero* imputatum, et ab imperitis, quorum semper maxima copia est, creditum fuerat. Vid. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. II, Sect.* 20, 21, 22.

§. 3. *Confessio* haec summam fidei Christianae continens, sacrosanctis Scripturis examussim congruebat, nec a uerustissimae Ecclesiae placitis abludebat, simulque crassiores Romanae Ecclesiae errores sub *Abusuum* nomine reiiciebat. Ideo illam *Ordines Protestantes*, quorum caput Elector Saxoniae, quum aduenisset Imperator, ipsi exhibuerunt, rogantes, ut publice coram Ordinibus Imperii etiam recitaretur. Id quod post multas tergiuersationes Papaeorum tandem obtinuere. Nam die 25 Iunii ista *edita* publiceque praesentibus Imperatore *Carolo*, Rege *Ferdinando* fratre, et ceteris Imperii proceribus ac delegatis, qui magno numero aderant, de scripto, audientibus omnibus, recitata fuit. Quo facto, deliberatio in Senatu Principum habita fuit ardua, quid de illa statuendum. Erant, qui decreto Wormatiensi standum; erant, qui Confessionem editam, a uiris doctis et piis examinandam prius, quam de ea statueretur, censerent. Erant etiam, et quidem pars maior, qui refutationem eiusdem adornandam, comprobante Caesare iudicarent. Vid. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. X, Sect.* 23, *seqq.* KORTHOLD. *Hist. Eccl. Sec. XVI, cap. VII, §.* 30, *seqq.*

§. 4. Atque haec cum praeualuisset sententia, *Iohannes Faber*, *Ioh. Eccius*, *Conradus Wimpina*, *Conradus Collinus*, *Ioh. Cochlaeus*, et alii ex Pontificiorum grege, *Confutationem* illius satis ieiunam et frigidam composuerant. Huius autem copiam sibi fieri Elector Saxoniae cum aliis Ordinibus Protestantibus, a Caesare petie-

petierunt; quam cum aegre obtinuissent, statim per *Melanchthonem* refutarunt. Vnde *Apologia* Augustanae Confessionis nata, quam inter Symbolicos suos libros Confessores retulerunt. Vid. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. II, fol. 260.* Atque sic, quum minus speraſſes, ueritas coelestis hactenus pressa, opprimi haut potuit. Quin emersit conspicienda omnibus et admiranda. Historiam rei gestae post SLEIDANVM *Lib. VI*, CHYTRAEVS, COELESTINVS, et SECKENDORFFIVS *Hist. Luth. Lib. II*, fuse exposuerunt. LVTHERVS etiam *Tom. V Ien. fol. 26, seqq.* et *fol. 157, seqq.* SAVBERTVS *de Miraculis Augustanae Confess.* Libro Germanico, DORSCHAEVS *de Prouid. circa Aug. Confess. Dissert.* et VARENIVS *Exegef. Aug. Conf. p. 4, et 5, τὸ θεῖον τι*, hac in parte annotarunt.

§. 5. Imperator, qui toties ab Ordinibus Imperii expetitum concilium indicendum interim promiserat, die 19 Nou. *edictum* promulgari curat; quo omnes usque ad Concilii tempus ex praescripto Ecclesiae Romanae uiuere iuberentur; qui secus faxint, in eos Caesarem pro officio animaduersurum esse. Multi hoc edicto perculsi anxie rei euentum expectarunt, apud SLEID. *Lib. VII, pag. 194 et 196*, SECKEND. *Hist. Luth. Lib. II, Sect. 35. Argentinenses*, qui articulum X Aug. Conf. iuxta *Zwinglii* mentem improbarant, cum *Constantiensibus, Memmingensibus* et *Lindauiensibus*, peculiarem fidei suae Confessionem, per *D. Casparem Hedionem* obtulere, quam ipse Caesar repudiauit. SLEID. teste *Lib. VII, p. 198 et 200.*

§. 6. Diuinae tamen prouidentiae tribuendum est, quod *Augustana Confessio*, iussu Caesaris in linguam *Hispanicam, Italicam* et alias conuersa, ad exteros Reges et Principes missa fuit, apud D. COELESTINVM

Hist. Comit. Tom. II, f. 19. Principes interea Protestantes, quum Caesar illam admittere nollet, *Smalcaldiae*, mense Decembr. conuenerunt; *Formulam foederis* concepturi; non quidem animo offendendi quenquam, sed defendendi causa, si Caesar et Papa doctrinam iam publice propositam extinguere molirentur. Et huius gratia cum Theologi, tum Politici in consilium adhibebantur uarii; ne quid temere in re tam ardua praecipitaretur. Vid. HORTLEDER. *Tom. I de Bello Smalcald.*

§. 7. *Lutherus*, qui comitiis istis ipsemet non interfuerat, quippe *Coburgi* interea commorari iussus; sub finem huius anni, ut Germanos de rerum euentu maxime sollicitos et anxios erigeret, *Commonitionem*, Warnung an seine liebe Teutschen, publicauit. Vid. *Tom. V Altenb. f. 529*, et COELESTINVM *Hist. cit. Tom. IV, f. 100, seqq.* Insequenti anno, die 16 Febr. Protestantes ad Reges Galliae et Angliae scribunt, quid in Religionis negotio huc usque actum sit, illis significantes. Inprimis etiam calumnias de se sparsas simul diluunt; ac si bona Ecclesiastica praetextu Religionis reformandae captarent: Petunt etiam, ut Caesarem, ne concilium pium, Christianum et liberum conuocare grauetur amplius, hortentur. Conf. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. 2.*

§. 8. Dum haec geruntur, in *Anglia Guilielmus Tyndallus*, lectis *Lutheri* libris, omni studio Anglicanam Ecclesiam repurgare laborauit. Quam ob causam *N. Testamentum* in gentis suae idioma transtulit, magno cum Episcoporum odio, quod incurrit. Ipse tamen Rex *Henricus VIII*, Papae iam ex diuortii causa infensus, non tantum conniuebat, sed et ipse iugum Pontificis Rom. excutere meditabatur, *Thoma Wolsaeo*, Cardi-

Cardinale, qui Papae autoritatem defendebat, de summo honoris culmine deiecto. Vid. SCVLTETI *Annal. Euangel. Decad. II, pag. 332.* Conf. GILBERTI BVRNETI *Hist. Reform. Eccles. Anglic. Part. I, pag. 80, seqq.* et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, f. 68.*

§. 9. In *Germania*, dum Caesar *Lubecenses*, *Vlmenses* et *Augustanos*, Romanae iterum Ecclesiae placita sequi iubet, turbae enatae sunt; quas propter *Vrbanus Regius*, insignis theologus, Augusta discessit, ab *Ernesto*, Duce Luneburgico receptus, ut in ditione sua Ecclesiam repurgaret. Vid. SCVLT. *Ann. Euang. Dec. II, pag. 360, seqq.* In *Heluetica* cum ciuile bellum inter *Tigurinos* et *Quinquepagicos* hoc anno exarsisset, in praelio Capellensi, *Zwinglius* occubuit, memorante SLEIDANO *Lib. VIII, pag. 221.* In huius obitum Iacobus Mycillus Chronodistichon composuit:

OCCVbVit patrIo beLLator CIngLIVS ense;
Et pressa est arMIs gens popVLosa sVIs.

Post obitum *Zwinglii*, *Ioh. Caluinus*, *Theodorus Beza*, *Hieronymus Zanchius*, et alii illius doctrinam inprimis propugnarunt, addentes de absoluto praedestinationis decreto horrendum dogma, quod *Caluinus* resuscitauerat.

§. 10. Laetior Protestantibus uidebatur annus *trigesimus secundus*; cum ob periculum belli Turcici, Caesar illis *Norimbergae* pacem Ecclesiasticam indulgeret, apud SLEID. *Lib. VIII, pag. 227*, SECKENDORF. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. IV*, Zwingliani, ut pace illa sibi quoque frui liceret, Confessioni Augustanae et Apologiae, *Swinfurti* conuenientes subscripsere, adiecta non quidem publice, sed tacite, Confessione

quatuor Ciuitatum, quam *supra* §. *IV* memorauimus. Vnde fubdola illa ſubſcriptio fuit habita. Vid. SCULT. *Annal. cit. pag. 342.* Interea in Epiſcopatu *Oſnaburgenſi*, et *Bremae*, doctrina Euangelica propagata legitur apud CHYTR. *Chron. Sax. Lib. XII, fol. 383, ſeqq.* Eadem felicitas *Anhaltinis* hoc anno obtigit. Vid. SECKEND. *Hiſt. Luth. Lib. III, Sect. VI, §. XVI, Lutherus* hac de cauſa, *Georgio*, Duci Anhaltino, pio ualde et erudito gratulatus eſt epiſtola moniti loco addens: *Confidite, ego uici mundum. Georgius* autem, Dux Saxoniae, qui *Lutherum* eiusque doctrinam impenſe oderat, *Lipſienſes* illi adhaerentes in exilium miſit. Vid. SLELD. *Lib. IX, pag. 235, ſeqq.* et SECKEND. *Hiſt. Luth. Lib. III, Sect. II, fol. 39.*

§. II. In Gallia *Iohannes Caluinus*, Nouiodunenſis, uiginti trium annorum iuuenis, idolomaniam Pontificiam, *Aureliis* abrogare coepit, Elogium eius THVANVS *Lib. XXXVII*, annotauit. *Tholoſae*, *Iulius Caeſar Scaliger* inſtaurationem doctrinae Euangelicae promouit, *Geneuae Guilielmus Farellus*, et *Antonius Salnerius* ſemina reformandae Eccleſiae iecerunt. Sed in *Bohemia*, qui doctrinae *Lutheranae* adhaerebant, Rex *Ferdinandus* perſequebatur. Euangelici in Saxonia ob obitum Electoris *Iohannis Conſtantis*, qui die III Auguſti huius anni diem ſupremum claudebat, triſtabantur. Sed ſucceſſor eius *Ioh. Fridericus*, princeps magnanimus, religioni Euangelicae innutritus eos exhilarauit; quippe qui pro illa aſſerenda mortem ſubire, ſemper promtus atque paratus fuit. Vid. SECKEND. *Hiſt. Luth.* et HORTLED. *de Bello Smalcald.* prolixe operam et zelum huius laudatiſſimi Principis laudantium.

§. 12.

§. 12. Annus insequens *trigesimus tertius*, nouam Euangel. doctrinae inuidiam conflauit; quod *Anabaptistae* in *Westphalia* ac imprimis *Monasterii* insanire magis coepissent. Nam nouum Christi in terris regnum mundanum somniarunt, quod in *Aug. Confessione Artic. XVII* reiectum fuerat. Autores huius insaniae fuerunt *Iohannes Bockelius*, Sartor Leidensis et *Knipperus Dollingius*, homines furore correpti, qui diuina iuxta ac humana iura turbantes, sacra omnia peruerterunt. Historiam morum istorum, *Lambertus Hortensius* prolixe, breuius SLEIDANVS *Lib. X*, et CHYTRAEVS *Lib. XIV, fol. 411, seqq.* describunt. Interea autem *Iohannes*, Dux Cliuiae, Euangelicae doctrinae in suis ditionibus fores aperuit. *Erasmus* motus hosce animo expendens, libellum de *amabili Ecclesiae concordia Ps. LXXXIV*, enarrando euulgauit: quo de religione tantopere concertantes, ad concordiam cohortatus est. Vid. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, fol. 49.*

§. 13. Annus *trigesimus quartus*, trium in Germania Ducatuum reformatione insignis, Euangelicos exhilarauit; cum *Erhardus Schnepfius* et *Iohannes Brentius* in Ducato *Wurtenbergico*; in *Pomerania Ioh. Bugenhagius*; in *Brunsuicensi* et *Grubenhagensi* ditione, *Nicolaus Amsdorfius* et *Vrbanus Regius*, Pontificias superstitiones consensu Principum abolerent, puramque Euangelii doctrinam disseminarent. Vid. SCVLTETI *Annal. Euangel. Decad. II. anno* MDXXXIV.

§. 14. Dum haec, inter motus Anabaptistarum et Zwinglianorum in Germania geruntur, Rex Angliae *Henricus*, Pontificia autoritate per regnum abrogata, *supremum* se Ecclesiae Anglicanae *caput*, per Parlamentum declarari iussit. Idem *Iacobus V*, Rex Scotiae, anno

apud *Buchananum Lib. XIV*, fecit. *Franciſcus*, Rex Galliae, animo etiam reformationem agitans, miſſis ad *Philippum Melanchthonem* litteris, eundem ad *Colloquium* inuitauit; qui niſi Elector Sax. inhibuiſſet, eo proficiſci haut abſtinuiſſet. Vid. CAMERARII *Vit.* MELANCHTH. et SLEID. *Lib. X.* Cum *Pariſiis*, *Gerardus Rufus Coraldus*, *Perthaudus* et alii Euangelium libere profeſſi eſſent; Rex inſtinctu *Sorbonniſtarum*, illis poſtea id ſeuere interdixit; cum interim *Caluinus*, in aliis Galliae Prouinciis, plures inueniret aſſeclas.

§. 15. Quum uero *Genenenſes* an. MDXXXV Pontificiam idolomaniam abrogaſſent, et in Germania, *Lutheri* doctrina latius diſſeminata eſſet; Pontifex Rom. *Paulus III*, *Paulum Vergerium* cum mandato in Germaniam ablegauit; ut Concilium proxime conuocandum ſuo nomine polliceretur. Quo promiſſo, Proteſtantium conſilia circa Concilium, explorare callide molitus eſt. At illi Papae tergiuerſationes fraudulentas animaduertentes, parum fidei eiuſdem pollicitationibus tribuere. Nec *Lutherus*, quem *Vergerius* magnis promiſſis ad defectionem ſollicitabat, ab inſtituto ſuo diuino ſe dimoueri paſſus eſt. Vid P. SVAVIS *Hiſt. Concil. Trident. Lib. I, pag. 80, ſeqq.* et HORTLED. *Tom. I, cap. 19, 20.* Interea hoc anno Wittebergam uenere *Capito*, *Bucerus*, *Fechtius*, et alii *Argentoratenſes* ac *Sueuici* Theologi, concordiam in articulo de S. Coena cum *Luthero* tentantes. Quae cum concluſa eſſet, et *Bucerus* uir pacis amantiſſimus, eandem Heluetiis perſuadere ſtuderet, illi autem hanc repudiarent; *Bucerus* ob tentatae pacis ſtudium, utriusque partis litigantis inuidiam incurrit, maleque eo nomine apud alios audit. Vid. D. CALOVII *Hiſt. Syncretiſmi*

cretiſmi Lib. I, cap. 2, et MARTINI DIFFENBACHII *Epiſtolam, de D. Martino Bucero*, Francofurti exaratam.

§. 16. Ad *Proteſtantes Ordines* hoc tempore *Smalcaldiae* congregatos Rex Galliae, *Guilielmum Bellaium*, Rex Angliae, *Eduardum Foxum*, miſere Legatos. Quorum ille foedus obtulit; monens ſimul, ne quem Concilii locum reciperent, niſi de ſui atque Angliae Regis conſilio; hic uero hortabatur Proteſtantes, ne Concilium adprobarent, niſi de tollendis Eccleſiae erroribus ageretur. Vid. P. SVAVIS *Hiſt. cit. Lib. I, pag. 84*, et SECKENDORFII *Hiſt. Luth. Lib. III, Sect. X, XI, XIII.*

§. 17. *Pontifex* interea, ne toties poſtulatum a Caeſare Concilium auerſari uideretur, anno ſequenti *Mantuae* Synodum indixit, ad quam Caeſarem, Reges, Principes, et Praelatos inuitauit. Verum Proteſtantes an. MDXXXVII, *Smalcaldiae* denuo conuenientes, multa in iſthac Concilii indictione deſiderarunt, quae HORTLEDERVS *Tom. I, Lib. I, cap. 29*, et P. SVAVIS *Hiſt. Conc. Trid. Lib. I, pag. 86, ſeqq.* memorant. *Lutherus*, qui cum aliis Theologis uocatus, Smalcaldiam uenerat, *articulos* ibi, Concilio, ſi ita Proteſtantibus uideretur, exhibendos compoſuit, qui inde *Smalcaldici* appellati ſunt. *Heldus* quidem, legatus Caeſaris, Concilium iam indictum Proteſtantibus magnopere commendauerat, apud HORTLED. *Tom. I, Lib. VII, cap. 1, ſeq.* Rex Angliae tamen ſcripto euulgato, id non eſſe Chriſtianum, ſed Pontificium demonſtrauit, teſtante HORTLED. *Tom. I, Lib. I, cap. 30.*

§. 18. Verum Papa, ut erat temporum callidus, ſtudium reformandi Eccleſiam ſimulans, quosdam ex Cardinalium numero delegit, iisque remiſſo tantiſper iura-

mento mandauit; ut in morbos Ecclesiae Romanae inquirerent eosque demonstrarent. Quod negotium tamen arcanum esse uoluit. At illo mox emanante, Lutherus de eodem, *Librum* cum *praefixa pictura* euulgauit, qui Pontificios ualde affecit. Vid. SLEIDAN. *Lib. XII, initio.*

§. 19. Cum *foedus Smalcaldicum* Pontificii nulla arte dissoluere possent, legatus Caesaris Heldius, Principes ac Ordines Catholicos anno MDXXXVIII, *Norimbergae* congregatos de foedere, pro Romanensis religionis defensione sollicitauit, ut Protestantes Smalcaldici terrerentur. Quod foedus sanctum, item, den Catholischen Gegen-Bund appellarunt, apud SLEID. *Lib. XII, p. 338*, et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. XVII, §. 53.*

§. 20. Anno insequenti XXXIX Euangelici in Saxonia et Misnia infensissimo hoste liberantur. Nam *Georgius*, Dux Saxoniae, qui Lipsiae residebat, die 24 Aprilis uita, sine liberis superstitibus excesserat. Cui frater *Henricus*, Pius appellatus, ab intestato successit, statimque populo in fidem recepto *Lutherum* accersiuit *Lipsiam*; ut cum *Melanchthone*, Pontificias superstitiones abrogaret, atque Ecclesiam repurgaret. Id quomodo gestum sit, AVG. PFEIFFERVS *in Lipsia sua Lib. III, §. 35, seqq.* exponit. Conf. SLEID. *Lib. XII, pag. 343, seqq.* et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. 19.*

§. 21. Cum anno XL. aeui Protestantium legati *Smalcaldiae* denuo conuenissent, de formula reconciliationis cum Pontificiis deliberaturi; Caesar *Spirae* primum, deinde *Wormatiae* de concordia reducenda per *Granuellanum* instituto colloquio, cui *Melanchthon* et *Eccius* interfuere, Protestantes sollicitauit. Vid.

HORT-

HORTLEDERVM *Tom. I, Lib. I, cap. 35, 36,* SLEID. *Lib. XIII, pag. 371,* CAM. *in Vit. Melancht. pag. 198,* et P. SVAV. *Hist. Concil. Trid. Lib. I, pag. 100, seqq.* Illo autem mox abrupto, anno insequenti, *Ratisbonae* iterum reassumtum fuit. Vbi *Granuellanus* nomine Caesaris librum Theologis praesentibus uelut conciliationi promouendae idoneum exhibuit. Quem cum illi improbarent, Caesar pertaesus colloquiorum, per *decretum* die 28 Iul. totum religionis negotium ad concilium distulit. Vid. HORTLEDER *l. c. cap. 37,* PETR. SVAV. *Lib. I, pag. 101, seqq.* et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. XXI, §. 80,* et *Sect. XXIII.*

§. 22. Pontifex igitur *Paulus III* anni sequentis principio, Caesare annuente, *Tridenti* Concilium indixit. Vid. HORTLED. *Tom. I, Lib. III, XXXIIX,* P. SVAV. *Lib. I, pag. 109,* qui Bullam indictionis, quae Caesari displicuit, simul exhibet. Protestantes uero dissentiebant, neque ut Pontifex Concilium indicat, neque ut Tridentum locus sit, probantes. *Lutheri* hic iudicium de Concilio, ex *Tom. VI, Ienens. fol. 533,* notandum: Es schleppet sich der Pabst mit dem armen Concilio, als die Katze mit den Jungen. In Teutschland will er es nicht halten, zu Mantua kan er es (wie er vorgiebt) nicht halten, iezt soll es zu Vincentz werden, da es nicht seyn kan, und sie es auch nicht meynen. Ich achte, er will ein Marcolphus werden, der nirgend einen Baum finden konte, da er gerne anhencken wolte, also kan der Pabst keinen Ort finden, da er gerne ein Concilium halten wolte. Conf. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. XXV.*

§. 23. Exeunte anno, Caesar *Granuellano* praeceperat, ut anni sequentis initio, ad comitia *Norimbergam* proficisceretur, relicto *Tridenti Mendoza*, qui Concilii

lii Patres ad aliquid auſpicandum ſollicitaret: ſaltem, ne diſcederent, prouideret, quod ipſa Concilii umbra, in proximo Ordinum conuentu, rebus ſuis momentum aliquod uideretur allatura. Eo in conſeſſu, a Granuellano propoſitum, ut Imperii Ordines bellum contra Turcam, et auxilia Caeſari contra Galliae Regem decernerent. Proteſtantes uiciſſim poſtulabant, ut diſſidium religionis componeretur, offenſionesque a Iudicibus Camerae Imperialis, aliis quidem obnitentibus, ſed reuera religionis cauſa contra ipſos excitatae tollerentur. Quod cum Granuellanus declinaret, a comitiis, re infecta, diſceſſum eſt. Caeſar interim *Buſſeti* in Italia, cum Pontifice in colloquium uenit. Vid. P. SVAVIS *Hiſtor. Conc. Trid. Lib. I, pag. 112, ſeqq.* Magnum hoc tempore cauſae Euangelicae periculum imminuiſſe, SECKENDORFF. *Hiſt. Luther. Lib. III, Sect. XXV, §. 104*, animaduertit.

§. 24. Dum autem haec de Concilio agitantur, *Hermannus* Archi-Epiſcopus Colonienſis, in curam emendandae uel reformandae Eccleſiae incumbit; *Bucero* ad ſe euocato Argentorato, qui Bonnae docere Euangelium coepit. Cui inſtituto promouendo etiam *Melanchthonem* ad ſe accerſitum adiunxit. Enimuero Pontificii doctores, et inprimis Colonienſes, qui ſemper ab Euangelica doctrina abhorruerant, magno molimine Archiepiſcopum ſuum infeſtarunt, libro cuulgato, quod *Antididagma* uocarunt: In cuius praefatione claris uerbis aſſirmarunt, ſub Imperio Turcico malle ſeſe uiuere, quam ſub magiſtratu, qui reformationem illam ſequatur atque defendat. Vid. SLEIDAN. *Lib. XV, pag. 426, ſeqq. Lib. XVI, pag. 455, et 471*, et SECKEND. *Hiſt. Luth. Lib. III, Sect. XXVII.* Ceterum

an.

an. MDXLIII reformatio Ecclesiastica in Principatu *Hennebergico* susceptа, quam SECKENDORF. *l. c. fol. 1543, seqq.* describit.

§. 25. Saxoniae Dux *Mauritius*, interea leges Ecclesiasticas salutares condidit, quae per ipsius ditionem seruari debebant. Ac ne seminaria tam Ecclesiae, quam reipublicae deessent, tres literarum ludos instituit, *Misenae, Mersburgi, Portae*; singulisque locis certum numerum attribuit adolescentum; quibus omnibus victum praebens atque uestitum, magistris etiam annua stipendia soluit, et in hunc usum applicuit eorum collegiorum prouentus, in quibus aliquando monachi uixerant otiosi, et id genus alii. Vid. SLEID. *Lib. XV, pag. 427., seqq.* An. MDXLIV in comitiis *Spirensibus*, Caesar, ob metum Galli, quippe hostis, Protestantibus se mitiorem praebuit. Vid. SECKENDORF. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. XXIIX.* Quod Pontifex improbauit, ibidem *Sect. XXIX.*

§. 26. Anno MDXLV *Waldenses*, ex crudeli Senatus *Aquensis* sententia, diris modis iterum diuexantur, apud SLEIDAN. *Lib. XVI, pag. 463, et 466.* Pontifex etsi Concilium indixerat, totus tamen arsit cupiditate bellum inferendi Protestantibus. Quapropter *Lutherus*, aduersus Pontificatum Romanum librum publicauit, quo *Papatum a Satana constitutum*, daß das Pabstthum vom Teufel gestiftet, probat, praefixa pictura, quae statim indicat argumenti summam. Vid. SLEID. *Lib. XVI, pag. 468, seqq.* Eodem anno *Lutherus* Theologos *Louanienses*, qui Parisiensium exemplo excitati, dogmata XXXII a Caesare edicto confirmata publicauerant, refutauit. Haereticos eos atque sanguinarios appellat, qui cum impia doceant, et ratione sua non possint ex Scriptura defendere, uim adhibeant

beant et igni grassentur atque ferro. Nam illi, sicut etiam *Parisienses*, nuda solum axiomata proposuerant, et quid sequendum sit, praescripserant; locum uero nullum e S. Literis adduxerant et magistratum ad animaduersionem inflammauerant. SLEID. *l. c. pag. 459.*

§. 27. Quum igitur de Concilio, de pace Ecclesiastica, de Camera Imperii, deque bello Turcico, diu multumque disceptatum esset sine fructu, in comitiis etiam hoc anno *Spirae* habitis, (quorum acta SECKEND. *Lib. III, Sect. XXXI*, describit,) Caesar *Ratisbonam* Principes omnes uenire iubet, nisi ualetudine detineantur; se quoque uenturum eo promittens: ut habito doctorum uirorum Colloquio, aliquando religionis dissidium tollatur. Quod SLEID. *Lib. XVI, pag. 472 et 481, seqq.* describit. Conf. SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. XXXV.*

§. 28. Interea *Palatinus Elector* in suis ditionibus passim Ecclesiae ministros et Euangelicos doctores instituit, integram quoque coenam Domini et coniugium sacerdotum permisit. Vnde die 10 Ian. an. MDXLVI loco Missae Pontificiae, in primario templo *Heidelbergae*, sacrum lingua populari peractum fuit. Protestantes igitur missa legatione, eidem gratulantur; hortantes ut pergat, et A. Confessionis doctrinam publice profiteatur. Vid. SLEID. *Lib. XVI, pag. 478, seq.* et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. XXV, §. 97.*

§. 29. Dum post multas tergiuersationes, *Concilium* die 7 Ian. huius anni, non sine pompa *Tridenti* redintegratur, *Lutherus* die 18 Febr. anno MDXLVI *Islebiae* in patria sua placide obdormiuit. Funus iussu Electoris Sax. *Wittebergam* honorifice delatum, quinto post die, ibidem in templo arcis recondi-

tur. Vid. SLEIDAN. *Lib. XVI, pag. 486, seqq.* CAME-

RAR.

RAR. *in Vit. Mel. pag. 250, seqq.* et SECKEND. *Hist. Luth. Part. II, fol. 633, seqq.*

§. 30. Si quis hactenus a *Luthero* gesta, animo expendat Christiano, θεόν τι certe in hoc sancto Reformationis negotio agnoscet. Ipse enim uilis licet et abiectus monachus uisus; ea tamen DEO propitio patrauit, quae supra consilia et uires hominum etiam maximorum sunt. Coelestis ueritatis doctrinam, post diuturnas tenebras, quae uniuersum orbem Christianum obruerant hactenus, in lucem protraxit, suamque maiestatem iterum uerbo coelesti, libertatem Ecclesiae, Seruatorem peccatoribus Christum, ipsius denique Saluatoris communis, qui tum prae humili illo seruorum seruo Papa, uix fabula erat, et nudum nomen, decus ac gloriam uindicauit, atque restituit. Admirabile et prorsus diuinum existimandum, quod quum in apricum iam emergentem ueritatem Euangelicam, tota Pontificiorum natio, magna Principum potentia subnixa, omnibus modis premere, et uelut inprimis carceribus sistere ac quasi suffocare contenderet; eandem promouerint maxime, uiresque ac opes magis magisque increscendi suppeditarint. *Lutherus* ipse aduersus furores mundi totis uiribus ueritati incumbentis, securus semper et inperterritus stetit, causam suam DEO permittendo; cum clariora subinde documenta caperet, uniuersum religionis sanctae atque orthodoxae negotium, non tam humanis praesidiis aut consiliis confici posse; quam DEI solius nutu, gubernatione, mirandaque ope geri ac perfici. Ideo tot fidei heroicae documenta passim edidit. Et quando *Melanchthon* tanti operis alias fidelis paratata, formidaret Rom. Pontificis et maximi Caesaris nomina, qui uariis artibus rectisque dolis non tantum rem suam agebant;

bant; sed etiam aperto grassabantur Marte ad opprimendam coelestem ueritatem; eundem ad fidei constantiam grauiter cohortatus est. Quia in sola diuina ope spem omnem ponebat suam, nullam causae, quae DEI erat, ruinam ueritus, si uel uniuersus orbis illabatur. Haec diuinae prouidentiae documenta clarissima, SAVBERTVS supra *Sect. III*, laudatus, et DANNHAVERVS *in Dissert. de Memoria Thaumasiandri Lutheri Renouata* annotarunt et praedicarunt. Ibit igitur in omnes memorias tam illustre ac memorabile diuinae prouidentiae exemplum, et longe uenturos posteros docebit; nihil non posse perfici, quod diuino auspicio susceptum, Deoque auctore geritur.

§. 31. Ceterum *Opera Lutheri* uariis digesta tomis, *Witebergae*, *Ienae*, *Islebiae* et *Altenburgi*, unde et eorum tomi nomina sortiti sunt, prodierunt. Quorum inter se discrimen KORTHOLDVS *in Hist. Eccles. Sec. XVI, Sect. I, cap. IV, §. 11, seqq.* annotauit. Vltimus eius labor *Commentarius in Genesin* fuit, quem *Kortholdus* opus plane aureum uocat.

§. 32. Secta *Iesuitarum* autore *Ignatio de Loiola Cantabro* anno MDXL orta, anno quo *Lutherus* obiit, et sequentibus XLVIII, XLIX, L, et LII, a Pontifice Rom. nouis priuilegiis munita fuit; Quia spes erat, eos sedis Romanae iam titubantis fulcra fore. Quae cum non fefellerint, *Vrbanus VIII*, Papa, anno MDCXXIII *Ignatium Loiolam*, eiusque socium primarium *Franciscum Xauerium*, in Diuorum numerum retulit. Vid *Constitut. Soc. Ies. et Liter. Apostolic.* quae *Antwerpiae* anno MDCXXXV publicata prostant.

PERIO-

zu wollen. Da diese unumschränkten Bestätigungen, wie die Päbste selbst sagten, besonders von der Clausul: non obstantibus Concilii generalis hujusmodi aliisque apostolicis constitutionibus, et praesentes literas nullo unquam tempore per nos aut sedem praedictam revocari aut limitari vel illis derogari posse, et quoties revocari toties in pristinum restitutas fore; [illegible] ist ja unbegreiflich, daß die Jesuiten [illegible] Päbste [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], die von allen Cardinälen, Concilien ja von Päbsten selbst [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] wollte. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Das Tridentinische Concilium hat [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]; [illegible] [illegible]. [illegible] hat in ihrer [illegible] Congregation [illegible]. [illegible] von dieser [illegible] [illegible]. Die [illegible] Päbste Gregor. XIII. von 1584 u. XIV. von 1591 [illegible] Grundlage, worauf sich ihre Unveränderlichkeit gründete. Denn d. Pabst sollte sie auf [illegible] [illegible].

PERIODI V
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
SECTIO IV
DE
STATV RELIGIONIS AB OBITV B. LVTHERI AD FINEM CONCILII TRIDENTINI

§. 1

Post obitum *Megalandri*, *Lutheri* magna rerum conuersio in Germania facta est. Nam Caesar, cum *Paulo III*, Pontifice Rom. *Ferdinando* fratre, et aliis a Pontifice subornatis, foedus ad oppressionem Protestantium inierat, de quo apud HORTLEDERVM *Tom. II, Lib. III, cap. 3.* et SLEIDAN. *Lib. XVII, p. 505, seqq.* et *p. 514.* Pontifex Archiepiscopum Colonienſem, ob studium reformandi excommunicauit, apud SLEID. *l. c. p. 503.* Protestantes *foederis Smalcaldici* causas publicant iustissimas, arma repellendae ui iniustae parant. Haec cum iussu Caesaris exuere nollent; ipse illos sub rebellionis praetextu proscribit. Vnde luctuosum Germaniae *Bellum*, quod *Smalcaldicum* uocatur, exarsit. In quo Elector Sax. *Ioh. Fridericus pius*, sed infelix Princeps, praelio uictus succubuit, captiuusque a Caesare ductus est. Landgrauius *Philippus* etiam per dolum Granuellani interceptus, in Caesaris potestatem uenit. Hinc captis ac superatis Protestantium capitibus, res et spes eorum prostratae uidebantur. Vid. HORTLED. *Tom. II, Lib. III,* SLEIDAN. *Lib. XVII, XIIX et XIX,* CAMERAR. *in Vit. Melancht. pag. 267. seqq.*

§. 2. Alios interea spiritus, curia Romana et tota Pontificiorum natio sumserant, triumphantes, quod Caesar late iam victor per Germaniam, de extinguendo Lutheranismo, cum Pontifice consilia agitaret, et disceptationes de Religione eo deducere contenderet, quo multis annis et magno labore antea frustra conatus fuisset. Ideo Caesar *Augustae Vindelicorum* anno MDXLVII, comitia armata indixit, dispositis in urbe et circum aliquot Hispanorum et Italorum legionibus. Inde ipse Cal. Decembr. in comitiis coactis proposuit: Quia dissidium religionis causa sit omnis perturbationis Germaniae, et nisi componatur, pax constitui nequeat; et uero Tridenti iam inchoatum sit Concilium; ideo se primam et potissimam uelle huius rei deliberationem esse. Ordines Ecclesiastici, Papae addicti, sine omni conditione Concilium coeptum adprobant et urgebant; Protestantes uero contra, non nisi cum conditione illud admittere se posse, demonstrabant. Caesar autem grauiter monebat, ut omnes sese Concilio Tridentino submitterent. Vid. SLEID. *lib. XIX, p. 590, seqq.*

§. 3. Dum in Germania Protestantes et Confessores doctrinae Euangelicae passim premuntur, *Petrus Martyr*, Theologus Argentoratensis sub exitum Nouembris an. MDXLVII, ab Archiepiscopo Cantuariensi in *Angliam* euocatur, ut de uoluntate Regis, Ecclesiae Anglicanae emendationem susciperet. Cui uocationi ille parens, *Oxoniae* S. Literas interpretari atque idolomanias Pontificias confutare mox aggressus est. SLEID. *Lib. IX, p. 599.* In Hispania uero *Inquisitio* a *Ferdinando Catholico* et *Isabella* in Iudaeos et Mauros instituta, nunc Lutheranorum exorto nomine, in omnes a Rom. Ecclesia dissentientes, acerbissime exerceri coepta est.

est. Quam ob causam, cum Neapoli pari crudelitate in suspectos Lutheranismi saeuiretur, seditio exorta est, teste SLEIDANO *Lib. XIX.* Quae deinde in flammam erupit. Vid. P. SVAV. *Hist. Conc. Trid. Lib. II, p. 303.*

§. 4. Caesar uidens Concilium Tridentinum Protestantibus minus probari, in comitiis Augustanis anno MDXLVIII ad eos retulit; utile sibi uideri, ut a uiris doctis, et doctrinae et rituum capita conscribantur, quae INTERIM, dum decreta Concilii prodirent, fieri seruarique oporteret, ab iis quidem qui in doctrina Ecclesiae ac ritibus usitatis aliquid innouassent. Autores huius libri fuerunt *Iulius Pflugius*, Episcopus Numburgensis, *Michael Sidonius*, postea Mersburgensis Episcopus, et *Iohannes Agricola*, Islebius, Antinomus, quem LVTHERVS *Tom. VII, Ien. G. fol. 286*, refutauerat. Qui, ut *Camerarius* loquitur, clandestina et tenebricosa opera, illum iussu Caesaris congesserunt, uulgo *Interim Augustanum*, item *Formula Religionis*, et *Sphynx Augustana* appellatur. Summa eius capita SLEID. *Lib. XX, p. 625, seqq.* recitat. Hunc quum Caesar in Confessu Ordinum, Idibus Maii omnibus Statibus obtruderet seruandum, donec Concilium Tridentinum finiretur; magnae in Germania turbae excitatae sunt. Nam neque Pontificiis, neque Protestantibus probabatur. Vid. P. SVAVIS *Hist. Conc. Trid. Lib. II, p. 325.* CAMERARII *Vit. Melancht. p. 288. seqq.* OSIANDRI *Cent. XVI, Hist. Eccl. p. 487*, et *Dissertat. nostram de Interim Augustano.* Primi, qui illud impugnarunt, fuerunt *Matthias Flacius*, *Nicolaus Gallus*, *Nicolaus Amsdorfius* et ministri Ecclesiae *Lubecensis* ac *Magdeburgicae*. *Wittebergenses* uero et *Lipsienses* Theologi reuerentes autoritatem ac potentiam

Caesaris, de eo mitius senserunt. Vnde *Adiaphoristae* appellati controuersiis *interimisticis* ansam praebuere in Saxonia. Vid. HORTLED. *Tom. II, Lib. IV, c. 4. 5.* Culpa earum contentionum in Philippum Melanchthonem conferebatur; quod multa illius formulae *Interim* capita declarasset *Adiaphora* seu indifferentia, quae *Flacius* inprimis negauit. Hinc noua *Lipsiae* ex illo adornata formula, (quae dicebatur das Leipzigische Interim) plures inter ipsos Saxonicos lites peperit. Vid. CAMERAR. *l. c. p. 304*, et OSIANDRI *Cent. XVI, c. 68.*

§. 5. Cum ita in *Saxonia* noua litigia feruerent, et *Thuringici* Theologi etiam *Lipsicum Interim* repudiarent an. MDXLIX, *Ienae* oppido Thuringiae, a captiui *Io. Friderici* Electoris filiis, noua *Academia* constituitur, anno LVIII a *Ferdinando* postea priuilegiis ornata, quae cum laudato Electore captiuo, interimisticam doctrinam reiecit.

§. 6. Interea dum in *Gallia Caluini* doctrina disseminatur, *Henricus II*, Rex, cum Lutheranos, tum Caluinianos partim exilio partim martyrio omnes tollere contendit. Vid. SLEID. *Lib. XXI, pag. 662*, ET SVAV. *Hist. Conc. Trid. Lib. II, p. 333.* In *Anglia Petrus Martyr* superstitiones Pontificias impugnat. *Paulus Vergerius*, cuius supra meminimus, Euangelicam doctrinam amplectitur. *Franciscus Spiera* ob abnegatam Euangelicam ueritatem desperat, apud SLEID. *Lib. XXI, p. 649. Paulus III*, Pontifex, uita excedit, in cuius locum *Iulius III* eligitur, apud SLEID. *l. c. pag. 667*, Caesar in *Belgio* contra Lutheranos et Zwinglianos, edictum seuerum promulgat, quo illorum libri et uendi et legi uetantur. *Louanienses* Theologi etiam indicem librorum prohibitorum publicarunt. SLEID. *Lib. XXII, pag. 679*, et OSIAND. *l. c. pag. 541.*

§. 7.

§. 7. *Mauritius* uero Elect. Sax. dum Caesar Protestantes sub iugum Pontificium mittere, in Comitiis Augusti. an. MDL moliebatur; per legatos, Concilium Tridentinum esse illegitimum demonstrauit, apud SLEID. *Lib. XXII, pag. 682.* Magdeburgenses ob reiectum *Interim* Caesaris iram sentiunt. Pontifex autem nouus, *Bulla* edita, Concilii dicti continuationem urget, apud SLEID. *Lib. XXII, pag. 689, 691,* et 704. Et Caesar Protestantes, ut illi interessent, denuo uocauit. SLEID. *l. c. pag.* 707. Etsi Rex Galliae etiam contra illud protestaretur, apud SLEID. *l. c. pag.* 711.

§. 8. Nouas interim in *Borussia* an. MDLI, *Andr. Osiander*, Regiomonti lites mouerat. Nam primum in explicatione Geneseos dixerat, Filium DEI fuisse incarnandum, etiamsi homo non peccasset; Deinde asseruerat, Christum esse nostram iustitiam secundum diuinam naturam; seu nos iustificari per iustitiam DEI inhabitantem. Quam sententiam *Melanchthon* refutauit. Vid. CAMERAR. *Vit. Mel. pag. 314,* SLEID. *Lib. XXII, pag. 700,* et OSIAND. *l. c. pag. 554.* In *Dania* idem dogma *Osiandri* an. MDLII reiectum et confutatum fuit, teste STEPHANO IOHANNE STEPHANIO *Hist. Danic. Lib. I, pag. 45, seqq. Osiandro Franciscus Stancarus*, Italus, Ebr. Lingu. Prof. Regiomontanus, Scotista, contradicens, in alium prolapsus errorem, spargebat, Christum, nonnisi secundum humanam naturam, nostrum esse mediatorem.

§. 9. Elector Sax. *Mauritius* et alii Ordines *Protestantes*, ne Caesaris autoritatem spernere uiderentur, anno MDLII Legatos *Tridentum* mittunt; qui postulabant, ut fide publica suis Theologis de securitate caueretur, si eo uenire deberent; deinde ne quis ex aduersa parte in Concilio iudex sederet. Quae cum

denegarentur, re infecta discesserunt. Vid. SLEID. *Lib. XXIII*, P. SVAV. *Hist. Conc. Lib. III*, *pag. 353*, et *Lib. IV*, *pag. 398*, *seqq.* Theologi *Saxonici* interea *Norimbergam* uenerant, sed dum fidei publicae formulam expectant, a *Mauritio* reuocantur; quod ipse arma in Caesarem dominatum in Germania molientem conuertisset. CAMERAR. *in Vit. Melanchth. pag 338*, *seqq.* Vnde Caesar inopinato hoc bello territus et fugiens per fratrem Ferdinandum *Passauiae* cum *Mauritio*, de pace Religionis et captiuis Principibus dimittendis, transigere necessum habuit. Vid. HORTLEDER. *Tom. II*, *Lib. V*, *cap. 4*, *seqq.* P. SVAV. *Lib. IV*, *p. 474.*

§. 10. Magna inde rerum in Germania conuersio, uindice libertatis *Mauritio* facta est. Nam *Transactione* illa *Passauiensi*, cum religionis tum ciuilis Protestantium liberras asserta fuit. Vid. P. SVAV. *Lib. IV*, *pag. 425*, SLEID. *Lib. XXIV*, *pag. 784*, HORTLEDER. *Tom. II*, *Lib. V*, *cap. 24.* Patres Tridentini, *Mauritii* Electoris armis territi, etiam Tridento aufugerant, et Papa spe opprimendi Protestantes exciderat. Solabatur tamen se, quod ex Oriente, *Simon* quidam *Sultaha* Patriarcha omnium earum nationum, quae Indiam et Euphratem interiacent, Romam uenisset, et ab eo confirmationem peteret, apud P. SVAVEM *Lib. IV*, *pag. 429.*

§. 11. Anno MDLIII cum *Mauritius*, Elector Sax. in praelio prope *Visurgim* occubuisset; magno cum Protestantium dolore in Anglia etiam *Eduardus VI* Rex, Euangelica doctrina imbutus, uita excessit. Cui soror *Maria* Pontificia religione immutrita successit, quae religionem Euangelicam extinguere ac in eiusdem confessores saeuire coepit grauissime. *Genuae* hoc anno, de *Michaele Serueto* Hispano, qui Christi Deitatem impu-

impugnauerat, suasu Caluini, magistratus sumsit supplicium. Vid. SLEID. *Lib. XXV*, et OSIANDR. *Cent. XVI, Lib. III, cap. XVIII.* In *Bohemia* anno insequenti, Rex *Ferdinandus* communionem sub utraque uetuit. Vnde multi in exilium electi, quos *Melanchthon* peculiari *Epistola* consolatus est.

§. 12. Tandem post tot concertationes et molitiones Papaeorum aduersus Religionem ueram susceptas, anno MDLV. *Augustae Vindelicorum*, urgente inprimis *Augusto*, Electore Sax. *Pax Religionis* sancita, in comitiis publice confirmata fuit. Qua August. Confessioni addictis plenum ac liberum religionis exercitium concessum, ut pari circa sacra sua iure cum Romano-Catholicis gauderent. Vnum in isthac pacis formula iniquum Protestantibus uidebatur: nempe *Reseruatum Ecclesiast. cum*, der geistliche Vorbehalt. Vid. SLEID. *Lib. XXV*, et LEHMANN. *de Pac. Religios.* Summa dictae pacis est: ut Augustanae Confessioni addictis Statibus religio sarta tectaque relinquatur; ne partes duae, in quas Ecclesia scissa fuerat, se inuicem obtentu religionis infestent, laedant, aut ad eandem eiurandam adigant; bona Ecclesiastica a Protestantibus hactenus occupata, penes ipsos maneant, nec in occupatores eo nomine apud tribunal Spirense actio detur: Episcopis nulla in August. Confessioni addictos iurisdictio sit; sed ipsis circa sacra sua disponere liceat etc. *Recess. Imp. anno M D L V, §. XV, XVI.*

§. 13. Cum Ordines Austriae *Viennae* ob bellum Turcicum congregati a *Ferdinando*, Rege, pacis religiosae beneficio frui itidem petiissent; ille respondit, decreti Imperii hanc esse sententiam, ut *populus sui principis religionem sequatur.* Spem tamen fecerat usum calicis in S. Coena permittendi, si in caeteris Rom. Eccle-

Ecclesiae ritibus nihil mutetur. Romae interea *Paulus IV*, morosus senex ad Pontificatum euectus, nouam *Iesuitarum* sectam ab *Ignatio Loiola* Hispano ante aliquot annos inuentam confirmauit. De cuius origine SLEID. *Lib. XXVI, p. 840*, THVANVS *Lib. XXXVII*, et SECKEND. *Hist. Luth. Lib. III, Sect. XXI, §. 84*, legi merentur. Horum socii hoc tempore in *Indiam* ac *Iapan* penetrarunt, Christianam religionem propagaturi. Vid. NICOL. TRIGAVTIVM *de Introd. Relig. Christ. in Sinam. Lib. II, c. 1 et 2.*

§. 14. Pace interim in Germania Ecclesiae reddita, anno MDLVI *Otto Henricus*, Palatinus, per ditionem suam, ut abolito Papismo, Augustanae Confessionis doctrina reciperetur, edixit. *Carolus* etiam, Marchio Badensis, Augustanam Confessionem amplexus, idolomaniam Pontificiam abrogauit. In *Borussia Albertus* Brandenburgicus, misso *Osiandri* errore, publico scripto professus est, se Augustanae Confessionis doctrinam in articulo de Iustificatione sequi uelle. Sed in *Saxonia* contentiones de *adiaphoris*, *Synergismo*, *Zwinglianismo* et *necessitate bonorum operum ad salutem*, feruere magis coepere. *Ferdinandus* autem, postquam *Carolus V* sese imperio abdicasset, Imperator factus, an. MDLIX Augustae Vindelicorum Concilii instaurationem promittit, si quidem eius decretis omnes se parituros recipiant. At uero Protestantes Concilium liberum et Christianum, in Germania instituendum postularunt. Vid. THVAN. *Lib. XXII*, et CHYTR. *Lib. XX.* Hoc anno *Ioh. Nonius Barretus* ex societate IESV, ad Regem Habessinorum ablegatus, ut illi persuaderet subdere sese Papae Romani. Verum *Barretus* Aethiopiam subire ueritus, socium *Andream Ouiedum* ad Regem misit, qui Papae subiici noluit.

noluit. Vid. IO. LVDOLFI *Hist. Aethiop. Lib. III, cap. 9.*

§. 15. In *Gallia* hoc tempore *Henricus II*, in *Hispania* et *Belgio Philippus II*, Reges, edicta seueriſſima aduerſus diſſentientes a fide Romana promulgarunt. Vid. GROTII *Annal. Lib. I, et II.* *Philippus*, Rex Hiſpaniae, in naufragio, ſingulari DEI beneficio ereptum periculo ſe dicebat, et in id ſeruatum, ut propagandae eius gloriae ac Lutheraniſmo extirpando inſeruiret, apud THVAN. *Lib. XXIII.* Sed in Anglia uiuis ereptae Mariae, Eliſabetha ſoror eius ſucceſſit, quae abolito Papiſmo, Reformatam religionem propagauit. Vid. THVAN. *Lib. XX*, circa finem, et CAMDENVM *Annal. Part. I, ad annum MDLIX.*

§. 16. Eodem anno *Dauid Georgius*, Delfenſis, fanaticorum erroribus in Belgio occupatus et inde eiectus, *Baſileae* portentoſa et blaſphema dogmata ſparſit, ſe Meſſiam non ex carne ſed Spiritu S. ſuſceptum iactitando. Quae THVANVS *Hiſt. Lib. XXII*, et SCHARDIVS *Tom. III, Rer. German. ſcript. fol. 3, ſeqq.* prolixius recenſent.

§. 17. *Philippus Melanchthon*, communis Germaniae praeceptor appellatus, cum magnis in Eccleſiam meritis inclaruiſſet, an. MDLX Cal. Martii diem ſuam obiit. Cuius uitam et elogium *Ioachimus Camerarius* inſigni libro deſcripſit. Poſt eius obitum multi, quos reliquerat eruditos diſcipulos, a praeceptore *Philippiſtas* dictos, controuerſias de Synergiſmo, Adiaphoriſmo, et Zwinglianiſmo notas, maiori contentione perſequi coeperunt. Quarum culpam in uiri huius lenitatem aliqui contulere. *Pius IV*, Papa, hoc tempore denuo Concilium Tridentinum inſtaurat; Vid. SVAVIS *Hiſt.*

Lib. IV, pag. 475, seqq. Quod Protestantes Principes iterum reiecerunt.

§. 18. Ideo *Naumburgi*, moderante *Augusto*, Electore Sax. anno insequenti LXI conuentus Ordinum Protestantium institutus fuit. Quo tum de *inuariata Augustana Confessione* (nam *Melanchthon* an. MDXL in ea quaedam mutauerat,) seruanda et tuenda; tum de Concilio Tridentino reiiciendo actum est. Venerant eo etiam Caesaris legati et Pontificis Rom. nuntii, *Zacharias Delphinus* et *Hr anciscus Commendonus*, Protestantium consilia exploraturi. Vid. CHYTRAEVM *Lib. II, fol. 585, seq.* ANTON. MARIAE GRATIANI *Vit. Commendoni Lib. II, cap. 2 et 3*, LVNDORPII *Continuat. Hist. Sleid. Tom. I, pag. 275, seqq.* In *Gallia* Psalmos Dauidicos a Maroto uersos cantare, quasi profanae et impudicae cantiones essent, *Hugonotis* interdicitur. Vid. THVAN. *Lib. XXV.* *Vinariae* hoc anno etiam de *libero arbitrio*, inter *Matthiam Flacium* et *Victorinum Strigelium* Synergistam disputatio habita fuit. In qua cum Flacius peccatum originis ex animi praecipitantia, *substantium* dixisset, ae; monitus licet, uocabulum reuocare nollet; nouae contentiones de P. O. enatae; an illud *substantia* an *accidens* sit? qui *Flacium* sequebantur, ut *Christophorus Irenicus*, *Cyriacus Spangenberg*, *Martinus Wulthus*, inde *Flaciani* appellati sunt.

§. 19. Dum haec in Germania geruntur, in Gallia Caluiniani, qui *Hugonoti* ridiculo et odioso nomine apud THVANVM *Lib. XXIV*, appellantur, uariis modis premuntur. Nec *Colloquium Possiacense* anno MDLXI reconciliationis gratia institutum, Hugonotis multum profuit. Vid. THVAN. *Lib. XXVIII, initio*, *et* P. SVAVIS *Hist. Conc. Trid. Lib. V p. 508.* In Concilio Tridentino, Principum Romano-Catholicorum legati,

gati, calicis communionem pro laicis, Sacerdotum coniugium et alia id genus sollicitarunt. Ipse Imperator *Ferdinandus*, et Dux Bauariae hac de causa apud Pontificem instabant literis. Vid. P. SVAV. *Hist. Conc. Trid. Lib. VIII, p. 921, et Lib. VII, p. 725.* In Saxonia tam superiori quam inferiori interea *Zwinglii* et *Caluini* doctrina latius disseminata, turbas ante iam uiuo *Melanchthone* excitatas, auxit; cum Wittebergenses et Lipsienses Theologi illorum placitis haut obscure fauerent. Vid. OSIANDR. *Cent. XVI, pag. 734, seqq.* Circumuagabantur etiam adhuc *Schwenckfeldiani*, licet *Casp. Schwenckfeldius* an. MDLXII uiuis excessisset.

§. 20. *Concilium Tridentinum*, cum per XVII annos protractum esset, demum an. MDLXIII finitur. Cuius *Decreta* Pontifex Romanus confirmat, inque ea, ut iurent Episcopi, sancit. Protestantes, qui eo inauditi, a reis (Pontificiis) condemnati fuerant, publico uicissim scripto edito illud improbant atque reiiciunt. Ipsa uero eius decreta *D. Martinus Chemnitius* insigni libro examinauit atque confutauit. Historiam *Petrus Suauis*, seu, ut uero nomine appellatur, *Paulus Sarpius*, Venetus, uir prudentissimus et cordatissimus descripsit. Iudicium grauissimum de hoc conciliabulo *Andr. Dudithius*, Episcopus Quinqueecclesiensis, in *Epist. Ad Maximilianum II*, Caesarem, tulit, quod laudatae Historiae *Sarpii* praemittitur. Conf. THVAN. *Lib. XXXVI*, et KORTHOLDI *Hist. Eccles. Sec. XVI, pag. 792.*

§. 21. Hoc anno *Bernhardinus Ochinus*, Italus, innotuit: qui in Dialogis suis polygumiam statuit, et mysterium SS. Trinitatis oppugnauit. Quapropter urbe agroque Tigurino et postea Basilea eiectus, in Poloniam concessit, ut haeresin latius spargeret. Vid. ANTONII MARIAE GRATIANI *in Vit. Commendoni Lib. II, cap. 9.*

cap. 9. Laelius Socinus, Senensis, qui an. MDLXII obierat, *Faustum Socinum* sanguine sibi proxime iunctum reliquit. Hic patrui sui *Explicationem in cap. I Ioh.* et alia eius MSCta nactus, virus *Photinianismi* inde hausit. Quod deinde late per *Poloniam*, *Transylvaniam* et *Germaniam* etiam sparsum fuit. Vid. LVBIENIECII *Hist. Reformat. Polon. Lib. II, cap. 1, seqq.* et *Lib. III*, HORNBECK. *Socin. refut. Tom. I, pag. 50*, CALOVII *Socin. Profligat.* SCHERZERI *Colleg. Anti-Socin. disp. I*, et KORTHOLD. *Hist. Eccles. Sec. XVI, cap. 2, §. 167. seq.* Refert in hunc annum THVAN. *in Lib. XXXVI*, *Sebastianum Castalionem* siue *Castellionem*, qui nouam Bibliorum *versionem latinam* adornauit; quam ille improbat, quod puritati sermonis studere nimium voluisset. Vid. VOSS. *Part. II Instit. Orat. pag. 6*, RIVET. *Tom. II Opp. pag. 917*, et HVET. *de Interpr. Lib. II, c. XVIII.*

PERIODI V

SECTIO V

QVAE INCIPIT A CONCILIO TRIDENTINO FINITO ET AD PVBLICAM FORMVLAM CONCORDIAE CONTINVATVR

§. I

Anno MDLXIV in coenobio *Maulbrunnensi* ditionis Wurtenbergicae *Colloquium* inter *Wurtenbergicos* et *Heidelbergenses* Theologos, ob *Zwinglii* doctrinam, de Persona Christi et S. Coena, habitum, apud OSIANDRVM *Cent. XVI, pag. 791.* Quo anno *Io. Calvinus*

uinus XIII Cal. Iunii *Genevae*, in qua XXIII annos docuerat, obiit, et *Biblia Tigurina* publicata sunt. THVAN. *Lib. XXXVI. Ferdinandus* Imperator, antequam hoc ipso anno uita excederet, *Maximiliani* filii optimi iuxta ac prudentissimi consilio, de controuersiis Aug. Confessionis articulis amice conciliandis, serio cogitare coeperat. Qua in re, *Georgii Cassandri*, qui Duisburgi tunc erat, opera uti uoluit. Cuius *Consultationes* de hoc negotio, *H. Grotius* cum notis euulgauit. Vid. THVAN. *Lib. XXXV.* Anno MDLXV *Iohannes Matthesius* in Valle Ioachimica pius celebrisque pastor d. 8 Octobr. cum Euangelium de resuscitato filio uiduae in Nain enarrasset, apoplexia tactus, an. aetatis suae LXI obiit. Elogium eius THVAN. *Lib XXXIIX*, exhibet.

§. 2. *Pio IV*, Pontifice, an. MDLXVI mortuo, *Pius V*, patre opilione natus, eligitur Papa. Qui sub initium Pontificatus suspirans, dixit: *Quamdiu fui Religiosus, bene sperauí de mea salute; factus Cardinalis coepi timere; iam creatus Pontifex pene de ea despero.* Causam sane metuendi sibi habuit; cum improbi Concilii Tridentini non tantum defensor esset acerrimus, sed *Maximiliano II*, Imperatori, quod Euangelicos foueret, Imperii abrogationem minaretur, Anglosque aduersus *Elisabetham* Reginam, anathemate suo condemnatam, per Nicolaum Marianum conciraret, ac *Philippi II* Regis Hispaniae tyrannidem in Belgio exercentis laudaret. Hic *decreta Concilii Tridentini* Ordinibus obtrudere sategit, saeuiendo in Iconoclastas, qui Antwerpiae imagines ac statuas e templis eiecerant. Tria enim per Belgium hominum genera erant Pontificis Rom. imperia abnuentium, *Lutherani, Caluiniani*, et *Anabaptistae*, de quibus H. GROTIVS, *Annal. Lib. I, c. 21.*

§. 3.

§. 3. In *Saxonia*, hoc anno, *Ioachimus Fridericus*, *Ioh. Georgii*, El. Brandenb. filius administrator archiepiscopatus Magdeburgici, disciplinae et religionis mutationem ad exitum perduxit. Vnde Aug. Confessionis doctrina publice postea in templis libere tradita, apud THVAN. *Lib. XXXIIX.* Quo tempore *Iohannes Valentinus Gentilis Consentinus*, *Bernae* supplicio capitali affectus est: qui ante octennium ob sparsas de S. DEI Trinitate inter Italos prauas opiniones comprehensus, *Genuae* ex Senatus sententia, ad ignominiosam poenam damnatus, errorem suum publice agnitum detestatus est, ac per compita urbis traductus, cum inde contra datam fidem aufugisset, postea sectarium uirus denuo inter fratres spargere conuictus, dilatam priori sceleri poenam non effugit, teste THVANO *l. c.*

§. 4. *Maximilianus II*, Imperator, pietate et animi moderatione insignis, Nobilibus *Austriae* an. MDLXIIX liberum Euangelicae religionis, cui ipse fauebat, exercitium concessit. *Iulius*, Dux Brunsuicensis, in suis ditionibus, mortuo *Henrico*, Aug. Confessionem recepit. Dux Sax. *Io. Wilhelmus*, *Augusto* Electore consentiente, hoc anno *Altenburgi*, inter *Misnenses* et *Thuringicos* Theologos, *Colloquium* de B. operum necessitate ad salutem, de libero arbitrio et adiaphoris instituit. Quod, ut alia, sine fructu post quatuor menses abruptum est. Vid. CHYTR. *Lib. XXII*, THVAN. *Lib. XLVI*, et *Acta istius Colloquii* publicata. Hoc tempore inter Reformatos in Anglia nomen *Puritanorum* innotuit, qui cum Episcopis subesse nollent, etiam *Presbyteriani* appellati sunt. Hi ritus ex Romana Ecclesia superstites omnes, ut in Ecclesia Geneuensi, expurgatos uolebant. Vid. CAMDENI *Annal. Part. I, ad annum 1558, seqq.* et BVRNETI *Hist. Reform. Angl. Part. II, Lib. III.*

§. 5.

§. 5. In *Saxonia*, uel *Misnia*, lites *Sacramentariae* et *Synergisticae* protrahebantur; etsi an. MDLXIX *Paulus Eberus* Wittebergensis Theologus, et *Victorinus Strigelius* praecipuus Synergista, qui *Iob. Cassiani*, Presbyteri Massilienſis, errorem de συνεργια hominis in conuersione sua resuscitauerant, uita excessissent. Nec *Colloquium*, quod anno insequenti *Seruestae* Anhaltinorum his de causis habebatur, easdem consopire ualuit. Vid. THVAN. *Lib. XLVII.* *Adamus Neuserus*, Pastor Heidelbergensis, ex Caluiniano factus Arianus, Constantinopoli ad Muhammedanos transiit, uitamque desperabundus finiit. Vid. OSIANDR. *l. c. p. 818.* Ob controuersiam Flacianam, an *peccatum Originis substantia? D. Iac. Andreae* cum *Matthia Flacio*, Argentorati, hoc anno etiam frustra disputauit. In *Palatinatu Anabaptistae* Fanaticos errores spargentes, Cal. V Iunii MDLXXI, eosdem in *Colloquio* cum Euangelicis *Franckenthalii* habito, pertinaciter defenderunt. THVAN. *Lib. L.* *Controuersia Maioristica*, de necessitate bonorum operum ad salutem aeternam consequendam, quam *D. Georgius Maior* asseruerat, (cui *Nic. Amsdorfius* contradicens, in contrarium errorem prolapsus, *illa perniciosa ad salutem esse*, dixit,) nondum consopita fuit.

§. 6. In *Saxonia* et *Misnia Wittebergenses* Theologi *Caluinianissmum* incrustantes, Confessionem de S. Coena, sub titulo *Consensus Dresdensis*, *et nouum Catechismum* in lucem emiserunt, quem Theologi *Ienenses*, *Wigandus*, *Heshusius*, et *Kirchnerus* impugnarunt. Vid. OSIAND. *l. c. p. 823.* *Bezam* quoque his litibus sese immiscentem *D. Selneccerus* et *Chemnitius* confutarunt. Insequenti anno *D. Casp. Cruciger*, filius, *Henricus Mollerus*, *Frid. Wildebram*, et *Christophorus Pezelius* Librum, quem *Exegesin* uocabant, Lipsiae impressum publica-

blicarunt, quo *Caluini* placita non obscure defendebantur. Hac de causa, *Augustus*, Elector, praecipuos suae ditionis Theologos *Torgam* conuocauit, ut articulis de S. Coena propositis orthodoxis subscriberent. Quos cum approbari multi recusarent, eos ditione sua excedere iussit, *Georgio Craconio* et *Casp. Peucero*, ob pertinaciam, carceri mancipatis. Vid. OSIAND. *l. c. p. 841.*

§. 7. *Pii V*, Pontificis Rom. successor *Gregorius XIII*, Iesuitarum sectam maxime fouens, anno MDLXXII *nouum Calendarium* componi iussit. In *Belgio* Dux *Albanus* in Euangelicos crudelissime saeuiit, hac de causa insequenti anno in Hispaniam reuocatus. In *Gallia* cum *Hugonoti* ui et armis opprimi non possent, dolo et blanditiis inauditae crudelitati admistis inuaduntur. Nam *die Bartholomaei* IX Cal. Sept. MDLXXII in nuptias *Henrici Nauarri*, cum Regis *Caroli IX* sorore, inuitati Hugonotorum nobilissimi, execrando facinore, omnes uno die trucidari iubentur. Initium caedis uel lanienae a *Colonio Amirale*, praecipuo Protestantium duce, factum; dein per septem dies in urbe et oppidis circumiectis promiscue inaudita crudelitate in miseros Hugonotos saeuitum est. Vid. THVAN. *Lib. II*, CHYTR. *Lib. XXIII*, et GRAMOND. *Hist. Gall. Lib. VI*, *p. 308*, *seq.*

§. 8. Cum *Norimbergenses* an. MDLXXV *Altorfi* nouam *Academiam* constituissent, sequenti anno, *Henricus Iulius*, Dux Brunsuicensis, *Helmstadii* quoque *Academiam* instituit. In *Palatinatu* hoc tempore *Fridericus III*, Elector, uiuis excesserat, cui filius *Ludouicus* succedens, missa *Caluini* doctrina, Aug. Confessionem amplexus est, et postea Formula Concordiae subscripsit.

§. 9.

§. 9. Elector autem Saxoniae *Augustus* animaduertens, indies magis discordiam, quae Ecclesiam turbauerat, augescere; consilio cum *Comite Hennebergico*, et Theologis *Tubingensibus* collato, uariisque ante conuentibus Theologorum habitis, *formulam* componi iussit, qua controuersiae tum adiaphoristicae, tum dogmaticae, inter Protestantes hactenus agitatae, ex diuinis literis diiudicarentur, quamque qui suae et sociorum ditionis sequi nollent, publico munere carerent. Isthaec *formula Bergae*, quod coenobium est Magdeburgici agri, a sex delectis Theologis, nempe *Iacobo Andrea*, *Martino Chemnitio*, *Andrea Musculo*, *Dauid Chytraeo*, *Nic. Selneccero*, et *Christophoro Cornero* examinatur antea concepta *Lichtenburgi*, et anno MDLXXX *Fomulae Concordiae* nomine publicatur; cum illam ante tres Electores, *Saxo*, *Palatinus*, et *Brandenburgicus*, multique alii Principes, adprobassent, illique subscripsissent cum octies mille tam Scholarum, quam Ecclesiae *Lutheranae* administris. Vid. D. HVTTERI *Concord. Conc. Praefat. Apolog. cap. 2, seqq. et* KORTHOLDI *Hist. Eccles. Sec. XVI, pag. 830.*

PERIODI V

SECTIO VI

QVAE EST HISTORIA AB ANNO MDLXXX AD FINEM HVIVS SECVLI

§. 1

Publicata *Formula Concordiae*, anno insequenti, *Bremenses* et *Anhaltini* inprimis, doctores Caluiniani,

publicis illam scriptis impugnarunt. Quam *D. Timotheus Kirchnerus*, *D. Selneccerus*, et *Chemnitius*, adornata eiusdem *Apologia*, defenderunt. Vid. HVTTERI *Conc. Concord. cap. XLI.* Fuerunt tamen quidam Aug. Confessionis, qui nollent illam Formulam recipere, de quibus *l. c.* HVTTERVS memorat. Qui dissensus partim sublatus postea, partim ad nostra usque tempora conseruatus fuit. Inprimis uero Reformati Doctores illam impugnarunt, quorum Catalogum texuit ANDREAS WENGERSCIVS *Hist. Eccl. Slauonicae Lib. III, pag. 361, seqq.* In *Polonia* inter *Anti-Trinitarium*, *Franciscum Danidis*, qui Christum inuocandum esse negauit, et *Georgium Blandratam*, Regis *Stephani* archiatrum, qui id omnino affirmauit, contentio fuit, quam *Socinus* determinare abstinuit.

§. 2. Hoc tempore, *Tubingenses* Theologi cum Patriarcha Constantinopolitano de doctrina *Augustanae Confessionis*, quam ante octennium ad eum Graece redditam miserant, sententias contulerunt; transmisso eriam Constantinopolin HEERBRANDI *Compendio Theologiae* Graece uerso. Vid. THVAN. *Lib. LXXI*, et *Acta et Scripta Theologorum Würtembergicorum*, et *Patriarchae Constantinopolitani D. Hieremiae*, *Wittebergae an. 1584.* publicata. Hoc tempore ex *Batauia Henrici Nicolai* et sectatorum suorum, qui e *familia amoris*, aut *e domicilio charitatis*, se uocabant, errores in *Angliam* per libros eunlgatos translati, quos *Elisabetha*, Regina, extinxit. Vid. CAMDENI *Annal. Part. II, ad annum 1580.* De nouis Anabaptistarum motibus, hoc anno excitatis, LVNDORPIVS *Tom. II, Lib. XX, p. 422, seqq.* memorat.

§. 3. Anno MDLXXXII *Gregorius*, Papa, opera *Aloysii* cuiusdam *Lilii*, rationes temporum ad coeli motum

morum et aequinoctia reduxit, ac nouo ita *Calendario* facto, illud per Cardinalem *Matruccium*, Ordinibus Proteſtantibus in Germania ſimul obtrudere auſus eſt. Sed *Auguſtus*, Elector Saxoniae, et alii Ordines Proteſtantes, grauiſſimis de cauſis id acceptare recuſarunt, Caeſaris, non Romani Pontificis id muneris eſſe, rati. Vid. THVAN. *Lib. LXXV*, et CHYTR. *Lib. XXV*. Hoc tempore *Carolus*, Archi-Dux Auſtriae, Nobilibus, in Stiria, liberum Euangelicae religionis exercitium indulſit. Vid. CHYTR. *Lib. XXV, f. 353.*

§. 4. Pontifex Rom. *Antonium Poſſeuinum*, Ieſuitam, ad Magnum Ducem *Moſcouiae* ablegauit, ut illum Ieſuitis, qui ibi nidulari incipiebant, redderet propitium; cum is ante miſſis Romam legatis, Pontifici ſpem recipiendae religionis Pontificiae feciſſet, apud PIASECIVM *Chron. geſtorum in Europa ſingularium f. 9*, et ANDR. WENGERSCIVM *Hiſt. Eccl. Slauon. Lib. IV, c. 2.* In Germania *Gebhardus Baro de Walburg*, cognomento *Truchſeſſius*, Archiepiſcopus Colonienſis, a Pontifice Rom. excommunicatur, et Epiſcopatum *Erneſto Bauaro* cedere iubetur; quod *Agnetem*, comitiſſam Mansfeldicam, in matrimonium duxiſſet, et Eccleſiam reformare molitus eſſet. Vid. THVAN. *Lib. LXXVI et LXXVIII*, CHYTR. *Lib. XXVI*, et BROWERVM *Annal. Treuirenſ. Lib. XXII, p. 419.* Interim *Ludouicus*, Elector Palatinus, Aug. Confeſſioni addictus obierat. Qui cum filium nouem annorum reliquiſſe ſuperſtitem, *Ioh. Caſimirus*, Palatinus, tutor eius factus ipſum religione Reformata imbui curauit. Vnde Lutherani in Palatinatu duriorem poſtea ſortem experti, Reformatis cedere coacti ſunt.

§. 5. Cum an. MDLXXXIII Theologi *Helmſtadienſes*, *Tilemannus Heshuſius*, et *Dan. Hoffmannus Formu-*

lam Concordiae oppugnaſſent, quod in illa, omnipraeſentia carnis Chriſti, (illi *ubiquitatem* uocarunt,) aſſereretur; *Quedlinburgi* inter *D. Kirchnerum*, *Selnecce-rum*, et *Polycarpum Lyſerum*, ac inter dictos iam *Helmſtadienſes*, de hac quaeſtione colloquium inſtitutum fuit, quod ſperato reconciliationis fructu caruit. Vid. HVTTERI *Concord. Conc. cap. XLV*, et KORTHOLDI *Hiſt. Eccl. Sec. XVI, Sect. IV, cap. 3.* Anno inſequenti, *Auguſtae Vindelicorum*, ob nouum *Calendarium* ciuitati obtruſum, turbae excitatae, per quas *D. Mylius* Superintendens urbe eiectus eſt. Vid. CHYTR. *Lib. XXVI*, OSIANDR. *l. c. p. 965*, et D. MYLII Augſpurgiſche Händel. *Heidelbergae* inter *Ioh. Iacobum Grynaeum* Caluini placita tuentem, et *D. Iac. Andreae* illa confutantem diſputatio ſuſcepta eſt, qua de HVTT. *Conc. Conc. cap. XLVII*, memorat.

§. 6. In *Gallia*, dum *Hugonoti* a *Guiſiana* factione, et *Liga*, quae *ſancta* uocabatur, premerentur; *Henricus* R. Nauarrae eorum caput ad Principes Proteſtantes, *Iacobum Segurium* ablegauit, ut ſanciendae concordiae cauſa, Synodus Proteſtantium generalis inſtitueretur; quo Pontificiis exitium Proteſtantibus minitantibus reſiſti poſſet. Vid. THVAN. *Lib. LXXIX*, CHYTR. *Lib. XXVI*, et *Epiſtolas Henrici, Nauarrorum Regis, ad Auguſtum Imperat. Rom. ac Reges, Principes et Respubl. Europ. de pace Eccleſiaſtica conſtituenda et controuerſiis ſopiendis Vltraiecti an. MDCLXXIX editas.*

§. 7. In *Belgio* cum an. MDLXXXIV *Guilielmus*, Dux Arauſionenſis, Proteſtantium ibi defenſor inclytus, *Delphis*, a nefario *Balthaſare Gerardi*, Burgundione, glande traiectus occubuiſſet, (cuius una morientis ad DEVM uox fuit: *miſerere populi*) res afflictorum Belgarum

garum turbatae ac propemodum proſtratae uidebantur; niſi DEVS praeter ſpem illas poſtea erexiſſet. Vid. GROTII *Annal. Lib. IV.* Hoc anno, ex *Iaponia* a Ieſuitis, qui in illo regno fidem Romanam propagare ſatagebant, legati ſubornati Romam uenere ſubiectionem Iaponenſium ſedi Romanae, pollicentes. Vid. CHYTR. *Lib. XXVII, fol. 821.*

§. 8. Quum in *Saxonia* multi adhuc latitarent, qui formulam Concordiae improbantes, *Caluinianis* fauerent; *Hertzbergae* an. MDLXXXV, Theologos *Anhaltinos* inter et *Saxonicos* Electorales denuo *de perſona Chriſti et idiomatum communicatione*, diſputatum fuit. Vbi inter alia *Amelungus* aſſeruit, Chriſtum ſecundum diuinitatem eſſe Patre minorem. Ad quam aſſertionem Theologi Saxonici exhorruerunt, apud HVTTERVM *Conc. Conc. cap. XXIV.* Anno inſequenti, ob placita *Caluini*, peten ibus Gallis exulibus, *Mompelgardi* inter *D. Iac. Andreae*, et *Theodorum Bezam*, de quatuor praecipuis *Lutheranos* inter et *Caluinianos* controuerſiis, *colloquium* habitum, ſed ſine fructu pacis ſperatae fuit, cuius acta proſtant. Vid. THVAN. *Lib. LXXXV*, et OSIANDR. *l. c. pag. 976.* Interea Principes Proteſtantes, et Rex Daniae, apud Galliae Regem, pro Rege Nauarraeo et Hugonotis interceſſerunt, ut tolerarentur, mitiusque haberentur. Hoc anno etiam d. 11 Febr. *Auguſtus*, El. Sax. magno patriae luctu, obiit.

§. 9. Poſt *Gregorium* anno MDLXXXV extinctum, *Sixtus V* obſcuro loco natus, per quinquennium Papa, *Latinam* Bibliorum *uerſionem*, ut Tridentini decreuerant, ſuſcepit corrigendam, quam *Clemens* demum *VIII* denuo correxit, non obſtante *decreto Sixti V*, ſub indignatione omnipotentis DEI et SS. Apoſtolorum

interminati, ne pro alia, quam legitima et authentica sua, quam parauerat, haberetur. Vid. *Praefat. Clementinae*, et *Thomae Iamesii*, *Angli*, *Bellum Papale*, *seu Concordiam discordem Sixti V*, et *Clementis VIII*, circa Hieronymianam uersionem.

§. 10. In *Gallia* an. MDLXXXVII *Liga sancta*, quae uocatur, contra Protestantes inter Papam, Regem Hispaniae et Duces Guisios, stimulante Catharina Medicaea, Regis matre, renouatur. At insequenti anno, Dux *Guisius* cum fratre Cardinale, per insidias trucidatus fuit. Vid. THVAN. *ad hunc annum* et CHYTR. *Lib. XXIIX*. Ibi tum coniurati furere, et sacrificuli Parisiensium, Regem *Henricum III* regno indignum factum, quod eius uoluntate caedes patrata esset, palam clamitare. Vnde et sequenti anno, per subornatum nefarium monachum Dominicanum, cui nomen *Iacobus Clemens* erat, Rex cultro in uentre defixo interfectus, cumque eo stirps *Valesia* extincta fuit. Parricidium hoc patratum, a *Sixto V*, Papa, Romae oratione solenni celebratum fuit. Vid. THVAN. *Lib. XCV*, HORNBECK. *Exam. Bull. Innoc. X*, *pag.* 277, et LVNDORPII *Cont.* SLEID. *Tom. II*, *Lib. XXIX*, *pag.* 762. Antea octo bellis intestinis contra Hugonotos susceptis, Gallia sub obtentu religionis misere turbata fuerat. Quapropter *Thuanus*, uir illustris ac sane grauissimus, in *praefatione historiarum suarum ad Henricum IV*, *tolerantiam in religione* maxime suadet; cum cogi nesciat. Id quod etiam *Maximilianus II*, Imperator, princeps sapientissimus, semper senserat suaseratque.

§. 11. In *Germania Badenae*, postulante *Iacobo Marchione*, an. MDLXXXIX, *D. Iac. Andreae*, *Iac. Heerbrandum*, *Luc. Ostandrum* inter et *Ioh. Pistorium* apostatam, colloquium *de vera Ecclesia* habitum est. Quo

post

post biduum abrupto, Marchio nominatus postea anno MDXC *Emmendingae*, nouo *Lutheranos* inter et *Pontificios* habito, *de Ecclesia ante Lutherum*, in castra Pontificiorum transiit, ritusque Pontificios in Ecclesiam ditionis suae reducturus. Quos tamen frater ipsi mortuo mox succedens, *Ernestus Fridericus* an. MDXC iterum eliminauit. Vid. D. FECHTII *Histor. Colloquii Emmending. cap. IV, VII, seqq.*

§. 12. In *Anglia Elisabethae* multum negotii tum *Pontificii*, tum *Puritani* facessiuerunt. Hi Episcoporum regimen ritusque ex Papatu retentos, aut illi affines omnes damnabant, ad Geneuensium disciplinam a *Caluino* constitutam, cuncta exigentes: illi in seminariis seu scholis Anglicanae nationis apud exteros iuuentutem Pontificiis sacris imbui curarunt. Ex his igitur missi in Angliam sacerdotes Pontificiam doctrinam, cuius praecipuum caput erat, summum in Reges imperium penes Pontificem Rom. esse; et si Rex haeresis suspectus aut conuictus sit, ciues sacramenti fideique religione solutos esse. Vnde Regina nunquam sine uitae periculo, inter infestos homines egit: praesertim cum a *Pio V*, Papa, ob dissensum a Romanis sacris, iam esset excommunicata. Vid. CAMDENI *Vit. Elisabethae.*

§. 13. *Romae Sixtus V*, Papa, qui *Henricum Nauarraeum* et Ducem *Condaeum* ante excommunicauerat, et aegerrime tulerat, a *Bellarmino* traditum fuisse, Papae nonnisi indirecte potestatem temporalem competere, apud BARCLAIVM *de Potestate Papae in Princip. cap. XIII*, anno MDXC extinctus fuit: relictis in thesauris decem auri millionibus, in augmentum regni scilicet sacri impendendis. *Cracouiae* a Iesuitarum discipulis magnus tumultus, aduersus *dissidentes* a Rom. Religione, anno MDLXXXXI. excitatus, quem LVN-

DORPIVS *in Contin. Sleid. Tom. II, Lib. XXXI, p. 829,* deſcribit.

§. 14. In *Saxonia*, noui motus iterum propter *Crypto-Caluinianos* anno MDCXI excitabantur; cum eorum inſtinctu, ritus in Baptiſmo uſitatus, qui *Exorciſmus* dicitur, abrogari deberet. Qui in abrogationem conſentire nollent, munere ſacro amoti, exire iubebantur. * Sed mortuo *Chriſtiano I*, Electore Sax. *Fridericus Wilhelmus*, Dux Sax. relictis eius liberis impuberibus tutor datus, exules propter Exorciſmum factos mox reſtituit, ac in autores turbarum, inprimis *D. Crellium*, Cancellarium, inquiri iubet. † Vid. LVNDORP. *Contin. Sleid. Tom. II, Lib. XXXI, p. 835*, THVAN. *Lib. C, CIV*, DRESSER. *Millenar. VI.* Hanc ob cauſam etiam *uiſitatio* cum academiarum, *Lipſienſis* et *Wittebergenſis*, tum eccleſiarum in ditionibus electoralibus inſtituta eſt, qua propoſitis quatuor, ut uocantur, *articulis uiſitatoriis* noſtrae eccleſiae, *de perſona Chriſti*, *de Baptiſmo*, *de Coena Domini* et *de Praedeſtinatione*, noua ſubſcriptione fidem adſtringere ſuam, Eccleſiae et ſcholarum Doctores tenebantur. Vid. LVNDORPII *Contin. Sleid. Tom. II, Lib. XXXII, p. 861, ſeq.*

§. 15. Hoc animorum motu adhuc durante, *Samuel Huberus*, Bernas, anno MDXCII in Wittebergenſi Academia Theologiae Profeſſor, dum Caluini de particulari gratia, ſententiam impugnat, electionem ad uitam aeternam uniuerſalem aſſeruit. Cuius errorem *D. Aegidius Hunnius* ſtatim confutauit. Vid. *Acta Huberiana Tubingae* anno 1597 publicata. Peſtilentior fuit error, quem hoc tempore *Franciſcus Puccius*, *Filidinus*, Italus diſſeminauit, libro *de Chriſti Seruatoris efficacitate, in omnibus et ſingulis hominibus, quatenus homines ſunt*, euulgato, quo, ut gratiae cum Pelagianis

† Comitia Torgovia habebantur.

olim

§. 14. Hiervon kam D. V. L. Löscher Historia Motuum, und D. Joh. Adam Kindlings Fortsetzung derselben nachgelesen werden. Jene geht bis 1580. diese bis 1607. da die Acta wiedervorgestellet war. Dem Churfürst August machte Veranstaltung zu Beförderung der Unruhen. Nachher brauchte sich der Calvinismus, sehr wider die Formulam Concordiae u. sein Beförderung in Sachsen. Anno 1588. resolvirte ein Verbot des Libri Elenchi. Denn zwar nicht ausdrücklich wider die Form. Conc. oder verdächtlich für die Dissentirenden Theologos u. ihre Meynung. der Liber Elenchus bleibt noch den Einzelen erlaubt; nur der Meynungen, Personal-Irrthümer ꝛc. wieder verbothen, wie denn schon 22 Jahre vorher August gethan hatte. Diese gehört aber dieser, daß verbothen wurde, Prof. Scripta, insonderh. Manuscripta denen zu lassen, die sie zu Lesen noch Hofe an die angelegte Bücher-Censur gestellt waren. Formen, die veranstaltete Bibel-Ausgabe ꝛc. die Abschaffung der Exorcismi; welche aber kaum 9 Jahre u. schärfer nach der Form. Conc. gehalten. Der Exorcismus wurde schimpflich. Crucifix aufgehoben. – In der Abgeschiedenheit Pfalz wurde Brauch u. Gewohnheit ihrer Gehorsamkeit wegen. Da seit der Ehren Zeit Aug. war sie auf Mittel gesonnen, oder verbunden. Endel Knorr betrieb Churfürst. seine Unterredung mit dem Pfalzgrafen Joh. Casimir u. insonderh. mit den Königen in Frankr. Heinr. IV. Bei den Acten d. Franckfurt soll erfolgen, daß C. Churfürst gewesen, die Kayserl. Krone zu brauchen zu bringen. Ob aber der Churfürst diesen Anschlag in der That gehegt hat, steht dahin. Churfürst Moritz hatte schon seine Anschläge, und mit Kr. zu halten, wie gegen die überwindende Macht Oesterreichs gesichert zu seyn. Der Churfürst Christian I. da sonst mit Hilf versehen, auf der Reformirten Seite gewesen, starb, u. dies war die Ursache der geschehenen Folgen seines Todes u. d. Minderjährigkeit. # Das Kayserl. Urtheil theilt sein d. Land auf; wovon gewiß die Ursache war. Aber ob die Ursache der Trennung ist, wenigstens zum Theil, auf diese Weise hinweggeht oder sie dem Hause, dem man zu Hofe u. im Lande auf andere politische Ursachen gegen den Mann hatte, zum Vorwand gedient habe u. obel ohne den Jesuiten gekommen wäre, das ist eine andere Frage. – Christian II. gab Anstoß wegen der Schrift. der sog. Bücher, wie sie in den Concordienbuch eingeschaltet war 1602 und verordnete in denselben den Religionseyd; nach die Acta wiedervorgestellet wurden.

olim hostis, religionem naturalem statuit saluificam. Librum illum LVCAS OSIANDER confutauit. Vid. *Hist. Eccl. Cent. XVI, Lib. IV, c. 46.*

§. 16. Insequenti anno MDXCIII *Aquisgrani* inter eiues *Euangelicos* et *Pontificios* graue dissidium exortum, quod autoritate Caesaris Rudolphi tamen compositum fuit, apud CHYTRAEVM *Lib. XXIX.* In *Suecia* eodem tempore *Synodus Vpsaliae* secunda, auspiciis *Caroli*, tum quidem Ducis Sudermanniae, sed postea Regis, habita est. Qua doctrina Augustanae Confessionis denuo asserta et confirmata fuit. Vid. BENZELII *Hist. Eccles. Sec. XVI, pag. 358.* Quam *Sigismundus*, Rex Poloniae, in Sueciam regni occupandi causa ueniens, postea turbauit; cum nuntii Pontificii et Iesuitarum opera atque dolis, Papismum reducere moliretur. Vid. PIASECII *Chronic. ad annum Christi 1593 et 94.* In *Gallia Henricus IV*, fulmine excommunicationis percusso, Pontifex Rom. et Rex Hispaniae cum *Guisiana* factione magnos concitarunt motus, et *Henricum* reiicientes, Regem Catholicum surrogare machinati sunt. Vnde *Henricus* uidens, se tot insidias euadere haut posse, d. 15 Iul. in templum S. Dionysii ingressus, Missam Pontificiam audit, atque legatis ad Pontificem missis, sacra Romanensium se amplexum esse testatus est. Qui ipsum ab haeresi, non sine ignominia absoluens, in gremium Ecclesiae suae recepit. Vid. PIASECII *Chronic. ad annum 1593 et seqq.* Rex autem iocari uelut solitus, dixit: *Regnum Galliae frequentatione Missae non indignum esse.* Quo facto, *Liga sancta* seu coniuratorum factio in Gallia sublata fuit. Ceterum quomodo Rex ab haeresi, quam uocant, Romae absolutus fuit, PIASECIVS *l. c. fol. 335, seq.* describit.

§. 17. Interea, cum in *Germania* Romano-Catholici passim spargerent, pacem Religiosam ad tempus concessam, *Tridentino* Concilio finitam et sublatam fuisse; item ciuitatibus imperialibus non competere ius reformandi; an. MDXCIV in comitiis *Ratisbonensibus* Ordines Protestantes apud Caesarem, super his seditiosis molitionibus conquesti sunt. Vid. LEHMANNI *Act. Publ. lib. I, cap. 65 et 67. Thorunii* autem in Borussia quadraginta circiter ministri Euangelicae Ecclesiae, multique nobiles Palatini conuenientes, decreuerunt; *Consensum Sendomirienſem* in doctrina seruandum esse inposterum. Nam *Euangelici*, qui nocabantur, antea diuersas confessiones, puta *Augustanam*, *Helueticam* et *Bohemicam*, professi inter se dissenserant. At in *Sendomirienſi* consensu, Syncretismo facto, concordiam aduersus Romanenses inierant. Quo Episcopi Poloniae offensi, postea Thorunienſibus templum primarium eripuere, idque Iesuitis concesserunt. Vid. *Contin.* SLEID. *Tom. III, Lib. I, pag. 55*, et conf. PIASEC. *Chron. fol. 127*. Hoc tempore *Faustus Socinus*, libellum de *Christo Seruatore*, Cracouiae publicauit, quo magnos ibi motus excitauit, ut uix ciuium euaderet uim. Sectae tamen eius Complices, *Ostorodius*, *Volckelius*, *Smalcius* et inprimis *Ioh. Crellius*, improba eius placita latius sparserunt.

§. 18. In *Gallia* dum *Henricus IV* Hugonotis non obscure adhuc faueret; homo perditus, *Iohannes Castellus*, instinctu Iesuitarum, Regi, immisso in os aduersum cultro, dentem excussit; cum Rex corporis inclinatione ictum in gulam directum euitasset. Vnde Secta Iesuitarum, cuius disciplina sceleratus iste homo usus fuerat, iussu Regis ex Gallia quidem proscribitur, sed

sed annis aliquot interiectis recipitur. Vid. THVAN. *Lib. III*, et PIASECII *Chron. fol. 124, seq.*

§. 19. Anno MDCXV *Russi* ex Polonico regno ad *Clementem VIII*, Pontificem Rom. legatos misere, *unionem* cum Romanensi Ecclesia petentes, quam facile impetrarunt. Sed illud *Vnionis* nomen populo exosum mox reiectum fuit, apud PIASECIVM *Chron. f. 138, seqq*, et ANDR. WENGERSC. *Hist. Eccles. Slauon. Lib. IV*. Hoc quoque anno, Romae corpus *B. Caeciliae* ab DCCCLXXVIII annis a *Paschale I* reconditum, et eousque, quo loco esset, ignoratum, forte inuentum dicitur, quod Pontifex ueneratus, in arcam ex argento solido fabrefactam, una cum arca illa cupressina inclusit, et magna pompa adhibita in templo recondi iussit. PIASEC. *Lib. I, f. 139.* Pontifex hic etiam legem sanciuit, ne Iudaei Talmud suum, et alios in indice expressos et prohibitos libros legerent; omnes enim tales ab officio Inquisitionis conquisitos cremari iussit: in sola ciuitate Bergomensi fere X millia huiusmodi librorum fuerunt collecta, igneque consumta, teste PIASECIO *f. 112.*

§. 20. In regno *Sueciae*, Ecclesia per Pontificios et Iesuitas a *Sigismundo*, Rege, immissos uarie hactenus turbata fuerat. Sed *Carolo*, Duce Sudermanniae, absente *Sigismundo*, in solium euecto, an. MDXCVII comitiis *Arbogiae* habitis, decretum fuit, doctrinam Aug. Confessionis in toto ubique regno seruandam, sincereque tradendam esse. Vid. PIASECII *Chron. ad an. 1597.* Inter Reformatos hoc tempore *Conradus Vorstius*, Theologis Heidelbergensibus partim Arianismi, partim Papismi suspectus uisus est. Ideo prolixa ad illos Epistola an. MDXCVIII exarata se ab hac culpa purgare

purgare nisus est, quae *in Epist. Eccles. et Theolog. Arminian. p. m. 61. seqq.* legitur.

§. 21. In ditione *Anhaltina*, nondum conquieuerant litigia Theologorum de *Exorcismo*, de usu altarium et imaginum in templis, licet Wittebergenses Theologi eosdem semel atque iterum confutassent. Id quod Papaeis offendiculum praebuit, teste PIASECIO *Chron. fol. 113.* Confer *Consil. Theol. Witteb. fol. 371, seqq.*

§. 22. Ridiculum est, quod anno MDXCIX Canonici *Marsilienses*, Pontificem Rom. per legatos rogarunt, ut grandes pisces, quos balaenas uocabant, excommunicaret; ne in mari uicino nauigationes turbarent. Assurrexit petitioni Pontifex, an uero eius fulmine pisces territi fuerint, non legitur. Vid. OSIANDRI *Hist. cit. pag. 1133.* *Henricus* autem, Rex Galliae, hoc anno, Hugonotis pacem religiosam, publico decreto indulsit, cuius leges PIASECIVS *Chron. fol. 172, seqq.* memorat. Cum ante anno MDXC *Edictum Nannetense* pro libertate Hugonotorum esset conditum, quod HEIDEGGERVS *Hist. Papatus Period. VII, p. 536, seqq.* describit. Hoc sacrificulorum natio magis irritata, non ante acquieuit, donec Rex Hugonotos ferens, an. MDCX d. 14 Maii, profligatissimi hominis manu et quidem cultro confossus occumberet. Vid. GRAMONDI *Hist. Gallic. Lib. I.* Quo e uiuis sublato, libertas Hugonotorum nutare coepit.

§. 23. Quod *DOCTRINAM* hoc aeuo publice receptam attinet, illa secundum tres Sectas, in quas Ecclesia scissa fuit, tradi posset. Enimuero cum instituti nostri ratio haud ferat istam partim recensere; *Lutheranorum* ex *Libris* Ecclesiae nostrae *Symbolicis* repetenda; *Caluinianorum* seu *Reformatorum ex corpore*, seu *Syntagmate Confessionis* eorum, Geneuae an. 1612

et

et 1654 publicato, tum etiam ex *Zwinglii*, *Caluini* et *Theodori Bezae* scriptis petenda est; *Romano-Catholicorum* uero ex *Concilii Tridentini Decretis*, quae publicam inter Papaeos autoritatem nacta sunt, cognoscenda est. Conf. HVLSEMANNI *Manualis Aug. Confess. Disp. XIX.*

§. 24. *REGIMEN ECCLESIAE* externum magnam pro religionis diuersitate mutationem subiit. Nam Romanensis coetus, regimen monarchicum Pontificis Romani in Conciliabulo Tridentino firmauit. Pontifices autem, qui a tempore Reformationis sedem Romanam tenuerunt, nihil eorum, quae potentiae stabiliendae inseruire uiderentur, procurare intermiserunt. *Leo X*, uoluptatibus immersus, fulmine excommunicationis *Lutherum* prosternere nitebatur. *Hadrianus VII*, uir integrioris uitae ac animi moderatioris, de Reformationis studio frustra solicitus, non diu sedi praefuit, saepe conquestus: nil infelicius sibi in uita contigisse, quam quod imperasset. *Clemens VII* in *Carolum V* iniquus, dominatum suum stabilire magis studebat, quam Ecclesiae commodum promouere. *Paulus III* de opprimendis Lutheranis uaria consilia agitauit, *Iulius III* Veneri ac uentri deditus, apud ipsos Romanenses male audit. *Marcellus II* paucorum dierum Pontifex, nec nomen, nec mores mutare uoluit. *Paulus IV*, homo ambitiosus, septuaginta Cardinales adsciuit, exemplo uel septuaginta seniorum aut septuaginta Christi discipulorum; nouam *Sodalitatem noui amoris* instituit, regno Neapolitano inhiauit, ac *Inquisitionis* tribunal confirmauit. Improbauit etiam *Caroli V* abdicationem Imperii se inconsulto factam. THVAN. *Lib. XXI. Pius IV* homo uaferrimus et dominandi cupidus, Concilium Tridentinum, tanquam

legem

legem fidei perpetuam et uniuersalem, omnibus obtrudere fategit. *Pius V* animum quidem ad emendandos cleri populique mores adplicuit, et *Catechismum* Romanum ex Decreto Concilii Tridentini publicauit; sed tamen *Maximiliano II*, Imperatori, infensus fuit, quod Augustanae Confessioni addictos foueret. *Gregorius XIII* nouum *Calendarium* publicauit, ac *Ius Canonicum* noua Bulla edita munijt, Hispanum et Gallum aduersus Protestantes excitauit. Nuntio de laniena Parisiensi crudelissima Romam allato, recta cum Cardinalibus ad B. Marci templum concessit, DEOque pro isthac nefanda strage, solenni ritu gratias egit, ordinans simul, ut eo nomine Iubilaeum publicetur, apud THVAN. *Lib. LIII.* Iesuitis quoque licentiam ueterum ac recentiorum scripta, ubi Romanae Ecclesiae aduersarentur, castrandi dedit. *Sixtus V*, homo auarissimus, omnia munera uenalia habuit, ac *Henricum*, Regem Nauarraeum, excommunicauit, *Bellarmino* succensens, quod potestatem temporalem Papae non nisi indirecte conuenire, tradidisset. Parricidium *Henrici III*, Regis Galliae, nefarium, oratione, gratulabundus approbauit. THVAN. *Lib. XCV.* Versionem Latinam Bibliorum declarauit *authenticam*. *Vrbanus VII* tredecim dierum Pontifex, ante coronationem obiit. *Gregorius XIV Henricum IV*, Galliae Regem, excommunicauit, ciues eius omnes fide obsequii absoluens, sed altero Pontificatus anno obiit. *Innocentius IX* paucos dies ultra duos menses Pontificatum tenuit. *Clemens VIII*, a bello alienior, Gallum inter et Hispanum pacem procurat, ac *Elisabetham*, Reginam Angliae, ad Romanam Ecclesiam perducere frustra molitus est, Latinamque Bibliorum uersionem, non obstante *Sixti V Decreto*, denuo emendari curauit.

§. 25.

Hob 1570 den Orden der Humiliaten ohne Concil. auf, davon ein einziges Glied auf den Heiligen Carl Borromäus geschossen hatte. Man hätte aber wohl lieber eine Wollenfabrik bey ihnen anlegen sollen.

§. 25. *Lutherani* a iugo et imperio Pontificio iam immunes, suo iure in regimine Ecclesiae uti coeperunt. Nam Principes et Ordines Protestantes, *Ius circa Sacra*, quod etiam *Episcopale* audit, sibi iterum asseruerant. Quod in *Pace Religiosa Augustana* anno MDLV. ipsis confirmatum fuit. Vid. *Recess. Imper. an. MDLV.* §. *15, 16, seqq.* Ideo constitutis legibus et Iudiciis Ecclesiasticis, quae *Consistoria* appellantur, libere id exercuerunt, abrogata Episcoporum Romanensium iurisdictione. Vid. D. SCHILTERI *de Libertate Eccl. Germ. Lib. VII, cap. 14.* Inter *Reformatos* autem de eo contentio exorta fuit; cum multi iuxta *Genevensium* disciplinam, quam *Caluinus* introduxerat, id iuris Clero et populo uindicatum irent; alii uero id imperantibus tribuerent. Vnde in *Anglicana* Ecclesia magno postea feruore, super regimine *Episcopali*, et *Presbyteriali* certatum fuit. Presbyteriani enim Episcopale regimen impugnant atque reiiciunt; quia *Caluinus* nullam hierarchiae speciem, quae in principatibus obtinet, approbare uoluisse uisus erat.

§. 26. *DISCIPLINA ECCLESIASTICA* a *Luthero* quidem doctrinae inprimis repurgandae initio, non statim in omnibus emendari potuit; multum tamen operae in ea quoque reducenda, cum ipso impenderunt *Bugenhagius*, *Regius*, Dux Anhaltinus, *Georgius*, *Brentius*, *Bucerus*, *Sarcerius*, *Dauid Chytraeus*, et alii pietatis amantes ac prudentes Theologi. Vnde tum consilia, tum salutares Constitutiones Ecclesiasticae (Kirchen-Ordnungen) de eadem prostant. Quas inter *Augusti*, Electoris Saxoniae, laudari merentur. Conf. D. SCHILTERI *l. c. p. 115, seqq.*

§. 27. Circa *RITVS et CEREMONIAS* Ecclesiasticas, *Lutheri* prudentia laudatur. Quia ille, quae

in

in Ecclesia sine peccato seruari possunt, abrogari noluit. Vid. *Aug. Conf. de Abusib. cap. 3, 4, 5.* At dum *Caluinus* in Geneuensi et Gallicana Ecclesia, omnes ritus in Romanensi Ecclesia hactenus inolitos, uelut cum pulueisculo eliminare uoluit; obseruatum est, istum rigorem Reformationi in Gallia non tantum obstitisse, sed etiam in Anglicana Ecclesia postea Schisma illud *Puritanorum* excitasse. Multitudo enim ab istis Doctoribus auersa, maiori indies studio eius cultus, quem a maioribus per manus traditum acceperant, accendi uelut coepit, ueteri doctrina superstitiosa retenta. Prudentius egit *Lutherus*, quando ex iis ritibus ac institutis, quibus populus diu iam adsuetus erat, non nisi manifestas et improbas superstitiones abrogauit. Ornamenta templorum, aeris campani tintinnabula, uestitus ministrorum Ecclesiae peculiares, altaria, cereos, organa in templis, ritus aliquot in Missa, et in Baptismi actu usitatos; festa aliquot Sanctorum et similia intacta reliquit; ut se non euersorem antiquae disciplinae, sed correctorem prauarum consuetudinum, et assertorem ac uindicem Euangelicae ueritatis esse, probaret. Religionem enim non omni externo cultu, quo populus maxime capitur et allicitur, nudandam esse censuit. Praesertim cum ceremoniarum retentarum uestigia, et exempla in antiquissima, eaque pura Ecclesia adhuc reperire liceat.

§. 28. *SYNODOS Lutheranorum* et *Zwinglianorum* seu *Reformatorum*, quae *Colloquia* appellantur, praecipuas iuxta annorum seriem supra iam commemorauimus. Plures KORTHOLDVS *in Hist. Eccl. Sec. XVI*, et IO. FECHTIVS *in Tab. Hist. Eccl. Sec. XVI*, *repraesentantibus* recensent. Quas repetere omnes hic et describere compendii ratio uetat. Illud tamen

tamen notatu dignum est, quod fructu sperato omnes fere destitutae sunt. Romanenses *Concilium Tridentinum* pro uniuersali perperam uenditant. Quod anno MDXLVI coeptum et MDLII abruptum; sed iterum postea instauratum et anno MDLXIII finitum est. In hoc Protestantes, qui actores erant, inauditi, a Pontifice Rom. in propria causa iudice, quem illi et reum agebant; damnati sunt. Quapropter illud Protestantes publico scripto edito (thatliche Ausführung ꝛc.) merito reiecerunt. Vid. CHYTR. *Axiom. Lib. XX, ad an. 1561*, et GOLDASTI *Polit. Imper. part. XXV.* Historia eius a *Paulo Sarpio*, Veneto Theologo Ordinis Fratrum Seruorum, sub nomine *Petri Suauis Polani*, Italico Sermone, quem in Latinum *Antonius de Dominis* uertit, luculenter descripta prostat. Quam *Sfortia Pallauicinus*, duobus Tomis refutare aggressus, Cardinalitiam dignitatem meruit. At uero, de eo opere censura, quae in *Ephemerid. Erudit. Gallic. Tom. I, Ephem. XII*, legitur, hic annotari meretur. *Periculum est, ne quis huius* (Petri Suauis) *historiam utpote egregie conscriptam praeferat Pallauicini historiae, quae forsan uertor, non autem uerisimilior.* Multos certe et graues in eadem errores, cum SECKENDORFIVS *in Historia Lutheranismi*, tum IO. HENR. HEIDEGGERVS *in Anatome Historico - Theologica Concil. Trid.* animaduerterunt. Falsa autem scita et dogmata MART. CHEMNITIVS *in Exam. Concil. Trid.* demonstrauit.

§. 29. *PERSECVTIONES* Lutheranorum et Reformatorum, quas in *Germania, Bohemia, Italia, Gallia, Hispania, Anglia*, et *Polonia* sustinuere, ita multae sunt, ut Martyrum numerum inire difficile sit. In solo enim *Belgio*, tempore *Ferdinandi de Toleto*, Ducis Albani, XIIXM manu carnificis cecidisse, notum est. Initi-

um eius tyrannidis iam an. MDL factum, cum *Inquisitio* Hispanica, edicto Caesaris ibi mandata esset, quam SLEIDANVS *Lib. XXII, pag. 678, seqq.* memorat, eamque describit. De *laniena* Parisiensi supra *Periodo V, §. 7*, quaedam retulimus. Vt *Henricus VIII* primum, deinde *Maria*, Regina in Anglia, in Protestantes saeuierint, *Camdenus*, *Thuanus et Burnetus* memorant. Conf. LVDOVICI RABI Martyr-Buch, seu *Historiam Martyrum* Argentorati anno 1572 editam, item *Acta et Monumenta Martyrum* IO. CRISPINI. Sed locum hic illud TERTVLLIANI habuit: *Plures efficimur, quoties metimur a uobis! Semen est sanguis Christianorum.* Addi hic meretur persecutio Graecorum Christianorum in *Aegypto*; ubi uno die, triginta millia linguarum istis praecisa fuerunt; quia Graece loquerentur. Historiam hanc ex *Meletii* Patriarchae Alexandrini *Epistola* ad Ruthenos, KORTHOLDVS *Hist. Eccles. Sec. XVI, pag. 750, seq.* annotauit.

§. 30. *MEMORABILIA* huius seculi ita multa sunt, ut potiora nobis uix summatim attingere liceat. (1) Europae status nouam faciem induit, si multiplicem rerum conuersionem, cum in Religione, tum in principatuum regnorumque profectu admirabilem respicias, Principumque magnorum *Caroli V*, *Francisci I*, Reg. Galliae, *Henrici VIII*, Reg. Angliae, et Solimanni Turcarum tyranni ingenia ac fata attendas, a *Sleidano* et *Thuano* inprimis annotata: (2) Religio Euangelica, quae admirabili *Lutheri* opera, et diuinis auspiciis, per pugnas et praelia, ac ipsas medias strages ueluti erupit atque creuit maxime; cum illam aduersarii potentissimi euertere molirentur. Memorabile hic inter munera infanti *Carolo V* in baptismo oblata, munus Archimandritarum, quod Vetus Nouumque

que Testamentum fuit, cum inscriptione: *Scrutamini Scripturas*, id quod *Lutherus* fecit et ab omnibus maxime requisiuit. (3) Instauratio meliorum literarum; quarum adiumento Ecclesia maiora incrementa coepit. (4) Penetratio Euangelii in regna septentrionis, ubi inprimis tutam inuenit sedem. (5) Molimina diaboli, quibus partim per intestinos rusticorum motus uiolentos, partim per nouas Fanaticorum et aliorum sectas passim excitatas, doctrinam euangelicam suspectam reddere, eiusque progressum impedire molitus est. (6) Pontificum Rom. ac Principum quorundam consilia uiolenta ac clandestina aduersus ueritatem coelestem euentu frustrata. (7) Testium ueritatis plurimorum constantia. (8) Papatus nutantis duo fulcra, Inquisitio Hispanica et noua Iesuitarum Secta. (9) *Philippi II*, Regis Hispaniae tyrannis infelici exitu terminata. Vid. GROT. *Hist. Lib. VII, fol. 330, seqq.* et GALLVCCIVM *Lib. X, Hist. Belg. pag. 468.* (10) *Maximiliani II*, et *Rudolphi II*, Imperatorum Rom. moderatio in Religionis negotio laudabilis. (11) Concilii Tridentini iniquitas. (12) Christianismi (impuri licet) per Indiam Orientalem et Occidentalem propagatio. (13) Hispanorum crudelitas, in conuertendis Americanis detestanda. Plura ex historia ciuili addere supersedeo.

§. 31. In hoc ergo feroci genio seculi, et ambitiosis consiliis atque conatibus magnorum Principum ac Pontificum Rom. DEO parum placituris, mirandae diuinae *prouidentiae* ac *bonitatis* erga Ecclesiam, plurima documenta occurrunt, quae profani homines diuinarum rerum imperiti, dum historiam legunt, parum attendunt. Quis enim sine Numine factum credat, Lutherum effecisse, quae pii tot antea seculis optauerant, sed ne fierent, Pontifices Rom. maximorum

Principum potentia uel tyrannide nixi impedierant? Factum tamen, cum maturuisset necessitas reformandae Ecclesiae, ministerio hominis, qui magnis et sapientibus seculi uiris, uilis et abiectus uidebatur. Ita DEVS sapientiam hominum confundit, quando sua causa agitur: ut ipsi pro ineffabili *sapientia* et *bonitate* in genus humanum, debitas laudes ac gratias reddamus, puraque mente, quod efficacissimum semper rogandi genus fuit, beneficia eius in nos collata praedicemus uitamque Euangelio dignam agamus. Fructus Reformationis ELIAS VEILIVS *de Hist. et Necessit. Reformationis Euangelicae per Lutherum feliciter institutae Sect. V, Art. V, p. 427, seqq.* recenset.

PERIODI V
HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT II
DE
HISTORIA SECVLI XVII
IAM DECVRRENTIS

Praecipitantis huius seculi res prosperae et aduersae, quod Ecclesiam attinet, quidem multae sunt annalibus dignae; sed nos instituti memores, potiores strictim tantum attingemus, et memoriae iuuandae causa, eas in *quinque Sectiones* dispescemus.

SECTIO I

§. I

In *prima* hac *Sectione*, res ab initio Seculi, ad annum decimum septimum, quo *Lutherani Iubilaeum* celebra-

lebrarunt, memorabimus DOCTORES et SCRIPTORES, qui in noſtra Eccleſia hoc tempore inclaruerunt, praecipui fuere *Aegidius Hunnius*, *Leonhardus Hutterus*, *Dauid Rungius*, *Polycarpus Lyſerus*, *Salomon Geſnerus*, *Georgius Mylius*, *Philippus Nicolai*, *Io. Forſterus*, *Fridericus Balduinus*, *Zacharias Schilterus*, *Henricus Hoepfnerus*, et alii Saxonici; Deinde inter Sueuicos, *Iacobus* et *Philippus Heilbrunneri* fratres, *Felix Bidenbachius*, *Stephanus Gerlachius*, *Matthias Haffenrefferus*, *Theodorus Thummius*; inter Argentoratenſes, *Ioh. Pappus*, *Philippus Marbachius*; inter Haſſicos, *Balthaſ. Menzerus*, *Iohannes Winckelmannus*, et alii, quorum ſcripta PAVL. EOLDVANNS *in Bibliotb. Theolog.* GEORG. DRAVDIVS *in Officin. omn. libr.* G. MATTH. KOENIGIVS *in Biblioth. Vet. et Nou.* et HENNINGIVS WITTE *in Dec. Vit. Theol. ac Diario Biographico*, recenſent. Inter Reformatos *Franc. Iunius*, *Amandus Polanus à Polansdorf*, *Is. Caſaubonus*, *Matthias Antonius Sadeel*, *Ludouicus Crocius*, *Dauid Pareus*, *Barthol. Keckermannus*, *Paulus Toſſanus*, *Abrahamus Scultetus*, *Iob. Piſcator*, *Iacobus Arminius*, *Franciſcus Gomarus*, *Nicolaus Vedelius*, et alii, qui in *Catalogis Biblioth. Thuanae*, *Heinſianae* et *Ouzelianae* memorantur. Inter Pontificios eminent *Caeſar Baronius*, *Robertus Bellarminus*, Cardinales, *Gabriel Vaſquez*, *Franciſcus Suarez* ſeu *Suazius*, *Georgius de Valentia*, et alii *in Bibliotheca Hiſpana a* NICOL. ANTONIO memorati. Ieſuitarum Germaniam turbantium *Tanneri*, *Hungeri*, *Gretſeri* et *Fabri* nomina, ex ſcriptis ipſorum aculeatis nota ſatis ſunt. Igitur omiſſa aliorum recenſione ad rerum enarrationem progrediemur.

§. 2. *Romae*, *Clemens VIII*, Papa, *Iubilaeum* anno MDC celebrat; et cum *Tiberis* exundaſſet, *agnum* (ut uocant)

uocant) *DEI* cum hostia consecrata in eam, certis adhibitis ritibus, proiici iussit, ut exundatio sisteretur. Duo etiam *Breuia*, quae uocantur, ad Catholicos in Anglia misit, unum ad Clerum, alterum ad populum; ut operam nauarent, quantum in ipsis sit, quo mortua *Elisabetha*, Rex erga catholicam Religionem bene affectus eligeretur; teste BELLARMINO *Resp. ad Apolog. pro iur. fidel. p. 56, 57, 115*, conf. THVAN. *Lib. CXXVI*, *et* HEIDEGGERI *Hist. Papat. pag. 287*. Interea in *Styria* Aug. Confessioni addictis, liberum Religionis exercitium interdicitur, ministris Ecclesiae in exilium missis.

§. 3. In *Germania* an. MDCII Marchio Badensis, *Ernestus Fridericus*, ministros ecclesiae, secundum formulam *libri Staffortici*, quae *Calvini* placita continebat, docere iussit. Cui mandato *Pforzheimenses* parere recusarunt. Sed intercedente postea Marchione *Georgio Friderico*, *Ernesti* fratre, illis religionis libertas permissa fuit. Hoc anno, ex uoluntate *Maximiliani* Bauari et *Ludouici* Palatini Neoburgici, *Ratisbonae Pontificios* inter et *Lutheranos* Theologos *Colloquium* institutum, quod XIV Sessionibus habitis, absque fructu terminatum est. Nam collocutores Pontificii; *Hungerus*, *Gretserus*, et *Tannerus*, summum controuersiarum iudicem Papam Rom. esse clamabant; contra *Aegidius Hunnius*, *Heilbrunneri* fratres, et alii praesentes Theologi Lutherani, solam Scripturam S. controuersiarum theologicarum normam esse demonstrarunt. Vid. *Acta Colloquii istius publicata*, OSIANDRI *Hist. Eccles. p. 1147*, et RORTH. *Hist. Eccl. Sec. XVII*, *pag. 869*.

§. 4. In *Anglia*, *Elisabetha*, Regina, uiuis excesserat, cui an. MDCIII *Iacobus VI*, Rex Scotiae, in regno

succes-

ſucceſſit. Quem una omnium uoce Regem ſalutatum, Ieſuitae uel in partes ſuas pertrahere, uel e medio tollere machinabantur. Vix enim inauguratus fuerat, quum ex improuiſo coniuratio aduerſus eum detegeretur. Vid. THVAN. *Lib. CXXIX*, et LVNDORF. *Cont. Sleid. Tom. III, Lib. IX.* Hoc anno in *Delphinatu*, Theologi Reformati *Synodum Vapincenſem*, de inſtauranda Lutheranos inter et Reformatos concordia, celebrarunt. In qua inter alia de ſententia *Iohannis Piſcatoris*, Profeſſoris Herbornenſis, pertractatum eſt. Qui errorem *Parſimonii*, iam olim a *Brentio* confutatum reuocauerat; Chriſti *Obediendiam actiuam* noſtram iuſtificationem non ingredi, cum eam pro ſe tanquam creatura legi diuinae debuiſſet praeſtare. Enimuero Synodus illa hanc ſententiam reiecit atque improbauit.

§. 5. In Anglorum Synodo *Londinenſi* an. MDCIV inſtituta, Religio reformata iam ante recepta confirmatur, Regisque ſuprema in eccleſia Anglicana auctoritas aſſeritur; S. Coenae trina perceptio minimum quotannis mandatur; baptiſmum infantum adminiſtrare parentibus laicis interdicitur, crucis ceremonia in baptiſmo, ſed cum cautelis, permittitur. Vid. THVAN. *Lib. CXXXI.*

§. 6. Interea in *Romanenſi* Eccleſia, diſſidia inteſtina exorta ſunt; cum Ieſuitae aſſererent, credere Papam tunc Romae ſedentem, *Clementem VIII*, eſſe legitimum *S. Petri* Succeſſorem, non eſſe ex articulis fidei: defendebant etiam, confeſſionem, quae inter Sacramenta Eccleſiae habetur, per epiſtolam et praecurſores edi poſſe. Id, quod alii negarunt. Verum Papa haec litigia in herba uelut opprimere conſultum putauit. Maioris momenti controuerſia fuit *Moliniſtica*, a *Ludouico Molina*, Ieſuita Hiſpano, anno MDXCI iam

excitata; sed quae hoc tempore uelut in neruum erupit. Nam is de *auxiliis gratiae*, Salmanticae disputans, plus hominis arbitrio in conuersione sua tribuerat, quam *Dominicani*, qui praedeterminationem gratiae diuinae asseruerant. Hinc Iesuitae *Molinam* defendentes ab his *Pelagianismi*; illi uicissim a Dominicanis *Caluinismi* postulabantur. *Clemens*, Papa, cum pro Dominicanis pronunciasset primum, Iesuitae eum (sed ut Doctorem priuatum) erroris arguere non dubitarunt. Quapropter post uarias disputationes, et consultationes Romae habitis, *Paulus V*, Papa, utriusque partis offensas metuens, utrique tandem etiam silentium imposuit, quo uelut per amnestiam lis illa componeretur. Vid. HVLSEMANNI *Diatrib. Scholast. de Auxil. Gratiae p. 29, et* IO. WOLFG. IAEGERI *Hist. Eccl. Decenn. I, p. 167, seqq.*

§. 7. In *Thuringia, Esaias Stiselius* et *Ezechiel. Meth*, an. MDCIV *enthusiasmi* postulati sunt; quod uisiones ac somnia diuina iactassent, ac ministerium ecclesiasticum reiicientes, illum coetum tantum ecclesiam ueram esse affirmassent, qui omni macula et ruga, h. e. peccatis et infirmitatibus careret. Vid. KROMAYERI *Hist. Eccl. p. 657, seqq.* Oppositi illi sese *Boehmius* scriptis, quae inter reliqua eius opera Amstelodami excusa prostant. Innotuit hoc tempore Societas *Fratrum Roseae crucis*, (Rosen-Creutzer,) qui feruntur nomen a quodam *Christiano de Rosencreutz*, aurei lapidis equite habere. Hunc autem circa exitum Seculi XIV Spiritus S. lumine collustratum, philosophiam sublimiorem calluisse, et Sectatores suos, sub iurisiurandi formula obstrinxisse, ut regulas uitae praescriptas sibi seruarent, nec arcana disciplinae suae (inter quae et χρισοποιία refertur) eliminarent. Vid. ANDR. LIBAVIVM

VIVM in libello: Wohlmeynendes Bedencken von der Forma und Confession der Brüderschaft ꝛc. *et* KROMAYERI *Hist. Eccl. p. 655.*

§. 8. *Marburgi* anno MDCV noua inter *Lutheranos* et *Reformatos* dissensio erupit. Nam *Mauritius*, Landgrauius Hassiae, cui ditio Marburgensis per obitum *Ludouici* patrui sui obuenerat, *Caluini* placita Marburgenses sequi iussit. Illa uero amplecti *D. Winckelmannus*, *Balthasar Menzerus* et *Henricus Leuchterus* recusarunt. Quapropter his ex Academia dimissis, et a *Ludouico*, *Giessae* in noua *Academia* constituta receptis; *Valentinus Schonerus*, cum pro concione publice Reformatorum placita instillare primum ausus esset, plebs ad templum conuolauit, huncque pastorem male multatum e suggestu paene semianimem deturbauit. Vid. THVAN. *Lib. CXXXIII.*

§. 9. Hoc anno post excessum *Clementis VIII*, magna in conclaui contentio inter Cardinales, propter electionem noui Pontificis, suborta est. Quam historiam Cardinalis PERRONIVS, et IAEGERVS *Hist. cit. Lib. VI, cap. 1 et 3*, describunt. Tandem factione Gallicana praeualente, fauore eius *Paulus V.* electus est, qui se *Vice-Deum*, *Christianae reipublicae monarcham inuictissimum*, *et Pontificiae omnipotentiae conseruatorem acerrimum* salutari passus est. Vid. HEIDEGGERI *Hist. Papat. pag. 322.* Per id tempus *Pseudo-Demetrii* in Moscouia a Iesuitis, ut creditur, subornati, magnas turbas dedere. De quibus PIASECIVS *Chronic. fol. 222, seqq.* agit.

§. 10. In *Anglia*, eodem anno diriſſimum *Iesuitarum* consilium, aduersus Regem, leui sane indicio patefactum est. Nam illi homines scelerati, *coniuratione* facta, cellam subterraneam aedibus *Westmonasteriae*

subiectam conduxerant, quam XXXVI doliis pulueris nitrati completam incendere instituerant, ut Rex, Principes, omnesque Ordines in comitiis Angliae congregati, ceu fulmine icti et in sublime iactati, una internecione delerentur. Vnde ista *coniuratio pulueraria* dicta est. Quam CAMDENVS peculiari libro, cui titulus est, *Actio in Henricum Garnetum Soc. Iesuit. in Anglia Superiorem etc.* THVAN. *Lib. CXXXV*, IS. CASAVBONVS *Epist. ad Frontonem Ducaeum pag. 704, seqq.* et IO. BARCLAIVS *sub finem Euphorm.* describunt. Decretum inde ab Ordinibus Regni, ut omnes ac singuli ciues atque incolae iureiurando adacti *Iacobum*, legitimum dominum suum agnoscerent, ipsique parerent; neque Pontifici Rom. aut regnum abrogare Regibus, aut subiectos, officio magistratibus debito soluere licere. Quod decretum cum Pontifex, Bulla edita, reiiceret; ipse Rex *Apologiam pro Iuramento Fidelitatis* adornauit. Hanc *Bellarminus*, sub nomine *Matthaei Torti*, oppugnauit; sed a Rege *Praefatione monitoria, ad omnes Principes Christianos* publicata, uicissim confutatus. Conf. IOHNSTONI *Hist. Lib. XXXIII*, PIASEC. *Chron. fol. 256, seqq.* et IS. CASAVBONI *Epist. ad Frontonem Ducaeum*, quae in Graeuiana editione est, DCXXIV.

§. 11. Hoc tempore *Paulum V*, Pontificem praeferuidum, *Veneti* offenderant; quod publico edicto sanxissent, non licere bona immobilia in Clericos transferre, nec templa et monasteria noua absque Senatus consensu erigere, aut Clericos grauiora crimina admittentes iudicio magistratus ciuilis eximere. Has et alias ob causas, Pontifex fulmine excommunicationis Venetos satis imprudenter feriit. At illi Iesuitas e ditione sua eiicientes, *brutum* illud *fulmen*, per *Paulum*

lum Sarpium et *Iohannem Marsilium*, perstrinxerunt et confutarunt; cum *Baronius* et *Bellarminus* causam Papae frigide satis defenderent. Vid. IAEGERI *Hist. Eccl. Lib. VII, c. 1.* Interim cum ad arma res spectaret, Rex Galliae *Henricus IV* Pontificem ad mentem saniorem reduxit. Nam orator eius illi persuaserat, Venetos clam ad se euocatis Geneua Sacerdotibus, moliri ab Ecclesia Romana defectionem. Quo audito, Pontifex cum illis in gratiam rediit. Vid. THVAN. *Lib. CXXXVII*, LVNDORPII *Cont. Sleid. Tom. III, Lib. XII, XIII*, et PIASEC. *Chronic. fol. 243, seqq.*

§. 12. In *Germania* interim Professor Helmstadiensis, *Henricus Boetius*, nouo litigio ansam dederat, cum publice asseruisset, fructum resurrectionis Christi ad omnes homines indifferenter, pios ac impios pertinere; ita, ut impii etiam ui ac uirtute resurrectionis Christi aliquando resurrecturi essent. Quam sententiam *D. Balduinus*, Wittebergensis Theologus, confutauit, demonstrans ui iustitiae impios resurrecturos esse, ut iudicium Christi iusti iudicis subeant.

§. 13. In *Suecia*, *Donawerdae* Abbas coenobii S. Crucis nouam tumultus ansam an. MDC VII dedit. Ciuitas enim illa Imperii Aug. Confessioni addicta, a Caesare proscripta et priuilegiis exuta, Bauariae Duci adiudicata fuit ideo, quod plebs Abbatem sua publica sacra (*Processionem* uocant) praeter solitum, per urbem exercere tentantem impediisset, omnemque eius apparatum et pompam disturbasset. Insolens poena haec omnibus Protestantibus uidebatur, qui Donawerdenses inauditos, pro innocentibus habebant. Vid. THVAN. *Lib. CXXXIIX.* Anno MDCIIX *Cracouiae Sociniani* Catechismum publicauerant, quem Theologi Wittebergenses confutarunt. Vid. *Consilia Theol. Witteb. fol. 661,*

661, seqq. Per id tempus *Anti-Trinitarii* etiam per Germaniam uirus suae doctrinae sparsere; eoque *Altorfinam* Academiam infecerunt. Vid. RVARI *Epistol.*

§. 14. Anno MDCIX *Romam* Persarum Regis legatus uenerat: Quem cum Pontifex regio splendore excepisset, effecit, ut liberior transitus in Persidem *religiosis*, quos uocant, *missionariis* ad disseminandam doctrinam Romanensem concederetur. Vid. PIASEC. *fol. 258.* Quo tempore *Rudolphus II*, Imper. rogante Electore Sax. *Bohemis*, *Silesiis* et *Morauis* pleniorem religionis Euangelicae libertatem indulsit, eamque diplomate, seu, ut uocantur, *literis Maiestatis* confirmauit; multum licet indignantibus Papa, Hispanis et Iesuitis. Vid. PIASEC. *Chron. fol. 312*, et D. IAEGERI *Lib. X, cap. 1.* Templorum ualuis, in antiqua urbe Pragensi, affigebatur carmen:

Templa patent, Leo laetus ouat, firmante Rudolpho,
Quam dederas Fidei, Maximiliane, fidem.

Vid. WENGERSCII *Hist. Eccl. Slauon. Lib. I, p. 60.*

§. 15. *Lugduni Batauorum Iacobus Arminius* sacras literas professus, a trita Reformatorum doctrina, in certis partibus recesserat; puta *in quinque articulis*, de Praedestinatione, Redemtione per Christum facta, Libero hominis arbitrio, Conuersionis gratia et Perseuerantia in fide. Huic *Franciscus Gomarus*, collega eius se primum obiecit; docens, aeterna et immutabili DEI lege fixum, cui hominum salus destinaretur, quis in exitium tenderet; inde alios ad pietatem trahi, et tractos custodiri, ne elabantur: relinqui alios communi humanitatis uitio et suis criminibus inuolutos. Vtroque horum multos adsectatores nacto, scissa non modo Ecclesia Reformatorum fuit; sed ipsa Batauorum res-

respublica tumultu postea conquassata. Neque enim cum *Arminio* hoc anno MDCIX uita functo sepulta fuit discordia, sed uehementius excitata: unde sectarum nomina *Arminianorum* et *Gomaristarum*, quae mox *in Remonstrantium* et *Contraremonstrantium* uocabula transierunt. Vid. H. GROT. *Hist. Lib. XVII, fol. 552, seq.* IAEGERI *Hist. Eccles. Lib. IX*, et SPANHEM. *Elench. Historico-Theolog. Controu. cum Arminianis.*

§. 16. Rex Hispaniae, *Philippus III*, induciis cum Batauis in duodecennium an. MDCIX pactis, insequenti anno, suasu *Francisci Sandoual*, Ducis Lermensis, nouies centies *Maurorum* millia ex Hispania eiecit. Horum enim posteri Christianorum sacra professi, res nouas moliebantur, atque a Rege Galliae, *Henrico IV*, clam auxilia petierunt. Vid. MARIANAE *Hist. Supplem. ad hunc annum pag. 41.*

§. 17. Hoc tempore, *Vnio Euangelicorum*, seu foedus quorundam Protestantium *Halae Sueuorum* coaluit. Eius autor et Conciliator Elector Palatinus *Friderici V* erat. Qui machinationes Iesuitarum, quorum autoritas magna in aulis Principum Catholicorum fuit, animaduertit, ne in ipsum ac ceteros, quos uocabant Caluinianos, uis Pontificiorum primum erumperet; cum exemplum Donawerdae ante oculos uersaretur. Accesserant illi quidam e Lutheranorum Ordinibus. Sed Elector Sax. istam unionem constanter auersabatur; etsi ad uim, si inferretur, propellendam tantum spectaret. Cui mox aliud Pontificii foedus, quod *Ligam Catholicam* uocabant, *Wurtzburgi* conuenientes oppositere. Huius dux, Maximilianus Bauarus, Protestantibus maxime infensus princeps, electus est. Vid. PVFFENDORFII *Rerum Suecic. Hist. Lib. I, §. 18 et 19.*

§. 18.

§. 18. Dum haec in Germania fiunt, in Gallia Rex *Henricus IV*, Hugonotorum patronus adhuc, sceleratissimi sicarii, *Francisci Ravaillac*, Iesuitarum discipuli manu, anno MDCX peremtus occumbit. Vid. *Cont.* THVAN. *Lib. III, p. 84*, et GRAMMOND. *Hist. Lib. I, p. 7, seqq.* Quo tempore confutatio *doctrinae Marianaeae* prodiit, autore Patre *Cotono*, qua iuxta Constantiensis decreta Concilii, erroneae assertiones damnabantur Societatis IESV nomine. Damnatus item Parlamenti Lutetiani placito *Bellarmini* liber, quem in *Barclaium de Potestate Rom. Pontificis* scripserat. Intercedebat autem Nuntius Papae, obtinebatque per Reginam, ne manu carnificis combureretur. Eodem anno prodiit Cardinalis *Baronii Tom. XI Annalium*, in quo Hispaniae regibus negat esse in Siciliam iura, qualia possident. Regis igitur Catholici edicto, opus illud reiicitur, ipseque autor non multo post, factione Hispana, a prima sede excluditur, ad quam suffragiis multorum Cardinalium uocabatur, teste GRAMMONDO *Lib. I, Hist. p. 10.* Iesuitis interim in Gallia praecipitur, ut, nisi regno eiici iterum uelint, *quatuor* hos *articulos* adprobent: 1) Papam nullum habere ius in Reges: 2) Concilium esse supra Papam: 3) Clerum a politici magistratus iudicio non esse exemtum: 4) Confessionem auricularem, si uitam Regis concernat, non esse reticendam. Vid. IAEGERI *Hist. Eccl. Decad. II, Lib. XI, c. 4.*

§. 19. Sub initium anni MDCXI *Aquisgrani*, ob liberum religionis exercitium Protestantibus interdictum, tumultus exoritur. Quo sedato, Protestantibus extra urbem sacra sua obire permissum fuit. *Hagae* autem *Comitis* inter *Gomaristas* et *Arminianos Collatio*

fine

sine fructu instituta fuit, quam IAEGERVS *Hist. Eccl. Decad. II, Lib. I, cap.* 7, describit.

§. 20. Ordines interim foederati in *Belgio* anno MDCXII edicto promulgato, prohibent; ne Iesuitae in suis ditionibus scholas habeant, aut Missas celebrent. Hac de causa in Belgio Regio, uicissim reformatae religionis ministris, intra XIV dies emigrare mandatum fuit. Vid. PIASEC. *Chron. fol.* 282.

§. 21. In *Misnia* hoc tempore *Valentinus Weigelius*, pastor Tschopauiensis, nouae haeresis postulatus fuit; quod fanatica dogmata sub nouis et portentosis uocabulis sparsisset. Ideo *Nicol. Hunnius*, *Theodorus Thummius in Impietate Weigeliana*, et *Ioh. Crocius in Anti-Weigelio*, calamum aduersus scripta eius strinxere. Eodem tempore *Iacobus Boehmius*, sutor Goerlicensis, diuino afflatu se regi ferens, librum sub titulo *Aurorae* (Morgenröthe) conscripsit, qui nouos motus excitauit, aliis Boehmium ceu nouum *Philosophum Teutonicum* defendentibus, aliis damnantibus. KORTHOLDI *in Hist. Eccl. Sec. I, cap.* 2, de eius dogmatibus iudicium est: *Quod alias*, ait, *ad dogmata Boehmii attinet, quae in libris eius sparsim continentur, uix quisquam accuratum eorum texet catalogum; cum ex obscuris et ambiguis uerbis nunc hos, nunc illos sensus extorquere liceat.* Vid. *Acta Boehmistica praemissa eius Operibus Amstelodami* an. 1682 euulgata.

§. 22. *Matthias*, Imperator, an. MDCXIII *Ratisbonae* comitia indixerat, in quibus *Vnioni* adscripti Protestantes saepius ingestas querelas, contra enormem iudicii aulici autoritatem, Tribunalque Spirense in Pontificios pronum ingeminabant; simul quod decretum Augustinum in alienos sensus traheretur, et ipsorum salus in lubrico poneretur, si, quod hactenus factum

erat,

erat, suffragia in conuentibus Ordinum circa negotia religionis, et alia ad statum ipsorum pertinentia, numero ualeant, quo semper Pontificii uincere possent. Enimuero istae querelae frustra fuerunt. Vid. PVFFENDORF. *Rer. Suec. Lib. I, §. 10.* Hoc tempore *Cyrillus*, Patriarcha et Papa Alexandrinus, epistolam ad Ioh. *Vytenbogartum* de statu Ecclesiae Graecae in Aegypto exarauit, quam IAEGERVS *Hist. Eccl. Decad. II, Lib. III, cap. 5*, inseruit.

§. 23. Anno insequenti, cum *Sigismundus*, Elector Brandenburgicus, religionem Reformatam, et *Wolffgangus Wilhelmus* Palatinus, Dux Neoburgicus, Pontificiam amplexi essent; noui in eorum ditionibus animorum motus, ob religionem Lutheranam mutatam, excitati sunt, de quibus in *Mercurio Gall. Belgic.* legi potest. Non minores in Hispania motus concitauit controuersia, de conceptione Mariae Deiparae, *maculata, an immaculata sit?* Nam *Franciscus a San-Iago*, Ordinis Minoritarum monachus, praemonitum se aiebat a diua Virgine Guadalupensi, in signum annulo accepto, de futuro post aliquot annos (non tamen sine contradictione et tumultu) incremento uenerationis et cultus erga suam immaculatam conceptionem. Hinc magnae per Baeticam prouinciam de conceptione immaculata Mariae festiuitates institutae, affixa tropaea *Marianae de peccato originali uictoriae.* Inde certamina inter *Dominicanos* et *Franciscanos* acerrima. Quae cum Rex ipse componere nesciret; Romam misit legatos, ut a Pontifice controuersia terminaretur. Verum ille utriusque litigantis partis offensam ueritus, super ista pronunciare ex cathedra supersedit. Acta huius litigii IAEGER. *Hist. Eccl. Decad. II, Lib. IV, cap. 1*, recenset.

§. 24.

§. 24. Anno MDCXIV *Dauidis Parei*, Theologi Heidelbergenſis, *Liber uotiuus*, cui titulus *Irenicum* ſiue de *Vnione et Synodo* publicatus, quo Lutheranos ad Syncretiſmum in unitate Spiritus, per uinculum pacis in manſuetudine, tolerantia, moderatione et charitate Chriſtiana ineundum inuitat, nouas in Eccleſia lites peperit. Nam illum *D. Sigwartus*, Tubingenſis Theologus, mox confutauit. Inde origo controuerſiarum de *Syncretiſmo* in Germania poſtea enatarum arceſſitur. Etſi in Synodo *Sendomirienſi*, ſeculo antecedenti, id uocabuli ſimili ſenſu uſurpatum legatur. Liber *Conradi Vorſtii de DEO et attributis* eius in Anglia iuſſu Regis ad ignem damnatus fuit, memorante IS. CASAVBONO *epiſt. ad Petronium Cardinalem*, *p. m. 899*, ſed *Andreas Reuchlinus*, hoc anno, ea propter *paraeneſin ad Caſaubonum* grauiſſimam euulgauit, quae inter *Epiſt. Arminianorum p. m. 422, ſeqq.* legi meretur. Enimuero Vorſtium a Socinianiſmi labe non fuiſſe immunem, ipſius ſcripta, puto, loquuntur.

§. 25. Hoc anno, comitia generalia *Lutetiae Pariſiorum* regiis literis indicta ſunt; ut de ſuprema Regum auctoritate in temporalibus, aduerſus Papam Rom. et eius paraſitos ſtatueretur. Nam compertum fuerat, hoc ipſo anno *Franciſcum Suarem*, Ieſuitam Hiſpanum, librum iuris publici feciſſe, quo peſtilens dogma, Pontificem Rom. ius uitae ac necis in Reges habere, aſſeritur. Hiſtoriam rei geſtae et momenta cauſae doctiſſimus Sorboniſta, EDMVNDVS RICHERIVS, *Libro de Poteſtate Eccleſiae in rebus temporalibus an. 1692* publicato *Lib. I*, et GRAMMONDVS *Lib. I, Hiſt. pag. 57, ſeqq.* exponunt.

§. 26. In *Germania* Dux Neoburgicus, nuper ſacra Pontificia profeſſus, an. MDCXV, ſubiectos ſuae di-

tioni eadem amplecti, missasque frequentare iubet. Habitum hac de causa *Neoburgi* fuit *colloquium*, inter *Iacobum Heilbrunnerum* et *Kellerum Iesuitam*, qui illius librum, Unentbehrlich Pabstthum, impugnauit. *Valentinus Smalcius*, Socinianus, *Commentarium cap. I, Ioh.* Senatui Argentoratensi hoc anno inscripserat, qui illum, ut Photinianismi suspicionem amoliretur, reiecit atque refelli curauit. In *Belgio* Ordines Hollandiae et Westfrisiae, *Arminianorum* et *Gomaristarum* contentiones inualescentes magis, publicato decreto componere student. Quod studium Rex Angliae *Iacobus* approbauit. De aliis controuersiis sacris, hoc tempore in Belgio foederato agitatis, ut *D. Molinaei*, *Vorstii*, *Socinianorum*, HVG. GROTII *Epistolae*, hoc anno exaratae legi merentur.

§. 27. Anno insequenti, in *Gallia* tum ob receptionem *Concilii Tridentini*, tum ob *foedus* Condaei principis cum *Hugonotis* initi, factiones exortae, quas GRAMMONDVS *Lib. II. Hist.* describit. Romae Pontifici nolenti fuit intelligere, *M. Antonium de Dominis* Archiepiscopum Spalatrensem, ad Reformatos transisse, et Londini coram Rege *Iacobo*, Romanensem religionem eiurasse; praesertim cum libros de *Republica Ecclesiastica* euulgasset. Quanquam, ut erat in religione uertumnus, postea Romam redierit. Vid. GRAMMONDI *Hist. Lib. III, pag. 196.* D. IAEGERI *Decad. II, Lib. VI, cap. 1, seqq. et Epist.* GROT. ad ipsum exaratam *fol. 44.* In Gallia etiam hoc tempore, a Rege, Iesuitae facultatem scholarum in omnes scientias, obluctante licet Sorbonna et obstrepente Senatu Parisiensi, obtinent. Vid. GRAMMOND. *Hist. Lib. III, pag. 197, seqq.* Pontifex Rom. *Paulus V*, a Rege Catholico denuo sollicitatus, ut controuersiam *de Conceptione S. Mariae*

Mariae decideret; respondit, *Spirit. S.* (quem alias in pectore se habere iactat) *sibi nondum reuelasse.*

§. 28. Interea per prouincias Caesaris, religio Protestantium latius se diffuderat. Quia *Maximilianus II* amplissime illis de Aug. Confessionis doctrina cauerat, adhibitis in consilium *Ioachimo Camerario* et *Dauide Chytraeo*, clari nominis inter Lutheranos uiris. Id priuilegium a *Rudolpho II* confirmatum cum post Matthias abolere conaretur; Austriaci captis armis, copias ipsius profligarunt; ut tunc quidem coeptum persequi non auderet. Bohemi autem *literarum Maiestatis* fide nixi, sibi tutiores uidebantur. Enimuero Iesuitae, rem astu gerentes, iam consilia euertendae Aug. Confessionis doctrinae agitarant; quae cum *Ferdinandus II* Imperator esset factus, eruperunt. Is enim eo usque pro Romano cultu incaluerat, ut aperte profiteretur, malle se uitae omniumque bonorum iacturam facere, quam sacra ab isto diuersa in suis ditionibus tolerare. Vnde postea in Ecclesia protestantium longa malorum series.

§. 29. Inter has uero Iesuitarum molitiones, anno MDCXVII, Elector Saxoniae, *Ioh. Georgius I*, in memoriam secularem coeptae Reformationis, *Iubilaeum* solennissime celebrat. Vid. WECKII *Chronic. Dresdenf. fol. 320.* Cuius pietatem alii quoque Status Protestantes per Germaniam imitati, similes festiuitates instituere, quas GRAMMONDVS, ut est hac in parte dicax, *Lib. II, Hist.* falsе et etiam inepte perstringit.

HISTORIAE SECVLI XVII

SECTIO II

§. 1.

Sectio haec *secunda* res ab anno MDCXVIII usque ad annum MDCXXIX (quo *Ferdinandi II Edictum* aduersus Protestantes promulgatum est) complectitur Ecclesiasticas.

§. 2. Ad has pertinent primum *Synodus Dordracena*, deinde conuersio rerum in *Bohemia*. Nam postquam dissidium inter *Arminianos* et *Reformatos*, de *quinque articulis* exortum, hactenus amicabili modo non potuisset componi, et partium studiis ciuitates etiam dissiderent, tumultu interdum perstrepentes; anno MDCXIIX *Synodus Dordraci* conuocata est, ad quam non tantum Batani, sed exteri etiam Theologi e Britannia, Palatinatu, Hassia, Heluetia et aliis Germaniae partibus conuenerunt. *Iohannes Bogermannus*, Pastor Ecclesiae Leouardiensis, Synodo praesidebat. *Arminianorum*, seu *Remonstrantium* causam agebat *Simon Episcopius*, os Remonstrantium dictus, uir doctissimus grauissimusque. Enimuero hic nomine Remonstrantium, contra modum procedendi protestatus est; quod qui aduersam partem tutabantur, sederent iudices, qui inauditos (ut in Synodo Tridentina) Remonstrantes damnarent. Multis cordatis ea iudicii forma displicebat, nec *Mauritius*, Princeps Arausionensis, inuidia caruit. Interim *Reformati* reiecta Arminii doctrina, *Confessionem Belgicam* et *Heidelbergensem Catechesin* confirmarunt. Prolixa est historia, longae sunt ambages, quae ex *Actis et Scriptis Synodalibus Dordracenis*

Mini-

Ministrorum Remonstrantium in Foederato Belgio Harderuici impressis, item SIMONIS EPISCOPII *Tom. II Opp. Part. II*, nec non *Epistol. Eccles. et Theolog. praestantium eruditorum uirorum Amstelodami editis*, optime cognosci possunt. Coepit Synodus illa Cal. Nou. MDCXIIX, finita sequentis anni mense Maio. Paucis post diebus, *Grotio* ad captiuitatem in arce Löwenstein damnato, (ex qua tamen postea uxoris ope euasit) *Barneseldius* septuagenario maior capitis supplicio affectus est. Conf. *Theatrum Europ. Tom. I, pag. 580, Epistolicam Narrationem eorum, quae in Synodo Dordrac. gesta sunt in Epist. Arminianor. pag. 512.* Occasione harum controuersiarum doctissimus GERH. IO. VOSSIVS *Historiam Pelagianam* scripsit, et Amstelodami publicauit.

§. 3. Conuersio autem rerum uel motuum in *Bohemia*, quae in hunc annum incidit, et insequentibus durauit, paucis ita habet. *Matthias*, Imperator, libertatem religionis Bohemis a *Rudolpho* confirmatam imminuere coeperat. Vnde multa ubique querela Euangelicorum, spes emendationis exigua. Conuentus ergo *Pragae* actus, in quo quum durius Caesaris deputati *Guilielmus Slabata*, *Comes de Martinitz*, et Secretarius, *Philippus Fabricius*, respondissent; Euangelicorum deputati illos per fenestram praecipitarunt. Sic iacta alea, libertas Bohemorum magis periclitari coepit, ut tristis postea euentus comprobauit. Vid. PIASEC. *Chron. fol. 313*, et PVFFEND. *Rer. Suec. Hist. Lib. I, §. 22.*

§. 4. Hoc anno, *Iulius Caesar* (al. *Lucilius*) *Vaninus*, Italus, primum philosophiae et theologiae, deinde medicinae cultor, cui in irrisum sacra et religiosa, (Christi humanitatem exsecrabatur, DEVM negabat;

forte uel casu omnia fieri differebat, naturam pro matre optima et omnium autrice adorabat) *Tolosae* in Gallia, ob nefandum atheismi crimen, iusto supplicio afficitur. Vid. GRAMMOND. *Hist. Lib. III, pag. 210, seqq.* Ceterum d. 9 Nou. styl. noui eiusdem anni, comera horribilis uisus in signo Scorpionis, cauda porrecta uersus Orientem, multos terruit, ceu belli funesti tricennalis futuri praesagium.

§. 5. Anno insequenti, Synodo Dordracena finita, *Arminiani* eiusdem decreta impugnant: quod inique cum ipsis in Synodo, ab aduersariis, qui simul iudicis et actoris partes sustinuissent, actum fuisset. Ideo Reformati, Arminianos ab officiis publicis excludunt, et magistratus ciuitatum noua iurisiurandi formula adstringunt. In *Bohemia* uero et annexis prouinciis Austriacis, mortuo *Matthia* Imperatore, motus ob religionis periculum inualescunt; quod ille ante obitum, *Ferdinandum* agnatum suum, acerrimum Euangelicorum hostem, Bohemiae designasset Regem. Itaque Ordines Bohemici negabant, regnum a *Ferdinando* capessi posse, antequam praestita essent, quae debebantur. Querelas illas ac motus animorum, PIASECIVS *Chronic. fol. 317, seqq.* et PVFFENDORFIVS *Lib. I, §. 25*, commemorant. Tandem circumspectis rationibus, Ordines Bohemiae *Fridericum V*, Palatinum Electorem, Reformatae religioni addictum, sibi Regem constituunt. Vnde tristis mali in Ecclesia et republica initium. Ante *Casp. Scioppius* euulgato *Classico belli Sacri*, Principes Catholicos, ad bellum aduersus Protestantes accendit. Sed huic uirulento scripto, *Berneggerus*, sub nomine *Theodosii Berenici*, *Tubam Pacis* opposuit.

§. 6.

§. 6. Hoc anno MDCXX cum *Fridericus V*, Pragae in Regem Bohemiae coronatus, et mox in praelio prope Pragam victus atque a Caesare proscriptus esset; *bellum Germanicum* magno Protestantium detrimento erupit. Nam *Ferdinandus* statim Euangelicos in Bohemia, et aliis ditionibus suis oppressit, aut eiecit, et incentores belli, Iesuitas ante ex Bohemia proscriptos reuocauit. Vid. PVFFEND. *Histor. Rer. Suecic. Lib. I, §. 32, seqq.* Res etiam inter *Vnionem* Euangelicorum et *Ligam* Catholicorum, post minacia utrinque scripta edita, in congressu *Vlmensi* composita fuerat: cum Foederati nullam curam Bohemiae se habere, testati essent. Itaque magno cum tripudio, victoria Caesaris et clades *Friderici*, Romae acceptae sunt, dolentibus Bohemis, Silesiis et Lusatis, quibus iugum Pontificium imminebat. Vid. IAEGERI *Histor. Decad. II, Lib. X, cap. 6*, et HEIDEG. *Histor. Pap. pag. 341, seqq.* In ualle *Telina*, hoc tempore, Euangelicis a Pontificiis magna strages illata, quam HEIDEGGERVS *l. c. pag. 346*, et GRAMMONDVS *Lib. VIII, pag. 387*, describunt. Interea doctissimus Iesuita, *Iacobus Reihing*, ducis Neoburgici ecclesiastes, ueritatis Euangelicae conuictus, ad Lutheranos transiit, et Tubingae theologiam professus est nostram. Vid. METERAN. *Lib. XXXIX*, SPIZEL. *in Templo Honor. pag. 93.* In comitatu *Schaumburgico* anno MDCXXI die 27 Iulii, noua Academia inauguratur. Sed *Heidelbergae*, quam *Tillius* expugnauerat, sacrificuli missam celebrare coeperunt, spoliata instructissima Bibliotheca, quam Bauarus postea ceu sacri belli manubias, Papae donauit. Romae eodem anno d. 10 Octobr. *Paulus V*, Papa, uita excessit, cuius obitus hoc etcostticho signatus: *MortVVs est VICe DeVs.* In cuius locum *Gregorius XV* surroga-

tus, *Ceremoniale Nouum*, h. e. constitutionem de forma eligendi Papam, publicauit, ac Iesuitas quatuor, *Ignatium Loiolam*, *Franciscum Xauerium*, *Aloisium Gonzagam* et *Stanislaum Coskam*, et alios, in diuorum seu sanctorum numerum retulit. Vid. HEIDEGGERI *Hist. cit. pag. 350*, et IAEGERI *Hist. Decad. III, Lib. I, cap. 1, et Lib. II, cap. 1.*

§. 7. In *Hispania* adhuc controuersia, de immaculata *S. Mariae* conceptione feruebat. In *Gallia* Rex Edictum Nanneticum confirmat, apud GRAMMOND. *Lib. VIII, pag. 751.* In *Belgio Foederato Petri Molinaei Liber*, cui titulus: *Anatome Arminianismi*, Arminianos grauiter offendit, qui ideo epistola ad illum exarata, uirum reprehendunt. Vid. *Epist. Remonstr. Theolog. p. m. 570, seqq.*

§. 8. Caesar interim anno MDCXXII odio in Protestantes maximo flagrans, instinctu *Caroli Caraffae*, Episcopi Auersani, hominis crudelis, eosdem e *Bohemia* eiecit, frustra pro illis Electore Saxoniae intercedente. Idem fatum mansit Morauos et Austriacos. In *Iaponia*, hoc anno crudelissime in Christianos saeuitum est. Immanitatem persecutionis VARENIVS *de Relig. Iap.* describit. Culpa excitatae crudelitatis, ex parte in Iesuitas confertur, quorum consilia de Papae autoritate in Iaponenses, istis Regulis seditiosa uisa sunt.

§. 9. Insequenti anno, mortuo *Gregorio XV*, Papa, *Vrbanus VIII* eligitur. Qui Duci seu nouo Electori Bauariae, a quo Bibliothecae Heidelbergensis spolia acceperat, subsidia in bellum aduersus Protestantes subministrauit. Vnde *Tillius* exercitus *Ligistici* Imperator, bellum in Germaniam transfert; quod Protestantes aliqui serius animaduerterunt, hoc nempe suum exitium quaeri. Hinc uariae de reducenda pace consultationes

tationes initae, quas tamen *Ferdinandus* subinde inanibus promissis elusit.

§. 10. Inter Theologos *Giessenses* et *Tubingenses*, inde ab an. MDCXVIII controuersia de *statu exinanitionis Christi* agitata fuerat; an illa *in nuda κρύψει*, siue *occultatione maiestatis*; an uero in *reali κενώσει*, seu *euacuatione usus incessantis maiestatis* consistat? Prius cum *D. Thummio*, *Lucas Osiander* et *Melchior Nicolai*, Theologi Tubingenses asseruerant: posterius cum *D. Feurbornio*, *D. Winckelmannus*, et ex parte *Menzerus* affirmarunt. Quorum literas hac de re commutatas, IAEGERVS *Decad. III*, *Hist. huius seculi initio* exhibet. Noti etiam sunt de eadem libri editi *Thummii ταπεινωσιγραφία*, et *Feurbornii κενωσιγραφία*. Sed ne maius inde offendiculum Ecclesiae nasceretur, *Theologi Saxonici*, iussu Electoris, eam an. MDCXXIV determinarunt, *Decisione*, ut uocant, publicata. Quibus Tubingenses *amicam admonitionem reposuere*.

§. 11. Hoc anno *Cyrillus Lucaris*, Patriarcha Constantinopolitanus, *Confessionem Christianae fidei* promulgauit. Quae cum aliquot Caluiniana placita contineret, *Cyrillus*, Berrhoënsis, et *Parthenius*, Constantinopolitani Patriarchae, illam censura notarunt; Iesuitae uero ipsum apud *Primouesirum*, nouae haeresis accusarunt; ut de sede sua deiiceretur. Vid. *Confess. et Censur.* apud Batauos Graece et Latine anno 1645 edit. Per id tempus *Vladislaus*, Princeps Poloniae, Romae ceremoniam Iubilaei Pontificii spectans, a Pontifice obtinuit, ut factus ante Basilicae *S. Petri* canonicus, Veronicae linteum, quo Christi crucem gestantis faciem cruore adspersam dicitur absterssisse, attingere sibi liceret, apud PIASEC. *Chronic. pag. 372, seqq.*

§. 12. In *Gallia* an. MDCXXV, Facultas Theologica Parisiensis, *Antonii Santarelli* Iesuitae librum, Romae hoc titulo inscriptum: *Tractatus de haeresi, schismate, apostasia, solicitatione summi Pontificis, et de potestate summi Pontificis in delictis his puniendis*, damnat. Qui ex decreto supremae curiae, carnificis manu combustus fuit; quod in illo, Pontifici potestas directiua et correctiua in Principes, asserta esset, apud GRAMMOND. *Lib. XV, pag. 675, seq.* Vbi *P. Coton* professus est, Iesuitas aliter Romae, aliter Lutetiae sentire; *quia cum coelo animus eorum mutaretur.* In Germania interim praeualidis Ligistarum armis Protestantes premuntur, *Tillium* enim eorum ducem Iesuitis addictissimum fuisse, constabat.

§. 13. Circa finem an. MDCXXVI, *Pragenses*, *Ossa S. Norberti*, qui ordinis monachorum *Praemonstratensis* autor habetur, ex consensu Magdeburgensium, quorum olim Archiepiscopus fuerat, Pragam magna cum pompa transtulere, teste PIASECIO *Chron. fol. 400*, et CAROLO CARAFA *Comment. de Germ. Sacra Restaurat. pag. 318, seq.* Vnde cum postea urbs a *Tillio* expugnaretur et deuastaretur, Pontificii causam in ablata tanti patroni ossa, contulere. *Ferdinandus* autem *II*, hoc tempore, noua edicta in suis ditionibus seuera, contra Euangelicos promulgare haut destitit. Vid. *Decreta et diplomata ex Cancellaria aulic. Imperii* coniunctim edita, *pag. 94, seqq.*

§. 14. *Vrbanus VIII*, Papa, an. MDCXXVII, in Bulla Coenae Dominicae promulgata, excommunicauit ac anathematizauit omnes haereticos, et qui illis fauerunt, auxilium aut consilium suppeditando. Quo, cum non obscure Regem Galliae peti intelligeretur, illius in Gallia publicatio interdicta fuit. Nam clerus Gallicus,

Pari-

Parisiis congregatus iam Regi scrupulum: *an armis etiam restituendi, aut iuuandi essent illi Principes, qui Sacra a Romanis diuersa sectarentur?* exemerat, libro de eo in uulgus edito. Interea *Ferdinandus II*, nouum aduersus Protestantes in Bohemia edictum promulgat, quo omnes Religionem Romanensem amplecti iubentur. Vid. CARAFA *Germ. Sacr. Restaurat. pag. 343, seq. et pag. 385.* Sequenti anno, in *Austria superiori*, Nobilibus protestantibus emigratio indicitur, apud *eundem pag. 391, et 403.* Per id tempus *Londini* in Anglia *Maneringus*, ecclesiastes, pro concione dixerat: *Regem in omnium ciuium bona ius habere, ac omnia Regis esse, non solum quoad iurisdictionem, sed etiam quoad proprietatem.* Quo asserto, multorum ciuium animi ualde commoti fuere. Sed Cantuarienſis Archiepiscopus, illam concionem pronunciauit *temerariam.* Vid. IONSTON. *Rer. Britann. Lib. XXII. Dantisci* etiam inter *Hermannum Rathmannum*, Ecclesiasten, et alios Theologos, anno XXV exorta est contentio, de uirtute uerbi diuini in conuersione hominis, quam HARTKNOCHIVS *Hist. Eccles. Prussicae Lib. III, cap. 8*, describit. Conf. RATHMANNI ipsius *Quaestiones undecim*, Dantisci an. 1623 publicatas; et CONSTANTINI SCHÜTZII, Theol. Gedanensis praeclare meriti, *Manes Rathmanni intempestiue euocatos.*

§. 15. Interea uictricia per Germaniam Caesaris arma, ut Protestantibus magnam sollicitudinem iniecere, ita Iesuitis animos addiderunt, ut pacem Religionis Augustae olim factam, publicis scriptis, iisque seditiosis oppugnare non amplius dubitarint; calumniantes, Lutheranos ab Aug. Confessionis doctrina iam defeciſſe, ac adeo pace illi superstructa amplius gaudere non posse. Hac de causa *Theologi Saxonici*, iussu Electoris

ris Sax. scriptum apologeticum sub titulo: Nothwendige Vertheidigung des Heil. Röm. Reichs Augapffels publicarunt. Quod Iesuitae, inter quos dicacissimus, *Laurentius Forerus*, iterum satyricis atque maledicis libellis (wer hat das Kalb ins Aug geschlagen: Es müste wohl eine Kuh sachen: *Andreae Fabricii* Brill auf den Evangel. Augapffel ꝛc.) editis infestarunt. Ideo tandem laudati Theologi, ut tot calumnias simul diluerent, publica autoritate, librum apologeticum Haupt-Vertheidigung des Augapffels, in lucem emisere, quem lacessere denuo turbidi Iesuitae non intermiserunt: Nichts ist gut für die Augen: Item, *Ex nihilo nihil fit.* Interea Capitulum Magdeburgense, *Augustum*, Electoris Saxoniae, filium secundo genitum, Administratorem Archiepiscopatus postulauit, quod Caesari parum gratum erat. Vid. CARAFAE *Germ. S. Restaurat. p. 394, seqq. et p. 402.*

§. 16. In *Gallia Cardinalis Richelius*, cui summa rei Franciae commissa erat, Hugonotorum propugnaculum, *Rupellam*, terra marique obsessam, sub finem mensis Octobris anno MDCXXIIX expugnauit. Qua capta, Hugonotorum uires in Gallia concidere, simul libertate religionis periclitante, aut succumbente. Historiam memorabilis huius obsidionis, et constantiae Rupellensium, GRAMMONDVS *Hist. Lib. XIIX*, prolixe describit. Pontifex Rom. Galliae Regi hac de causa gratulatus, his uerbis exorsus est: *Vox exaltationis et salutis in tabernaculis; uideat peccator et irascatur, Synagoga Satanae contabescat* etc. Literas uero hasce Papae sanguinarias, *Iosephus Hallus*, Episcopus Exoniensis, publico libello perstrinxit.

§. 17. In *Germania*. cum insequenti anno XXIX *D. Georgius Zeaemannus*, Campidunensium Theologus Luthe-

Lutheranus, iussu Caesaris, captiuus Ehrenbergam, ob defensam publice religionem Lutheranam abductus esset; Caesar prospero rerum successu nixus, stimulantibus simul Iesuitis, *Edictum illud ferale* promulgauit, quo restitui postulauit bona Ecclesiastica post Pacificationem Passauiensem, a Protestantibus occupata, cum fructibus perceptis et percipiendis; simul declarauit, non esse Protestantibus iustam querendi causam, si Lutherani Pontificiorum ditionibus expellantur; et quod pax religioni concessa ad eos solos pertineat, qui Aug. Confessionem amplectantur. Quo ipso Calvinianos excludi, in aprico erat. In recusantes proscriptio decreta, exsecutioni citra exceptionem confestim mandata fuit. Ac ut insultatio eo foret manifestior, ab Augustana urbe initium sit, abs qua Protestantium Confessioni nomen inditum, cuius ciues publico Lutheranae religionis exercitio arcebantur. Vid. PVFFEND. *Hist. Rer. Suec. Lib. I, §. 57.* et *Theatr. Europ. part. II, ad annum MDCXXIX.* Edicto hoc publicato, patuit, quo hactenus Papae, Caesaris et Iesuitarum, consultorum pessimorum, consilia et destinata spectarint. Conf. GRAMMONDI *Hist. Lib. IV, p. 264,* et *Lib. VIII, p. 385.*

HISTORIAE SECVLI XVII

SECTIO III

§. 1.

In hac *Sectione* res ab anno huius aeui XXX, ad annum XLIIX, quo Pax *Osnabrugensis* concluſa fuit, continentur. Quo temporis interuallo, inter Lutheranos Theologi claruerunt, *Matthias Hoë, Henricus Hoepfnerus*

pfnerus, Iob. Gerhardus, Albertus Grauerus, Iob. Hulsemannus, Pol. Lyserus, Iacobus Wellerus, Nic. Hunnius, Iob. Georg. Dorscheus, Iob. Conradus Dannhauerus, Abrahamus Calouius, Georgius Calixtus, et alii, quorum uitas supra laudatus *Hemmingus Witte* descripsit.

§. 2. *Edicto Ferdinandi II* publicato, Elector Sax. de eius iniquitate conquestus, per legatos illius abrogationem enixe apud Caesarem flagitauit. Sed ille solitis uerborum blandimentis, et anno MDCXXX designato *Francofurti* conuentu, ubi de isto negotio ageretur, fortioribus consiliis hunc auertere nitebatur. Quae ludibria tamen inanis spei ipsum non mouerunt, quo minus Protestantium Ordinum plerosque *Lipsiam* inuitaret, ne cùm ipsis, foedere percusso, decerneret, uim opponere, si quae uis sibi, ob edictum istud intentaretur. Quod ceu inualidum, aduersus uictorem exercitum Caesaris et Ligistarum, Iesuitae deridebant, iactantes fortunam suam esse quadratam. Et forsan spes eorum longe positae non fefellissent, ni DEO procurante, ad partes Rex Sueciae *Gustauus Adolphus* postea tempestiue accessisset. Vid. *Theatr. Europ. Part. IV, pag. 292, seq.* et PVFFENDORF. *Lib. I, §. 58.*

§. 3. In conuentu illo *Lipsiensi* simul conuocatis Theologis, cum Lutheranis, tum Reformatis, de controuersiis, queis a se inuicem dissident, *Colloquium* (sed saluo aliorum consentiendi aut dissentiendi iure) habitum est: ne ob diuersa sacra, iam hoste communi ingruente, qui omnium Protestantium iugulum peteret, causa communis segnius ageretur, aut discordia turbaretur. Summam illius colloquii KROMAYERVS *in Appendic. II. Syncretist.* memorat.

§. 4. Interea Pontifex *Vrbanus VIII*, ope consilioque, uastissima Caesaris destinata iuuit, Bulla etiam edi-

ta,

ta, Sectam *Ieſuitiſſarum*, quae in Belgio et Italia radices agere coeperat, ſuppreſſit. Vid. HORNBECKII *Exam. Bull. Innocentii X Append.*

§. 5. Annus, qui ſequitur, trigeſimus primus Proteſtantibus triſtis illuxerat; cum *Tillius Magdeburgum* d. 10 Maii expugnaſſet atque diriſſime excidiſſet, ſed uiciſſim illos die 7 Septembr. exhilarauit uictoria, quam diuina ope, in praelio prope *Lipſiam* Rex Sueciae et Elector Saxoniae profligato *Tillio*, obtinuerunt. Vid. PVFF. *Hiſt. Suec. Lib. III.* Libertas Proteſtantium cum Religione in acie poſita tum erat; ſi aliter cecidiſſet alea, et aduerſariorum, ſicut ante, conatibus, tum quoque correſpondiſſet ſucceſſus, de utraque actum fuiſſet.

§. 6. Et quanquam anno inſequenti XXXII Rex Sueciae glorioſiſſimus, uindex libertatis et Religionis Proteſtantium incomparabilis, in praelio ad *Luzenam* occumberet uictor; DEVS tamen ſpes Proteſtantium erexit iterum, atque Ligiſtarum uaſta aduerſus Eccleſiam conſilia porro turbauit. Per id tempus in *Polonia*, Nobiles pacem inter diſſidentes de religione conciliare nitebantur; ita ut libertas conſcientiae omnibus eſſet permiſſa. Enimuero huic conſilio clerus maxime, ne ſuccederet, obſtitit. Vid. PIASEC. *Chron. fol. 442, ſeq. 445, 448.*

§. 7. Anno MDCXXXIII inter Ordines ſeu *Cantones Helueticos*, Catholicos puta et Tigurinos Euangelicos, diſſenſio exorta; quod hi Suecis fauere arguerentur, cum Conſtantiam oppugnaſſent. Sed Catholicorum minas mox Tigurinorum conſtantia fregit. Vid. PVFFEND. *Hiſt. Rer. Suec. Lib. V, §. 76.*

§. 8. In Gallia *Moſes Amyraldus* et *Claudius Teſtardus*, *Ioh. Cameronis*, in Salmurienſi ad Ligerim academia profeſſoris, diſcipuli, aduerſarios experti

ſunt

sunt *Molinaeum*, *Fridericum Spanhemium* et *Andream Riuetum*; quod gratiam diuinam uniuersalem erga genus humanum asseruissent: hoc est DEVM uelle omnes homines saluos, si credant. Quam gratiam aduersarii merito illusoriam dixere; accusantes *Amyraldum*, quod autor diuinae misericordiae conspurcatae et risui expositae sit. Ille hos contra irreconciliabiles gratiae Christi inimicos dixit. Vid. AMYRALDI *Libr. de Praedestinat. eiusque annexis materiis an. 1634. Salmurii* publicatum, et HVLSEM. *Diatrib. de Auxil. Grat. pag. 80, seqq.*

§. 9. Interea temporis in *Germania* res Protestantium nutare uidebantur; cum Sueci an. XXXIV prope *Nordlingam*, magna affecti clade essent, et Elector Sax. pacem cum Caesare ineundam moliretur. Vid. PVFFENDORF. *Hist. Lib. VI.* Quae insequenti anno etiam *Pragae* coaluit. PVFFENDORF. *Hist. Lib. VII, §. 43, seqq.* et PIASEC. *Chron. fol. 483, seqq.* Multi eam Protestantibus minus proficuam, aut etiam tutam fore, augurabantur. Ad Pontificios h. t. ICtus Marburgensis, *Helfricus Vlricus Hunnius*, *Aegidii* Theologi filius, transierat; cuius argumenta, quae *indissolubilia* uocauerat, *D. Himmelius*, Ienensis Theologus soluit.

§. 10. In *Scotia* et *Anglia*, sacra ac humana miscebantur omnia. Etenim quum Rex, ut *Episcoporum* auctoritatem stabiliret, et *Puritanismum* aboleret, pariaque utriusque factionis instituta, in re sacra efficeret; formulam sacrorum (*Liturgiam* uocabant) per *Guilielmum Laudum*, Cantuariensem Archiepiscopum, componi curasset, qua Presbyteria, classes et Synodi prouinciales, quas *Presbyteriani* defendebant, abrogabantur: *Liturgia* autem ut seruaretur, grauissimam

in

in refractarios poenam sanxit. Vnde tumultus ubique per Scotiam a Presbyterianis anno MDCXXXVII concitabatur. Vid. PVFFEND. *Introd. ad Hist. c. IV*, §. 26, et LVDOVICI *Dilucidat. laudatae Introduct. pag. 782, seqq.* Hinc postea Secta *Independentium* exorta, qui, nomine ex re accepto, nullis certi diuini cultus formulis, aut praeceptis adstringi, nec ab ullo seu ecclesiastico, seu ciuili imperio, hac in parte *dependere* uoluerunt. Vid. HORNBECKII *Lib. de Independentism.* Hi deinde nouis uocabulis *Conformistarum* et *Non-conformistarum, Separatistarum* et aliis distincti, nouas in Anglia Sectas pepererunt. Vid. G. HORNII *Hist. Eccles. Period. III, Art. II, §. 14, 37, seq.* qui plusquam quadraginta Sectas ex *Independentium* ceu Troiano equo, prosiliisse, §. 42 affirmat.

§. 11. *Lutheranis* etiam in *Germania*, pacis Pragensis fructu nondum frui licuit; cum Sueci illa includi nollent, et uires recolligerent suas, atque foedere cum Gallo firmiore percusso, arma in ipsos Protestantes, qui pacem istam amplexi erant, conuerterent, eaque postea uictricia, per Germaniam, Bohemiam late circumferrent; donec pax *Osnabrugensis* concluderetur.

§. 12. In Ecclesia autem Pontificia interea acris contentio renata fuit. Nam *Cornelius Iansenius*, Louaniensis primum Professor, post Yprensis in Belgio Episcopus, de *Gratia diuina et libero arbitrio*, ex *Augustino* aliter, quam Iesuitae, docere coeperat. Et cum illo anno MDCXXXIIX mortuo, liber eius, *Augustinus* inscriptus, prodiisset, *quinque* in eo *propositiones* Iesuitae oppugnarunt, quas *Vrbanus VIII Innocentius X*, et tandem etiam *Alexander VII*, Pontifices damnarunt. Examen illarum D. IO. ANDR. OSIAND. *in Specimine Iansenismi* instituit. Historiam LEYDECKERVS

Libris VI, descripsit. Conf. PAVLI IRENAEI *causam Ianseniuanam* siue *fictitiam haeresin Coloniae* anno 1682 editam. Causam tamen *Ianseni Louanienses*, et quidam *Sorbonici*, inprimis *Arnaldus*, in Gallia Theologi, ad nostra usque tempora defenderunt. Conf. HEIDEG. *Hist. Papat. Period. VII, §. 245, seq.* et G. HORN. *Hist. Eccles. Period. II, Art. II, num. 68.*

§. 12. In *Germania*, inter *Protestantes* hae tempestate lites enatae sunt; cum Pastor Hannoueranus *M. Statius Buscherus*, an. MDCXXXIIX, in D. GEORGII CALIXTI, Theologi Helmstadiensis, *Epitome Theologiae Moralis, Digressione de arte noua, Prooemio in Vincentium Lirinensem*, et D. HORNEII disputationibus, errores se inuenisse, significasset, eosque hac de causa *Crypto-Papismi* postulasset. *Helmstadienses* uero Theologi an. MDCXLI, scriptum *apologeticum* isti opposuere. His accessit controuersia de *necessitate bonorum operum ad salutem aeternam, de mysterio SS. Trinitatis, an illud in Vet. Test. aeque, ac in Nouo perspicue esset propositum?* et alia. Vnde dissensio inter *Helmstadienses*, et *Saxonicos* Theologos exorta, multas in Ecclesia turbas excitauit. Conf. D. HVLSEM. *Calixt.* Gewissens-Wurm, et D. CALOVII *Hist. Syncr. Libr. III, cap. 4*, CHRISTOPHORI BESOLDI, Historici et ICti Tubingensis apostatae facti, *Motiuas*, quas uocauit, *apostasiae*, D. TOBIAS WAGNERVS, et DANNHAVERVS *Theolog. Conso. Part. II, Sect. II, Dialog. III*, confutarunt.

§. 14. In *Hibernia*, instinctu Papae et monachorum, anno MDCXLI, d. 23 Oct. horribilis *laniena* Protestantium contigit. Nam paucorum mensium interuallo, plusquam ducenta hominum millia uel trucidata, uel immani cruciatuum genere extincta sunt.

Histo-

Historiam huius lamienae HEIDEGG. *Histor. Papat. Period. VII, §. 251*, refert atque describit; Item *Histor. Eccles. Period. III, Art. II, num. 61.*

§. 15. *Romae* autem, mortuo *Vrbano VIII*, Papa, de nouo Pontifice creando, anno MDCXLIV miris studiis, inter factionem Hispanicam, Gallicanam atque Romanam certatum fuit, donec praeter opinionem, *Pamphilius*, gente Romanus, Olympiae astutae foeminae artibus, Papa proclamaretur. Quem assumto *Innocentii X* nomine, Cardinalis Medicaeus coronatum, ita affatus est: *Scias, te esse Patrem Principum et Regum, Rectorem orbis.* Vid. LAVRENT. BANCK. *Rom. Triumph. cap. IX, pag. 1, 6*, et CONRING. *Conclau. Alexandri VII, pag. 55.* Nouus ille Pontifex in gratiam Iesuitarum, nouam aduersus *Ianseniastas* Bullam publicauit, perpetuum illis silentium imperando. At ipsi, quod Iesuitarum dolo extorta esse, Bullae parere recusarunt.

§. 16. Dum *Helmstadienses* controuersiae augescunt, anno MDCXLV nouam *Iacobus Fabricius*, Superintendens Sterinensis, litigio ansam praebuit, publicando librum de *Visionibus diuinis*, quas ille defendit. Hunc Theologi *Wittebergenses* sub censuram reuocarunt, improbantes *Fabricii* de nouis uisionibus et prophetiis sententiam. Vid. *Consil. Theol. Witteb. fol. 804, seqq.* Per id tempus *Woldemarus* Christianus Regis Daniae filius, M. Ducis Moscouiae filiam in matrimonium ambiens, a patriarcha Russorum *Iosepho*, ad Graecam siue Russicam religionem amplectendam inuitabatur. Vnde *de Lutheranae et Graecae religionis differentia*, disputatum fuit. Vid. HORNII *Hist. Eccles. Period. III, Art. II, num. 61.*

§. 17. *Vladislaus IV*, Rex Poloniae, princeps pacis ecclesiasticae amans, anno iam dicto *Thorunii Colloquium Charitatiuum* (ut uocat) *Lutheranos*, *Reformatos* inter et *Pontificios* instituit, tentaturus tolerantiam ecclesiasticam sancire. Praecipui partium collocutores fuere, *D. Iob. Hulsemannus*, Lutheranus, *D. Iob. Bergius*, Reformatus, et *Matthias Lubienski* archiepiscopus Gnesnensis. Vid. HVLSEM. *Relat. dicti Colloqu.* et D. CALOVII, qui illi quoque interfuerat, *Hist. Syncret. Lib. III, c. 3*, conf. PVFFEND. *Hist. Brandenb. Lib. II, §. 31.*

§. 18. *Adrianus* et *Petrus de Walenburch*, fratres Batavi, anno MDCXLV tractatum, sub titulo *Methodi Augustinianae*, euulgarunt, quo methodum *Francisci Veronii*, Regis Galliae concionatoris pro controuersiis, nouam incrustarunt, qua in disputatione cum aduersariis utendum sit. Is enim in frontispicio *duorum Tomorum*, hanc inscriptionem Thrasonicam habet: *Methodus noua, facilis et solida haereses ex fundamento destruendi et refutandi confessionem Gallicam, Augustanam, Saxonicam, etc. libros denique et conciones omnes Theologorum Protestantium, Caluini, Bezae, Chemnitii, etc.* Huius methodi *duo* sunt *postulata* stolidissima; *unum*, ut Protestantes talia argumenta ἀναστευαστικά proferant, quorum maiores propositiones in S. Scriptura uerbotim extent: *alterum* consistit in reiectione talium dogmatum et argumentorum, quae κατὰ λέξιν, et uerbotim ibi non continentur et exprimuntur, ut, Purgatorium non datur, etc. Vid. VERONII *Tom. I, cap. 6, §. 1, pag. 129, seqq.* Hanc, inquam, methodum *Walenburchii* recoxerunt. Verum illam *D. G. Calixtus in Digressione de arte noua*, aduersus apostatam *Bartholdum Nihusium*, confutauit. Quia

per

per illam legitimus consequentiarum usus in disputatione cum haereticis proscribitur, quem NICOL. VEDELIVS *Rational. Theol. cap. 3, et seqq.* nec non DANNHAVERVS *Dialect. Sacr. Sect. II, Artic. IV et V*, et alii defenderunt.

§. 19. Nouum, seu uenenatum, pomum Eridos hoc tempore, in Ecclesiam proiecit *Isaacus Peyrerius*, Gallus, quum librum de *Prae-Adamitis*, siue hominibus ante Adamum existentibus, publicasset. Quem *Dannhauerus*, *Micrelius*, *Orsinus*, *Hilpertus* et *Marcsius* confutarunt. Autor postea *Bruxellis* captus, inque carcerem detrusus, missa Caluini secta, errorem eiurauit, ac in castra Pontificiorum transiit; praetexens, se illud problema ingenii exercendi uel ostentandi causa, in medium attulisse. Incidit etiam hic controuersia circa *aequalem Pauli et Petri primatum*, autore *Anton. Arnaldo*, in Gallia excitata, quam ITTIGIVS *Dissert. Sel. IV*, euoluit.

§. 20. In *Belgio foederato* controuersia de *Sabbato* feruere coepit. Quod aliqui cum *Gomaro*, non statim post creationem mundi, sed post exitum Israelitarum ex Aegypto, institutum fuisse asserebant: ideoque pro ceremoniali praecepto habuere. Contra *Walaeus*, *Andr. Riuetus* et *Amesius* hanc sententiam oppugnarunt atque reiecerunt. Vid. DANNH. *Colleg. Decal. ad Praecept. III.* Illam tamen sententiam resuscitauit ac defendit non ita pridem in *Anglia*, IO. SPENCERVS *de Legib. Hebr. Ritual. Lib. I, cap. 4, Sect. VII, seqq.* Anno 1647 *Gothofr. Hotton, de Christiana inter Europaeos Euangelicos Concordia*; siue Tolerantia in charitate stabilienda tractatum, Amstelodami publicauit, quem aliqui Syncretisticum interpretati sunt.

§. 21. In *Germania* interea bellis fessa, et latrociniis exhausta, post multas *Osnabrugae* et *Monasterii*, de rebus etiam sacris, disceptationes et Catholicorum tergiuersationes, tandem an. MDCXLIIX *Pax Osnabrugensis* coaluit. Qua Protestantibus Religionis libertas denuo asserta atque confirmata fuit. Vid. *Artic. V. Instrum. Pac.* PVFFENDORF. *Hist. Rer. Suecic. Lib. XIIX, XIX, XX*, et PFANNERI *Hist. dictae Pacis*. Aduersus hanc *Fabius Chisius*, nuntius Pontificis protestari ausus est; quod illa religioni Catholicae et Sedi Romanae praeiudicium adferret maximum.

HISTORIA SECVLI XVII

SECTIO IV.

HISTORIA A PACE OSNABRVGENSI AD ANNVM MDCLXXX.

§. 1

Pace igitur illa optata uix concluſa, *Innocentius X*, Papa, Bulla insolenti edita, eandem reddere irritam molitus est. Quam, quod mirandum est, ipse Caesar *Ferdinandus III* permisit, per nuntium Pontificis, *Viennae*, *Valuis* templorum publicis affigi. Sed hanc *Conringius*, sub nomine *Irenaei Eubuli*, *Theologi Austriaci*, *pro pace perpetua Protestantibus danda, consultatione Catholica* edita, *Dauid Blondellus*, ficto *Amandi Flauiani* nomine, et *Ioh. Hornbeckius in Examine Bullae* nominatae, perstrinxerunt et confutarunt. Antequam pax ista confecta esset, *Monasterii Iudicium Theologicum* personati cuiusdam *Ernesti de Eusebiis* prodierat; quo

quo autor ille contendebat, Pacem, qualem Proteſtantes deſiderarent, ſecundum ſe illicitam eſſe. Sed temerarium illud ac improbum iudicium, ex Pontificiis, *Abbas Caramuel*, ex Lutheranis *Ioh. Georgius Dorſcheus*, Argentoratenſis Theologus, et laudatus modo *Conringius* confutarunt. Ita plumbea iſthaec Bulla nullius pretii euiluit, cum pax dicta confirmata mox exſecutioni mandaretur.

§. 2. Quum autem in *Inſtrumento Pacis Weſtphalicae*, *art. VII*, *Reformati* eadem cum *Lutheranis* pace eccleſiaſtica, in poſterum frui deberent, atque *artic. V*, *n. 50*, prohibitum foret, illam publice, priuatimue, concionando, docendo, diſputando, ſcribendo uel conſulendo impugnare; quidam Theologi Reformatae doctrinae *Tolerantiam Eccleſiaſticam* (nam de ciuili dubium non amplius erat) ſuaſerunt. Et inter hos praecipuus fuit *D. Georgius Calixtus*. Vid. D. CALOVII *Hiſtor. Syncretiſmi Lib. III*, *c. 4*. Enimuero iſthaec ſententia ſub *Syncretiſmi* nomine, a Theologis Saxonicis, inprimis *Hülſemanno* et *Calouio*, nec non Argentoratenſibus *Dorſcheo* et *Dannhauero* uariis ſcriptis impugnata et confutata fuit. *D. Dreierus*, Profeſſor Regiomontanus, poſtea latius progreſſus, quicquid eſt Chriſtianorum in orbe, *Symbolum Apoſtolicum* profitentium, in *unionem eccleſiaſticam* recipere uoluit. Vid. CALOVII *Hiſtor. Sync. Lib. III*, *c. 7*. Memorabilem de hoc conciliandi ſtudio ſententiam glorioſiſſimi Regis Sueciae, *Guſtaui Adolphi*, D. ERICVS BENZELIVS *Breuiar. Hiſt. Eccl. 386.* annotauit. Cum enim illi ſuaderetur, ut trium Religionum magnarum in Europa conciliationem promoueret: *Vereor*, inquit, *ne dum tres illas componere laboramus*,

nouem aliae exsurgant. Confer HARTKNOCH. *Hist. Eccl. Pruss. Lib. II, c. 10.*

§. 3. *Iodocus Keddus*, Iesuita, publicato *libello*, Ecclesiae Lutheranae ueritatem in dubium uocauerat. Cuius Sophisticationes *Ioh. Musaeus*, Theologus Ienensis an. MDCLIV, confutauit. Tribus annis ante *Valerianus Magnus* Capucinus, *Ernesto* Landgrauio Hassiae persuaserat, ut sacra Pontificia amplecteretur et profiteretur. Ideo *Reinfelsae* inter *illum* an. MDCLI et *D. Petr. Haberkornium*, *Balth. Menzerum* et *Mich. Georg. Eberhardum Happelium*, colloquium habitum; cuius *acta Coloniae* anno 1652 excusa sunt. Vid. D. HABERKORNII *ueram et candidam Actionum illarum Rheinfelsensium Relationem Giessae* impressam. Confer etiam G. CALIXTI *Literas, et Responsum* ad *Ernestum*, Landgrauium, Helmstadii editum.

§. 4. *Innocentio* autem X, Papa, uiuis erepto, anno LV. *Fabius Chisius* Senensis, assumto *Alexandri VII* nomine successit. Qui antecessoris sui Bullam aduersus *Ianseniastas* confirmauit, et in *Waldenses* persecutionem crudelissimam excitauit. Vid. HEIDEGGERI *Hist. Papat. Period. VII, p. 264, seqq.* Bulla etiam edita, sub praetextu pacis Catholicorum Principum faciendae, eosdem aduersus Protestantes, inprimis Sueciae Regem, qui Poloniae bellum intulerat, accendit. Interea *Christina* Sueciae Regina, abdicato regno, et deserta religione Euangelica, pro qua asserenda, Pater eius glorioſissimus sanguinem fuderat suum, Romam uenit, atque assumto nomine *Christinae Mariae Alexandriae*, in sinum Ecclesiae Romanae recepta, nescio, quam uanissimam eo ipso gloriam affectauit, cum ante idolum Mariae Lauretanae in itinere uenerata esset, eique coronam hoc inscriptam carmine dedicasset:

Hanc

Hanc tibi sacrauit spretam Regina coronam,
In coelo tribuas ut meliore frui.

Ceterum iurauerat ille Pontifex, *quod Nepotes et proximos suos sanguine Romae excipere nunquam uelit*; at ex consilio Cardinalis *Pallauicini*, cum eosdem extra Romam exciperet atque postea ditaret; iuramentum non uiolatum esse, interpretabatur. Vid. HEIDEGG. *Hist. Papat. p. 432.* Interea temporis, dum Reformati cum Lutheranis concordiam ecclesiasticam, uariis libellis editis ambiunt, DANNHAVERVS anno 1658 eorum argumenta, libro, cui titulus, Reformirtes Salue, und Friedens-Gruß auf die Probe gestellt, euulgato examinauit.

§. 5. Per id tempus, in *Anglia* Secta, uel colluuies *Quackerorum* seu *Trementium* uel *Tremulorum* innotuit, qui seipsos uocarunt *Christianos Euangelicos, Apostolicos, Catholicos.* Autor eius praecipuus fuit *Georgius Foxus*, homo rudis. Historiam, quae prolixa est, nuper *Gerardus Croesius* praeco in pago Alblas prope Dordracum in *Historia Quackeriana*, tribus Libris descripsit. In quam *Dilucidationes* quidam *Philaletha* edidit. Illi Sectae addictus *Iacobus Naylor*, cui Bristollium ingredienti socii assumti acclamarunt: *Hosianna filio Danaids: benedictus, qui uenit in nomine Domini*; item, *Sanctus Iehoua exercituum.* Vid. CROESI *Lib. I, p. 159, seqq.* Sectam hanc insanientem *Cromwellus* fouit; placita uero eius *Georgius Keithius* et *Robertus Barclaius*, scriptis publicis defenderunt. Quae ex nostris Theologis *Io. Guil. Baierus* inprimis, erudite confutauit.

§. 6. Dum in *Anglia* Quackerorum secta delirat, *Alexander VII*, Papa, *Missale Romanum*, Gallico idiomate editum improbat atque perstringit; quod in regno

Galliae *perditiores quidam filii Sacro-Sancti ritus maiestatem Latinis uocibus comprehensam deiicere et proterere, ac sacrorum mysteriorum dignitatem uulgo exponere temerario conatu tentassent.* Eodem anno MDCLXI, *Iesuitae* in Collegio Claromontano *Papae infallibilitatem* non in *quaestionibus iuris* tantum, sed *facti* etiam defendere ausi sunt. Quam haeresin *Sorboniſtae* et *curia Parisiensis* reprobarunt, eoque paruam apud Pontificem gratiam inierunt. Vid. HEIDEGGERI *Hist. Papal. Period. VII, p. 279, seq.* Eo tempore *Alexander*, Papa, in gratiam Gallorum, *Franciscum de Sales*, Episcopum Gebennensem, in numerum diuorum relaturus, Lutetia legatum ad se mitti postulauit. Missus ergo a Rege Dux *Crequius*, qui cum a Corsis, seu milite Pontificis praetoriano, ignominiose esset lacessitus; iniuriam Rex armis uindicare illatam legato, statim parauit. Sed intercedente duce Florentino, biennio post, non sine sua ignominia Pontifex deprecando culpam, illi reconciliatus fuit. Interea is *Bulla* edita, certam formulam praescripsit, cui Ecclesiastici omnes subscribentes, posthac ad eiurandos Ianseniſtarum errores semet obstrinxere. Publicauit etiam *Indicem Librorum prohibitorum*, in quo nec Bullis quibusdam Pontificis, nec celeberrimis scriptoribus Romanensibus pepercit. Vid. HEIDEG. *Hist. cit. p. 454.* Per id tempus *Iacobus Masenius*, Iesuita, *Meditatam Concordiam* edidit, qua Protestantibus insidiose fidem Romanam persuadere sategit, cuius fundamenta *Ioh. Musaeus* subruit. Inde *Nouam Praxin, orthodoxam fidem discernendi et amplectendi* publicauit, quam *Sam. Bened. Carpzouius* sub examen reuocauit atque refutauit. Vid. eiusdem *Examen Nou.* dictae *Prax.* Wittebergae anno 1675 euulgatum.

§. 7.

§. 7. In *Germania* adhuc dissidio de *Syncretismo* feruente, *Cassellis* Landgrauius Hassiae, an. MDCLXI mense Iulio Rintelenses Theologos, *D. Ioh. Henichium*, *Petrum Musaeum* ad *colloquium* cum *D. Sebast. Curtio*, *Iac. Heinio* Reformatis, de concordia inter partes dissidentes incunda conuocauit. Quae cum inita fuisset, *Relatio de ista et Wittebergensium Theologorum Iudicium* prodierunt. Vid. CALOVII *Hist. Syncret. Lib. III, cap. 6, pag. 609, seqq. Ioh. Duraeus* Britannus, hoc anno *Prodromum Irenicorum* euulgauit, quo inter Protestantes concordiam promouere molitus est. Enimuero *Dannhauerus* et *Bebelius* eiusdem consilia reiecere, cum ante *Hulsemannus* etiam uiri hypotheses confutasset. Vid. GEORG. RICHTER. *Epist. Select. pag. 495*, et KEMPII *Biblioth. Angl. Theolog. pag. 429*, et conf. HVLSEM. *Caluinism. Irrecon.* Interea temporis in *Marchia Brandenburgica*, et *Regiomonti* in Borussia autore *Dreiero*, et *Helmstadii*, incentore Fr. *Vlrico Calixto*, *Georgii* filio, controuersiae *Syncretisticae*, ut uocantur, gliscebant. Dux autem Neoburgicus Protestantes per ditionem Iuliacensem crebris iniuriis uexabat. Vnde Elector Brandenburgicus Capucinos Cliuis excedere, talionis imicem iure iussit, non prius recipiendos, quam Euangelicorum querelis per Neoburgici ditionem medicina allata foret. Vid. PVFFENDORFII *Hist. Rerum Brandeb. Lib. IX, §. 71.* In Borussia *Christophorus Sandius*, Secretarius, *Arianismi* haeresin spargere coeperat. Cuius filius *ἀνώνυμος* deinde apud Batauos, edito, ut uocat, *Nucleo Hist. Ecclesiasticae* idem doctrinae uirus disseminauit. Vid. *Bibliothec. Anti-Trinitariorum*, et HARTKNOCHII *Hist. Eccles. Boruss. Lib. II, cap. 11.* Sueci etiam circa sacra Reformatorum anno MDCLXIII, Electorem Brandenburgicum

gicum monuerant. Quae autem Elector ad ea respondit, apud PVFFEND. *Lib. IX Hist. Brandenburg. §. 67*, legere est.

§. 8. In *Anglia Eduardus* Baro *Herbert de Cherbury*, Librum *de Religione Gentilium eorumque apud eos causis*, compositurat, qui Amstelodami anno 1688 excusa fuit. In eo *cap. XV et XVI* Religionem naturalem homini posse salutarem esse, affirmat. Cuius improbam sententiam plures amplexi, *Naturalistae* appellantur. Sed istam *D. Ioh. Musaeus*, Ienae publicata dissertatione confutauit. Huic duos blasphemos atheos, quos impostores merito uocat, *Thomam Hobbesium* et *Benedictum Spinosam*, KORTHOLDVS iungit in Libro *de Tribus Impostoribus Magnis* anno 1680 Kiloni euulgato. Vterque enim horum diuinae Scripturae auctoritatem ac Christianae Religionis fundamenta subruere molitus est. SPANHEMIVS illos cum adfectatoribus suis, *Antiscripturariis* accenset. Conf. KORTHOLDI *Hist. Eccl. Secul. XVII, p. 906, seqq.*

§. 9. In Gallia *Sorbonistae* in *Iacobi Vernantis* propositiones, ceu Pontificiae potestati nimium uelificantes, calamum stringebant. Erat inter illas, *quod Papa sit uera fidei regula*; item, quod *Ecclesiae Romanae Oracula terminent infallibiliter omnes controuersias, quae oriantur in Ecclesia, etc.* Vid. HEIDEG. *Hist. Pap. p. 445.* Anno insequenti MDCLXV Iesuitarum *Theologiam Moralem* et monstrosum *de Probabilismo* dogma, in Censuram Sorbona uocauit. Nam *Amadeus Guimenius*, Lomarensis illa noua doctrinae pestilentissimae scita, qua omnia scelera excusari possunt, defendere publice ausus erat. Vid. HEIDEG. *Hist. cit. p. 446, seqq.* et MONTALTII *Literas Prouinc.* cum RACHELII *Exam. Probabil.* Helmstadii an. 1664 editas.

§. 10.

§. 10. *Iudaeos* an. MDCLXVI nouus impostor, *Sabatai Seui* dictus, qui pro Messia sese uendirauit, in Oriente decepit. Sed cum aliquamdiu illis, ad ipsum ex Asia confluentibus illusisset, Turcaeque sibi a rebellione futura metuerent, quod iste terram sanctam reposceret, in custodiam datus, metu supplicii religione eiurata Mohammedanam superstitionem amplexus est. Vid. *Tom. III, d' histoire des trois derniers Empereurs des Turcs par Ranaut p. 169, seqq.*

§. 11. Circa id tempus, in Ecclesia Romana inter Pontificios doctores, *Pallauicinum*, *Suauem Polanum* et *Iulium Clementem Scotum*, noua lis orta est; *an Ecclesia Romana post Tridentinum Concilium, in peius deflexerit, nec ne?* Affirmauerat id *Iulius Clemens* Italus, negauit *Pallauicinus*, ille Historiae Concil. Trident. corruptae autor. Vid. HEIDEGG. *Hist. pag. 456, seqq.* Disputatum etiam fuit inter *Iesuitas* et *Ianseniastas: num illa attritio, quae concipitur ex metu Gehennae, excludens uoluntatem peccandi, cum spe ueniae, ad impetrandam gratiam in sacramento poenitentiae, requirat insuper actum dilectionis DEI?* Vid. HEIDEGG. *Hist. pag. 472, seqq.*

§. 12. In Belgio foederato *Renatus des Cartes*, autor nouae philosophiae, quae ab illo *Cartesiana* appellatur, ansam controuersiis theologicis praebuit. Nam etsi ipse Theologiam non attigisset, quia tamen hypotheses fouit, quae Christianae religioni aduersari uidebantur; ut: dubitandum esse de omnibus rebus, etiam de existentia DEI, antequam quid certi statuatur; de ideis innatis; de sensu brutis negato; de motu terrae, et solis immobilitate; item Scripturam S. saepe de rebus naturalibus, secundum opinionem uulgi, uel apparentiam loqui, et quae similia eius placita fuerunt,

Theo-

Theologi quidam eius philosophiam Christianae religioni noxiam pronunciarunt: alii uero defenderunt. Vnde *Carteſianiſmus* Sectae nomen factum eſt. Acceſſit poſtea *D. Ioh. Cocceii*, Theologi Leidenſis, doctrina multis improbata. Nam ille nouas in diuinis ſcripturis interpretandis hypotheſes aſſumſerat, totumque Vet. Teſtamentum et Eccleſiam Iudaicam eſſe ſpeculum et rypum, in quo prophetia exhibeatur faciei Eccleſiae in Nou. Teſt. In Vet. Teſtamento fuiſſe tempus ſitis; in Nouo eſſe tempus ſatietatis docens. Inde ſtatum in Vet. et Nou. Teſtam. iuxta delineationem propheticam, in certas periodos diſtinxit. Vid. VAL. ALBERTI *Diſſert. de Carteſianiſmo et Cocceianiſmo*, SPANHEMII *Epiſt. ad amicos de nouiſſimis in Belgio circa res ſacras diſſidiis anno 1677* publicatam, et ANTONII HVLSII *Theologiam Hypothetic.* In Academia tamen *Leidenſi*, an. MDCLXXV eius curatores, propoſitiones XX Carteſianas tradere, prohibuerunt. At illas D. ABRAHAMVS HEIDANVS in *conſideratione ad res quasdam nuper geſtas in Academia Lugduno-Batana*, et D. CHRISTOPHORVS WITTICHIVS in publicata *Theologia pacifica* defenderunt. Non diſſimile litigium de Carteſiana doctrina in *Vpſalienſi* Academia poſtea inter Theologos et Philoſophos ortum, autoritate Regis Sueciae mox compoſitum fuit. *Cocceianis*, qui uocantur, ſeſe plures oppoſuere; inprimis, quod minorem fidei gradum fidelibus Vet. Teſtamenti, quam in Nouo tribuerent; cum *Cocceius* etiam diuerſum Iuſtificationis modum in V. et N. Teſtamento tradidiſſet.

§. 13. In *Orientali* Eccleſia MDCLXXII, menſe Martio, *Hieroſolymis* Patriarcha *Doſitheus* Synodum celebrauit: Quae *Orthodoxam Confeſſionem Catholicae*

atque

atque Apostolicae Ecclesiae Orientalis, a Laurentio Normanno, Professore Regio Vpsalienſi, Latine redditam, et Lipsiae impressam amplexa est. Vid. *Praefat. Confessionis laudati* NORMANNI, et THOMAE ITTIGII *Dissert. V. Heptad. Dissert. Select. pag. 412. seqq.*

§. 14. *Iohannes de Labadie*, Gallus, ex Iesuita Ecclesiastes Reformatus factus, primum *Genevae* docuit, deinde anno circiter MDCLXXII ad Batauos transiens, Reformatam doctrinam quidem professus est; sed ob uitam morumque Christianorum corruptelam, a communione Reformatorum secessionem fecit, collectoque coetu ex foeminis magis, quam uiris constante, sacra sua seorsim primo in *Belgio*, deinde *Herfordiae*, ac tandem *Altonae* celebrare coepit. Hunc Schismaticum, *Anna Maria Schurmannia*, uirgo illa ob eruditionem celeberrima, *Petrus Yuon*, *Petrus du Lignon*, et *Henricus et Petrus Slüterus* aliique sequebantur. Vid. NIPANII *Mataeologiam Labadianam.*

§. 15. Hoc tempore, controuersia de *polygamia simultanea*, per *Theophilum Alethaeum*, (sub quo nomine quendam *Lyserum* latuisse creditur) resuscitata fuit. Quam praeter alios IO. MVSAEVS *in Dissert. Theolog.* de hoc argumento anno 1645 Ienae publicata confutauit. Conf. *Theses* eiusdem *Theologic. de Coniugio. Vitus Ebermannus*, Professor Herbipolensis, per id tempus, laudatum *Musaeum*, ad disputationem de *Vera et Falsa Ecclesia* prouocauerat, quem ille in *Tractatu de Ecclesia* accurate confutauit. Et cum *Augustinus Gibbon de Burgo in Tract. de Luthero-Caluinismo Schismatico quidem, sed reconciliabili*, Schismatis culpam friuole in Protestantes contulisset, *Musaeus* etiam huius naenias, laudato iam tractatu, simul excussit.

§. 16.

§. 16. In Hungaria *Georgius Barzon*, Episcopus Varadinensis titularis, an. MDCLXXI, liberum religionis exercitium, a Regibus Hungariae, Euangelicis in isthoc regno, certis pactis concessum, libro euulgato, impugnare primum coepit. Inde Euangelici a Iesuitis in suspicionem perduellionis, cuius Catholici Comites *Franciscus Nadasti*, *Petrus Serini*, et *Franciscus Christophorus Frangipani*, rei fuerant, pertracti, horum culpam simul luere innocentes necessum habuere. Nam libertas sacrorum ipsis erepta, sacerdotes, magistri scholarum in exilium electi, nonnulli in carceribus diris modis habiti, animam exhalarunt, nonnulli etiam ad triremes damnati. Persecutionis huius diriratem HEIDEGGERVS *Hist. Per. P. II*, §. 302, *seqq.* describit.

§. 17. In Belgio an. MDCLXXIII, prodierunt *Monita salutaria B. V. Mariae ad cultores suos indiscretos*, adprobatione censoris ordinarii *Iob. Gillemanni*, Ecclesiae Cathedral. Gandauensis Achipresbyteri, et postea *P. de Waldenburch* Episcopi Mysiensis munita. In his *S. Maria* multos Mariolatriae modos improbat. Verum aliquibus animaduertentibus, id in rem suam uersuros esse Protestantes, mox in herba uelut ista monita suppressa sunt. Interea anno MDCLXXVI *Clemens X*, Papa, uiuere desierat. Cuius in locum *Benedicto Odescalci*, nomine *Innocentii XI* assumto, surrogatus fuit. Qui honestioris disciplinae amans, multos in curia Romana abusus abrogauit; et cum Cameram Apostolicam pecuniis exhaustam deprehendisset, ad familiares suos dixisse fertur; *nunquam se credidisse, S. Petri uineam tantopere denastatam esse.*

§. 18. Per id tempus a *Christophoro Sandio*, et quodam *anonymo* scriptore resuscitatus etiam fuerat uetus *Origenistarum* de *Praeexistentia Animarum humanarum* error

hat in einem eigenen Breve den Konzilsmod
für einen katholischen Glaubensartikel erklärt.
Im Konzil aber selbst mußte man den Schwindel als
das damals überspannte Geist der Lüge u. Bosheit
zu sein.

error, quem IAC. THOMASIVS, *peculiari oratione* edita, et BALTH. BEBELIVS an. 1675 *Exercitatione theologica* publicata, confutarunt.

§. 19. In *Gallia* inter Reformatos de *conuersionis gratia* dissensus, autore *Claudio Paiono*, Aurelianensium Ecclesiaste (unde *Paionismi* nomen) exortus, ipsos collisit. Nam Paionus arbitratus est, Spiritum S. quicquid ageret in cordibus hominum, id agere mediante lumine et ui rationis, per morales suasiones, quarum efficacia a ratiociniis humanae mentis dependeret. Interea sufficere, concupiscentias imminui affectus sedari, deponi praeiudicia, depellique ab intellectus oculo quasdam nebulas, quas male iudicandi et cogitandi consuetudo obduxerat; concurrente tamen DEO, ut causa prima est, et quidem iuxta generale decretum, an particulare, de ciendis creaturis; iuxta ordinem semel in uniuerso positum, ac pro conditione earundem in iis, quibus innectantur, circumstantiis. Ita *Paionismum* MELCH. LEYDECKERVS *in Praef. Veritatis Euangelic. Triumphantis num. XXIX* describit, inque eo Pelagianismum latere arguit. Conf. D. IVRII *Tractat. de Natur. et Gratia pag. 26, 27, 243.* Sed SPANHEMIVS *in Elencho Selectior. de Religion. Controuers. pag. 285, seqq.* de Paionismo, quem euoluit, mitius sentit.

§. 20. *Rochas*, Episcopus Hispanicus, de Saxonicorum Theologorum contumeliosis dictis in Catholicos, multa in aula Brandenburgica a. MDCLXXVI conquestus est, inprimis quod illorum non nemo, scripto nuper edito tradidisset: *inter rudimenta doctrinae Catholicae extare, scortationem non esse peccatum.* Quae cum nonnisi animis irritandis eorum, qui in una republ. uiuunt, inseruiant, expedire, ut ista fingendi licen-

tia cohibeatur, monuit. Vnde et formulam obtulit, iuxta quam abolitis litigiorum inutilibus, concordia circa sacra, in Germania stabiliri possit. Sed Electori Brandenburgico haut placebat, cum isto in disceptationem descendere, qui tantae rei parum idoneus autor uidebatur, et cuius institutum eo tantum tendebat, ut astutiam istorum hominum haut capientibus illuderet; cum Protestantibus summa rerum non possit non labascere, si cum Pontifice tractatus suscipi posse credant; qui utique irriti sint cum eo, cuius rationes aduersa fronte cum nostris pugnent, iudicante PVFFENDORFIO *Rer. Brandenb. Hist. Lib. XIV, §. 20.*

§. 21. In Belgio foederato *Iohannes Rothius*, Amstelaedamensis, fanatico spiritu abreptus quintam Monarchiam an. MDCLXXIV a Christo in terris inchoandam somniauit. Huius placita *Quirinus Kuhlmannus*, Vratislauiensis, amplexus non tantum *Iacobi Boehmii* doctrinam, libro euulgato (der neubegeisterte Böhme) incrustauit; sed et, ut quintum illud regnum uniuersale, a *Rothio* praedictum, Turcis et Russis innotesceret, Constantinopolin et postea Moscouiam profectus est: ubi assumtis sociis uelut Apostolis, cum de hac noua Monarchia praedicare instituisset, suasu Patriarchae Moscouici primum carcere, postea uero cauea ferrea iucluſus anno MDCXC ibi combustus fuit.

PERIO-

PERIODI V
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
SECTIO V ET VLTIMA
QVAE EST AB ANNO MDCLXXX AD SEQVENTEM

§. 1

In huius *Sectionis* primordia, triſtia inprimis Proteſtantium fata in *Gallia* et *Anglia* incidunt, paucis hic attingenda.

§. 2. Nimirum diu eſt, quod *Loiolitarum* cohors in παναλεθρίαν Reformatae ſeu *Hugonoticae* doctrinae in Gallia diffuſae coniurauerat; brachium, ut uocant, ſeculare, quo diriſſima deſtinata exſequi poſſet, hactenus tantum defuerat. Id uero Rex *Ludouicus XIV*, qui a Ieſuita *P. Chaiſio* (quod ſacra quidem attinet) regitur, inauditae crudelitatis modo, ſtimulante Archiepiſcopo Pariſienſi praeſtitit. Antequam uero iſtam in conſcientias Hugonotorum tyrannidem exſereret, contentio illi grauis cum Pontifice Rom. *Innocentio XI*, de *Iure Regaliae* interceſſit; quod ut illius, Rex ipſe uacantibus Epiſcopatibus, ad inueſtituram usque nouorum Epiſcoporum, reditus epiſcopales et collationem praebendarum ſibi uindicaret. Ius hoc regium, *Petrus de Marca*, Archiepiſcopus Pariſienſis in libro de *Concordia Sacerdotii et Imperii*, et alii in gratiam Regis defenderant. Pondus uero huic defenſioni maximum Clerus Gallicanus an. MDCLXXXI Pariſiis congregatus addidit, quando unanimi conſenſu id Iuris Regi, tam praeclare ſcilicet de Eccleſia Romana merito, competere declarauit, literisque ad Pontificem d. 3 Februar.

anno MDCLXXXII exaratis publice significauit. Ad quas Pontifex acerbe respondit, conquestus ante omnia, *cogi se multis cum lachrymis usurpare Propheticum illud: Filii matris meae pugnarunt aduersus me.* At congregatio Cleri magis adhuc aegre facere Pontifici ausa est anno insequenti; cum unanimi iterum consensu Pontificis Rom. imperium in Reges praetensum aboleret; in spiritualibus uero eiusdem potestatem per *quatuor publicatas definitiones* coarctaret. Quarum PRIMA est: *Quod Papa, imo Ecclesia ipsa in Regum temporaria, nec directe, nec indirecte, potestatem ullam habeat: quodque Rex deponi, uel subditi eius a iuramento fidelitatis, quamcunque demum ob causam, absolui nequeant.* SECVNDA: *Quod Concilium generale sit supra Papam, idque ui doctrinae, quam Constantiense Concilium quarta et quinta Sessione confirmauit: sicut congregatio praesens declarat, quod doctrina isthaec ab Ecclesia plenam efficaciam et adprobationem nacta sit; ex aduerso autem opinionem eorum, qui pertendunt, id quod in citatis Sessionibus concluſum est, eo duntaxat tempore, quo schismata innalescunt, obtineat, plane improbet.* TERTIA: *Quod exercitium potestatis Pontificiae limitandum et restringendum sit iuxta Canones; quodque Papa nihil in praeiudicium antiquarum consuetudinum, nec non libertatum Ecclesiae Gallicanae ualeat.* QVARTA: *Quod in rebus quidem fidei Papa praecipuam autoritatem habeat; nihilominus eius decisiones sine consensu Ecclesiae certae et infallibiles non sint.* Has *definitiones* Rex edicto solenni muniuit, cum curia eiusdem suprema illas quoque confirmasset. Papa autem lectis iisdem, amare fleuit. Deprehendit quippe, *Ecclesiam Gallicanam* aperte schisma moliri. Recreatus tamen nonnihil fuit, quod easdem in Hispaniae

Acade-

Academiis oppugnari intellexisset. Placuit etiam illi, quod postea Abbas San-Gallensis *Coelestinus Sfondrata* in libro *Gallia uindicata* inscripto, Ius Regaliae a Gallo assertum erudite confutasset. Ceterum ad Reformatorum oppressionem in Gallia, multum contulit Episcopi Condomensis *Dn. de Meaux* liber, subdole sub *Expositionis Doctrinae Catholicae* titulo iam an. 1671 publicatus, et deinde fraudulenter interpolatus ac recusus, ut Reformatis imponeretur, Romanensia ab illorum sacris, paucis in partibus distare. Quas fraudes FR. SPANHEMIVS *in Epistola* animaduertit atque detexit. Et cum iste liber etiam an. 1685 in Anglicum idioma translatus esset, doctissimus D. STILLINGFLET eundem excussit, et de eius fraudibus Anglos praemonuit. Vid. HENR. LVDOLPHI BENTHEMII Englischen Kirch- und Schulen-Staat, *cap. XXVII, §. LXVI.*

§. 3. Interea uero, ne Clerus Gallicanus solum Pontificem, instinctu Regis uexare, aut ab Ecclesia Romana, schisma moliri uideretur; constituto transactoque *Regaliae* negotio, in curam, quod Rex uolebat, extirpandae religionis in uniuerso eius regno Reformatae incubuit. Ideo in *encyclicis* suis *literis* ad uniuersos Galliae Episcopos, congregatio ista consilium exitiale non celauit: *Operae pretium esse*, aiunt; *existimauimus, haeresin Caluinianam statim aggredi, eamque arcem schismatis potiorem, et inprimis ualidam impugnare.* Allegant praeterea ipsius Pontificis Romani et Regis sui autoritatem, dissidiumque cum Pontifice excusant, ac charitatem in Hugonotos prae se ferentes, eosdem ad unionem cum sua ecclesia inuitant prius. Verum cum illi conscientiae libertatem, tot Regum

pactis, et inprimis *edicto Nannetico* confirmatam submisse peterent; illud a Rege abolitum fuit, omnique saeuitia in tota Gallia in Protestantes saeuitum est, denegato etiam pressis emigrandi iure, templis, scholis euersis, immissi dimachi, qui uexarent tamdiu homines, dum ad Missae sacrum uel inuiti se conferrent, aut raperentur. Multi ad triremes damnati, multi excarnificati animas exhalarunt miseras. Multi etiam non sine uitae periculo, in *Angliam*, *Batauiam*, *Daniam*, et *Germaniam* euaserunt, religionis libertatem incommodis exilii praeferentes. Longa est calamitatis huius historia, quae multis libris descripta prostat. Non satis uero Regi erat in proprios ciues fideles saeuiisse; sed etiam *Subaudiae* ducem *Victorem Amadaeum* uelut coëgit, ut igne ferroque ac fame *Waldenses* affligeret, eosque exstirparet: ne contagio scilicet haeresis inde iterum in Galliam serperet. Paucis: ea in Gallia aduersus Protestantes ac Hugonotos patrata sunt, quae inter furores gentilium Caesarum olim inaudita fuerunt.

§. 4. Dum in *Gallia* haec tyrannis in Hugonotos grassatur, in Germania *Spinola*, Comes et Episcopus de Thiena, Primas Croatiae, et postea Episcopus Viennensis, per Principum Protestantium in Germania aulas peragrat, ac nomine Caesaris Papaeque, illos ad Concordiam cum Ecclesia Romana ineundam sollicitat. Plerisque autem uiri consilia uel suspecta, uel inania uidebantur; nisi quod in aula N. adplausum inuenirent. Vbi certa super compositione inter Protestantes et Pontificios formula, a duobus Theologis non ignotis concepta fuit. Quam solide excussit PVFFENDORFIVS in libro posthumo de *Feciali diuino*, siue de *Consensu et Dissensu Protestantium §. 13, seqq.* Vbi prudentiores

riores admiratio subiit, cur Spinola tantopere Pontificiorum pacis et concordiae ecclesiasticae studium praedicare apud Protestantes ausus sit; cum interim in Hungaria *Collonitschius*, acerbissimus Protestantium hostis, Euangelicos persecutione premeret; et *Neussae* in Silesia liber in lucem prodiisset, quo inter multa terrica, Gallorum crudelissimae persecutiones, magna cum impudentia adprobarentur, ac ad plenam Euangelicorum exstirpationem consilia suggererentur. Imo Elector Brandenburgicus Caesareis ministris exprobrauit, quod patronos se et aduocatos Gallicarum persecutionum ferrent, apud laudatum PVFFENDORF. *Rerum Brandenburg. Hist. Lib. XIX, §. 55.* Taceo, quod *Collonitschius*, Episcopus tunc Neostadiensis, librum, sub titulo, *Augustana et Anti-Augustana Confessio*, publicarit, quo Lutherani apostasiae ab Aug. Confessione impudenter postulantur. Sed hunc iussu Electoris Saxoniae, an. 1684 *D. Alberti* confutauit.

§. 5. Dum Galliae Rex ita in Hugonotos saeuit, *Belgae uniti* in Romano-Catholicos duriora statuere, ac monachos in *Zelandia* et *Frisia* expellere non dubitarunt. Et cum talia Catholicorum Principum ministri improbarent, ipsisque exprobrarent, respondebatur: compertum sibi, missionarios, ac peculiari uoto obstrictos Iesuitas atque monachos exteros esse nullo in hanc Rempublicam affectu; a suis coenobiis et superioribus dependere, quibus annuatim ingentes pecuniae summas in fraudem harum prouinciarum mittant; qui et ad res nouas procliues sunt. Idque citra ultionis studium ac persecutionem, nec in talionis uicem fieri, quod Catholici in Belgio laicis sacerdotibus indigenis uti queant, eoque monachis a uoto obstrictis opus non habeant. Quin ipsos Sacerdotes Catholicos indi-

genas petere, ut Iesuitae et alii amoueantur. Vid. PVFFEND. *Hist. Brandeb. Lib. XIX, §. 55.* Hoc tempore *P. Marcus de Aviano*, Venetus monachus in Germania famam miraculorum a se in Belgio Hispanico et Bauaria patratorum excitauit. Inde cum Viennam uenisset, cum exercitu Caesaris Budam obsessuro, in Hungariam abiit. Verum nec in obsessione, nec expugnatione urbis dictae, miraculum facere ullum ualuit.

§. 6. In hoc turbatiori Religionis in *Hungaria*, *Gallia* et *Anglia*, statu, anno MDCLXXXVI noua, quae dicebatur, *Quietistarum* Secta in Italia emersit. Cuius autor fuit *Michael de Molinos*, sacerdos, genre Hispanus, in Theologia mystica non leuiter uersatus. Is in *Manuductione sua Spirituali*, adsecIis suis *quietem animi* ab aeternis rebus abducti et sanctis contemplationibus contenti promisit. Huius institutum cum emanaret, statim Inquisitores illum ad tribunal suum cum sociis rapuerunt, eumque carceri manciparunt, atque in Quietistas animaduerterunt; metuentes suam religionem, quae fere in ceremoniis est, hoc nouo et abdito cultu euerti posse. Vid. AVGVST. HERMANNI FRANCKII *Manuductionem Spiritual. Molinosii*, ex Italico sermone ab ipso Latine redditam, et BVRNETI *Hist. de Quietismo.*

§. 7. In *Anglia* Regi *Carolo II*, fataliter anno MDCLXXXV sublato, frater *Iacobus II* successit. Qui, Pontificiae quippe religioni addictissimus, ut ob coniurationem Iesuitarum in Regis Caroli uitam, iam anno MDCLXXIIX detectam, permultis erat suspectus; ita *Monmuthio* regni proco capto, securique percusso, instinctu inprimis Iesuitae *Petersenii*, omnes curas in hoc figebat, ut multa, si non omnia, quae Maiores eius et Parlamenta fecerant decreta, de tuenda religione-

ne-

ne Reformata, refigerentur; inprimis ut lex antiquaretur, quae lata erat de iurejurando, quo ciues obstringebantur in nomen et uerba regis, tam in iis, quae ad regni gubernationem, quam in iis, quae ad sacra constituenda pertinent, eiurata omni potestate, quam aut Pontifex Rom. aut ullus mortalium sibi uindicauit, aut uindicare uellet de sacris aliquid sanciendi aut constituendi. Quo autem haec sacerrimorum consultorum destinata spectarint, mox adparuit; cum Rex Reformatis iure priuilegiisque exutis, Pontificios in munerum publicorum collatione praeferret, Iesuitas foueret, ciuibus Romanos ritus obtrudere satageret, atque cum Gallo, cui clandestino foedere innexus erat, de exstirpanda religione Reformata, consilia agitaret feralia. Quae nisi DEVS euertisset, de conscientiarum libertate etiam in Anglia actum fuisset. Vid. PVFFEND. *Hist. Brand. Lib. XIX*, et HENR. LVDOLPHI BENTHEMII *Librum* vom Engländischen Kirch- und Schulen Staat, *cap. XXVII*, quo hanc reuolutionem in Anglia luculenter describit.

§. 8. Nunc ad nouiores in' ipsa *Protestantium Ecclesia* intra decennium subortas controuersias, quarum multae sunt, enarrandas progrederer; nisi glisscente adulatione et feruente partium studio, homini etiam incorruptam fidem professo, obtrectationis aut adulationis crimina uerenda essent. Nam *C. Tacito* dicente, rara temporum felicitas, ubi sentire quae uelis, et quae sentias, sine amore et odio, quorum causas historicus procul semper habere debet, scribere liceat. Relinquenda ergo illa opera posteritati, quae non amplius inter infensos et obnoxios agit, ac libidine assentandi, aut aduersus dissentientes odio uacare censetur.

tur. DEVS interim, cui ecclesia uera semper curae est, omnibus ueritatis coelestis amorem inspiret, motus animorum dissidentium componat, publicos omnes ueritatis hostes ac inimicos pacis ab aris suis ac templis longe arceat, iisque meliorem mentem donet: ut Nominis eius sanctissimi gloria in terris uigeat, ac in coelis aeternum celebretur!

M. DE CLAVDE (CLAVDII) IVDICIVM DE PATRIBVS GRAECIS ET LATINIS ANTIQVIS EX OPERIBVS EIVS POSTHVMIS

TOM. V EPIST. XIX EXCERPTVM

Inter *PATRES GRAECOS* illi, quorum lectio grata magis uidetur et maioris momenti, sunt, *Iustinus Martyr*, *Origenes*, *Eusebius*, *Chrysostomus*, *Basilius*, *Gregorius Nazianzenus et Theodoretus*. Vtile quoque est *S. Epiphanium de haeresibus* legere. Quod *Cyrillum Alexandrinum* attinet, est ille scriptor durus, qui prima fronte quidem insignis uidetur esse Theologus, et tamen nil nisi male digestas et ualde uulgares cogitationes profert. *S. Irenaeus* non est autor ualde gratus propter ariditatem materiae et subtilissimas ineptias, quas impugnat. *Gregorius Nyssenus* scriptor est fere, ut *Cyrillus Alexandrinus*. *S. Athanasius* ui praeditus est et iudicio, sed habet nescio quid tristis et fastidiosi

ſtidioſi in ſtilo. *Cyrillus Hieroſolymitanus* autor eſt facilis et perſpicuus, ſed nimis ſuperficialiter res, de quibus agit, tractat, ut nihil ferme ibi reperiatur. Quoad reliquos, de quibus locutus ſum, et quos lectu utiles ualde gratosque credo, quam grati etiam ſint et utiles, uitiis tamen ſuis non carent, iisque maximi momenti. *Iuſtinus Martyr*, autor et elegans ualde et iudicio pollens, ſed uix temperare nobis poſſumus, quin eum haereſeos accuſemus, ſi *Dialogum* eius contra *Tryphonem* parua ſaltem cum attentione legimus. *Origenes* ſcriptor uenuſtus eſt, imaginatione abundat et amoenum agit oratorem; ſed uti rebus elegantioribus, ita quoque miſeris deliramentis abundat, et ualde quis decipietur, qui *Origenem* pro norma ratiocinandi ſequi uellet. *Euſebius* re uera uir magnus eſt, curioſus, eruditus, iudicio exacto pollens. Primus eſt *Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum*, qui bonas multas et elegantes res docuit. Sed hoc non impedit, quo minus et multae nugae in eo occurrant, quibus homo iudicio praeditus, qualis eſt *Euſebius*, nequaquam ſe onerare debebat. Infectus fuit errore *Arii*, homoque morum aulicorum, quique encomia *Conſtantini* ueneno infecit. *S. Chryſoſtomus*, uti tibi notum eſt, excellentiſſimus omnium praeconum ſuae aetatis fuit. Eleganter cogitat, grate ſcribit, perſpicue et fluide. Scripta eius nil niſi pietatem ſpirant, non niſi ſcripturae ſe adſtringit, nec philoſophando de dictis rebus multum temporis conſumit, ſed ſenſum literalem ſimpliciter explicat. Fatendum tamen quoque eſt, quod aridus admodum ſit in explicationibus ſuis, quodque in myſteria religionis non alte penetret. Theologus eſt ſuperficialis ualde, et orator haud raro nimis in figuris occupatus. Tandem ingens eſt defenſor liberi arbitrii, et ad minimum

nimum Semi-Pelagianus. *S. Basilius* lectu gratus simul et utilis est. Loquitur bene, naturaliter et neruose, cogitata eius iudicium spirant. Theologia eius solida claraque est, et uno uerbo, ex omnibus Graecis Patribus ille, ut credo, praestantissimus et purissimus est. Recordor quoque, me idem iudicium de eo, a b. *Dallaeo* audiuisse, qui sine dubio tantum intelligebat de his rebus, quantum quiuis seculo nostro. *Gregorius Nazianzenus* pulchra multa et sublimia continet, sed numerum et uerborum periodos anxie nimis obseruat, et nihil loqui uidetur, quam oracula, quod certe pessimum effectum habet: nam opera non amplius ut fructus naturae intuemur, sed ut elaborationes rhetoricas, ubi labor et nimia cura elucet. Talis non est *Theodoretus*, qui simplicitate et humanitate potius praedicauit. Bene ratiocinatur, res accurate, uti in se sunt, enarrat, et quamuis eius *Commentarii in Scripturam* non magni momenti sint, aliaque in Operibus suis habeat, quae fauere uidentur inuocationi Sanctorum; magni tamen eum aestimare non desino, eo magis quia uerosimile est, ipsum *Historiam religiosam* et Librum *de Curandis Graecorum Affectibus*, ubi loca illa, quae inuocationi Sanctorum fauent, inueniuntur, mutata esse in ultimis demum seculis.

Quod *PATRES LATINOS* attinet, primo *Tertullianum* habes, Scriptorem magnum et subtilem, admirabili methodo cogitandi et ratiocinandi praeditum, sed dure se exprimentem. Austerus est, et asper et semper pungens, praeoccupatus ualde disciplina *Montani*, uti tibi notum est. Lectu tamen gratus est, multaque exinde possunt addisci. *S. Cyprianus* dulcis scriptor fuit, stylo perspicuo ualde, in operibus suis omnibus ostendit uiri boni characterem, qui DEVM et

suam

ſuam religionem amat. *S. Ambroſius* habet ſuas elegantias, ſed eſt uir mediocris ſcientiae, quia affectat inepta acumina, hinc ex operibus eius parum addiſcere poſſumus. *S. Hieronymus* certe magnus uir eſt, peritus Hebraeae linguae, qui meretur conferri ad uerba Scripturae Vet. Teſtamenti, ſed ad ſenſum parum prodeſt. *Commentarii* ipſius pleni ſunt frigidarum allegoriarum, et applicationes eius ui tortae. Inter reliqua eius Opera habes *Tractatum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui eſt fragmentum admodum utile. De cetero ubique hominem iracundum ſe oſtendit, nodum, ut aiunt, in ſcirpo quaerens. Venio ad *S. Auguſtinum*, ad quem legendum autor tibi ſum, quia multa exinde addiſci poſſunt et ad Theologiam, et moralia, et ad elegantiores cogitationes conducentia. Autor eſt pulcherrimus et imaginatione abundante ac felici pollens, qui fere per omnia magnam oſtendit pietatem, magnam iuſtitiam et charitatem. Primus hic Patrum eſt, qui cognouit id, quod Hypotheſis aut Syſtema in Theologia appellatur. Opera eius Polemica ſunt elegantiſſima et digna, ut legantur cum applicatione. Ipſius *Ciuitas DEI* elegans eſt; Tractatus *de uera Religione* ſunt praeſtantiſſimi, *Enchiridion* non minus, *de Agone Chriſtiano* etiam non malus eſt. *Sermones* parui momenti ſunt, *Pſalmi* minoris adhuc, in *S. Iohannem*, in *Epiſtolam ad Romanos* nihil conſideratione dignum habent. *Quaeſtiones* in *uarios Libros Vet. Teſt.* aliquatenus ualent, Plus iuſto pauliſper concedit allegoriis, repetit ſaepe easdem meditationes, affectat falſas antitheſes, ſed hic eſt genius ſeculi, ſub quo uiuebat. Et quod ipſius memoriae ſumme officit; cum nempe quoad officia aduerſus haereticos exercenda, ex eius doctrina antea lenitas et charitas apparuerit; con-

trouer-

trouersiae tamen quas cum *Donatistis* habuit, adeo eum excitarunt, ut se totum mutaret et maxime defenderet: haereticos persecutione cogendos esse ad orthodoxam fidem, uel etiam plane extinguendos, quae est sententia, uti uides, terribilis ualde et inhumana.

D. MARTINI CHEMNITII ORATIO DE LECTIONE PATRVM SIVE DOCTORVM ECCLESIASTICORVM

INSTITERVNT apud me amici, ut meam de Patrum lectione sententiam breui oratione exponerem. Etsi autem copiose et utiliter dici poterat, qua ratione lectio Patrum tuto, et quidem cum fructu ad studium sacrae et canonicae Scripturae adhiberi possit; in praesentia tamen libet duntaxat de singulorum Patrum scriptis breuiter aliquid dicere. Perutile enim imo necessarium est, ut ad lectionem illorum accessurus, habeat antea informatam in animo methodum, et sciat, quid in singulis sit praecipuum et quasi emineat, ac ubi cauendi sint scopuli in illis, quibus uel parum dextre, uel parum commode locuti sunt. Multum etiam proderit illa collatio, considerare, qua occasione aliqua incommodius et minus diligenter dicta illis exciderint, et quomodo alia aetas motis disputationibus, illa postea correxerit. Et multas alias utilitates habet haec res. Sed requirit hominem non tantum multae lectionis, sed praecipue singularis

cuiusdam

cuiusdam iudicii, cui quasi in conspectu sit forma doctrinae in Ecclesia omnium temporum. Talis igitur huius argumenti tractatio ab aliis peti potest. Ego ut amicorum petitionibus satisfaciam, breuiter de singulis, quos quidem mihi uidere et legere contigit, aliquid dicam. Dicam autem de illis scriptis tantum, quae ad nostram usque aetatem peruenerunt, de aliis, quae iniuria temporum interciderunt, consulatur libellus *Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem *Augustinus* lectu dignissimum iudicauit.

Antiquissimum igitur scriptum est, cui titulum fecerunt, *CANONES APOSTOLORVM*. Extat et seorsim, et in *Tomis Conciliorum*. Sciendum autem est, quod *Distinct. XV cap. sancta Romana* diserte dicitur, librum Canonum Apostolorum esse Apocryphum. Et EPIPHANIVS *Lib. III, Tom. I, Haeresi LXX* dicit: *διάταξιν* Apostolorum *ἀσαι μὲν τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἀλλ' ἐκ ἀδοκίμου.* Vid. *Dist. XVI*, ubi ISIDORVS dicit: *Ab haereticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur Canones; et quamuis in eis utilia quaedam inueniuntur, tamen inter Apocrypha deputantur.* Procedentibus uero temporibus receperunt L. Canones: postea LX, demum in sexta Synodo circa An. D. DCLXXVII, recepti sunt LXXXV Canones. Et Glossa mirabiliter se cruciat, ut illa concilier. Ex uetustioribus nemo, quod ego sciam, illos Canones allegat praeter EPIPHANIVM, qui ualde sudat, ut *Paulum* cum istis Canonibus concilier. *Paulus* dicit: *Virgo, si nubit, non peccat.* Canon uero dicit: *Peccatum esse post semel decretam uirginitatem ad nuptias conuerti.* Et CYPRIANVS illum Canonem ignorauit. Dicit enim *Lib. I, Epist. XI*, de illis, quae professae erant uirginitatem: *Si perseuerare nolint, uel non*

non possint, melius est nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant. Ipse etiam stylus Canonum nihil habet Apostolicum, sed est tale genus dicendi, quale in *Dionysii* scriptis. Multa sunt ibi, quae probari non possunt, ut, quod rebaptisationem ponunt. Vocant enim *baptisma haereticorum, lauacrum Diaboli.* Vid. *Dist. XXXII.* Vbi notetur, quod *Stephanus*, Papa Rom. contra Cyprianum, allegat contrariam traditionem: non esse rebaptizandos baptisatos, ab haereticis uel schismaticis. Item XLIIX Canon numerat inter libros Canonicos tres Libros Maccabaeorum: cum tota antiquitas contrarium testetur. Item quod trinam mersionem in baptismo fecit necessariam et alia. Est tamen antiquum scriptum, et continet aliqua non inutilia, de antiqua forma gubernationis in Ecclesia. Et quid sit laica communio, unde *Eccius* probare unam duntaxat speciem Eucharistiae, ex istis Canonibus intelligitur. Obseruetur et hoc. Notum est, quo consilio conditum sit Symbolum ab Apostolis, et quare ita appellatum. Secuti sunt igitur homines, qui alia quaedam confinxerunt, et ut plausibili specie ea obtruderent Ecclesiae, appellarunt Canones Apostolorum, quia dicit *Paulus:* τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι. Alii uocarunt διάταξιν, quia *Paulus* dicit: cetera cum uenero, διατάξομαι. Haec historica non sunt indigna obseruatu, 1 *Cor. XI*, 34.

Proximus deinde est DIONYSIVS AREOPAGITA, cuius extant scripta *de coelesti hierarchia: de ecclesiastica hierarchia: de diuis nominibus.* Item, *aliquot Epistolae:* Et alia quaedam, quae recensentur apud *Suidam.* Iam uero nullus ex ueteribus, uel uno uerbo mentionem facit istorum scriptorum. Et *Hieronymus*, qui tamen expresse texit *Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum*,

rum, non ponit Areopagitam in illorum Catalogo, qui scripta sua posteritati reliquerunt. *Valla* et *Erasmus* collegerunt multa argumenta, non esse Areopagitae illa scripta, quae ipsi inscribuntur. Et si nullum aliud esset argumentum; tamen ipse stylus satis conuinceret, non esse Atticum, nedum Apostolicum scriptum. Putatur esse alterius cuiusdam *Dionysii*. Vtut sit, hoc constat apud omnes, non esse certi auctoris: nec, quo tempore sint scripta, facile colligi potest. Ecclesiastica tamen hierarchia propter historica potest legi. Quanquam enim cumulantur ibi ualde multae Ceremoniae, redolentes iam Papisticam superstitionem; tamen collatio Paparus ad illud scriptum ostendit, quantum creuerint superstitiones. Notabile est hoc, quod omnes ceremonias, quas describit circa Sacramenta et alias, dicit tantum significationis gratia adhiberi, nusquam uero ex professo dicit, eas aliquid spiritualis gratiae conferre, sicut nunc Papatus docet. Quamquam negari non potest nec debet, semina superstitionum in illo scripto esse sparsa. Valde enim liberalis est auctor cum suo oleo et multis uerbis, crucibus et aliis ceremoniis, quasi incantat aquam Baptismi, ut fiat lauacrum regenerationis: et describit Sacramenta tam multis ceremoniis, non dicam qualibus, onerata, ut uerus usus nullo modo conspici possit. Insuper tam operosae ibi describuntur ceremoniae, ut ne in Papatu quidem retineri potuerint. Ridiculum hoc est, quod dicit, pontificem, quando peculiari prece sanctificat aquam Baptismi, aliquoties ingeminare oden Propheticam Hebraice: et in IV cap. dicit illam uocem significare laudem DEI uel laudare Dominum. Tantum enim tribuit uoci Halleluja. Hoc tamen inde discitur, quod habet usum non contemnendum, nempe,

quomodo Ecclesia mentionem fecerit Sanctorum circa Eucharistiam. Quocunque enim tempore scriptus sit iste liber, certe tunc nondum fuit inuocatio Sanctorum in Ecclesia. Discitur et hoc ex illo scripto, quibus ceremoniis circa sepulturas mortuorum uetustas usa sit: nulla ibi sunt suffragia, ut ex purgatorio liberetur, etc. Et illa possunt opponi in disputationibus contra aduersarios. Item, unde uenerit consuetudo susceptorum, ἀναδόχων in Baptismo, et quod sit ipsorum officium, ex illo libro discitur, nec facile alibi reperitur. In altero libro, de coelesti hierarchia, tractat de ordinibus Angelorum, quibus gradibus inter se differant, et quomodo officia sint partita et similia. Sed AVGVSTINVS bene dicit: *Esse thronos, esse dominationes, principatus et potestates, certum est: Sed quomodo inter se differant, ipse nouit, qui condidit, et nos in altera uita a facie ad faciem uidebimus.* Non potest igitur multum iuuare lectorem illud scriptum.

IGNATIVS, discipulus *Iohannis* Euangelistae, aliquot *Epistolas scriptas* reliquit, quarum mentionem facit *Hieronymus*, et fuerunt in magna autoritate apud antiquos. Et nunc habentur in μικροπρεσβυτικῷ; sed sunt admixta multa, quae non sunt *Ignatii*. Vt, quod dicit quarta et sexta feria ieiunandum, et prohibet ieiunium Sabbathi, cum AVGVSTINVS aliter haec disputet. Idem dicit: *Quicunque cum Iudaeis Pascha egerit, comparticipabit eis, qui Dominum occiderunt;* cum *Epiphanius* citet canonem Apostolorum plane contrarium, et ex Historia Ecclesiastica aliud probari possit. Item, quod ualde ridiculum est, cum *Ignatius* Graece scripserit, ille Pseudo-Ignatius dicit: *Scripsi haec uobis nono Calendarum Septembris.* Continentur tamen ibi quaedam bona doctrinalia.

IRENAEVS

IRENAEVS inter illos qui extant, et de quibus nihil dubitatur, uetustissimus est. Audiuit *Polycarpum*, discipulum *Iohannis*. Scripsit autem multa, quae recensentur apud *Hieronymum*. Nunc uero tantum *quinque Libri* extant, et illi quidem satis male uersi; cum tamen *Irenaeus* in sua lingua eleganter loquatur: *Epiphanius* enim aliquot paginas ex illo Graece citat. Dicunt Graecum exemplar alicubi extare: et dignum esset, ut prodiret in lucem. Multa enim, quae incommode sunt uersa, dextre inde possent intelligi. Sunt autem libri illi lectu dignissimi, quia fundamentaliter disputant de primis principiis Christianae fidei. Haeretici enim tunc reiiciebant Scripturam, et sua etiam absurdissima deliria obtrudebant Ecclesiis, nomine traditionum Apostolicarum. Exponit igitur, quae sit uera traditio ab Apostolis commendata Ecclesiae: nempe, cuius summa comprehensa est in Symbolo, (nam fere totidem uerbis recitat Symbolum) et dicit, illam traditionem in omnibus Ecclesiis Apostolicis eandem esse. Huic addit textum Scripturae et multis ostendit, quae scripta Apostolorum sint canonica. Sumit igitur illa duo, traditionem seu Symbolum et textum Scripturae: et quod cum his non conuenit, reiicit tanquam haereticum. Et hoc bene obseruandum est contra Aduersarios, qui insignes errores et manifestos abusus recipi uolunt, tantum propterea, quod dicunt esse traditiones. Deinde pius animus ualde confirmatur, quando uidet, in descriptione haereticorum istius temporis depictam esse faciem Papatus, cum suis erroribus et abusibus: ut de chrismate, extrema unctione et multis aliis. Deinde continentur ualde multa bona doctrinalia, de singulis fere articulis fidei: de duabus naturis in CHRISTO, de Eucharistia, quod non sit sacrificium,

um, quale fingunt aduersarii: Item, quod eadem fide saluati sint Patres Veteris Testamenti, et sancti Noui Testamenti. Iam uero, quia disputat contra illam sententiam, quam postea Manichaei amplexi sunt, aliquando durius et incommodius loquitur de libero arbitrio. Item, quia disputat contra illos, qui fingebant, alium esse Deum legis iustum et alium Deum Noui Testamenti misericordem; ideo minus diligenter loquitur de discrimine Legis et Euangelii. Alibi uero de fide Christi, et de iustificatione, pie et commode disserit. Non ponit etiam satis explicatam sententiam de peccato originis: quia illos sibi proponit oppugnandos, qui causam peccati Deo tribuebant. Illa in multis locis apud *Irenaeum* ita leguntur: et quando perfecta est causa et occasio, cur ita loquatur, tunc sine offensione et cum fructu potest legi. Leuiora sunt illa, cum exponit *Eloi*, *Adonai*, *Sebaoth*, sed parum grammatice. Item cum dicit, Christum fere fuisse quinquaginta annorum, contra omnem historiam. Vetustas obseruauit in eo errorem in fundamento, quod amplexus sit sententiam Chiliasticam, et sunt quaedam semina eius *in V Lib.* cum exponit aliquot capita Apocalypsis.

Eodem fere tempore fuit in Africa TERTVLLIANVS: et inter Latinos Scriptores, eos quidem, qui extant, uetustissimus est. Scripsit hic multa, quae cum fructu legi possunt: ut *de Principiis Christianae fidei*, eodem fere modo, quo *Irenaeus*. Titulus est *de Praescriptionibus haereticorum*. Defendit etiam *articulum Trinitatis contra Praxeam*, et dicit Ecclesiam credere tres subsistentes personas. Item, *de humana natura in Christo*, titulus est *de Carne Christi*, de *Resurrectione carnis*. *Et quinque Libros contra Marcionem*. *Apologeticus* eius, quem edidit *pro Christianis*,

pro-

propterea lectu dignus est, quia describit statum ueteris Ecclesiae, ceremonias et disciplinam. Hunc *Tertullianum* postea Clerici Romanae Ecclesiae inuidia et contumeliis eo redegerunt, ut ad Montani dogma delaberetur. Ita enim scribit HIERONYMVS: *Et scripsit aliquot uolumina contra orthodoxos, de monogamia, de ieiuniis, de persecutione, de pudicitia, de noua prophetia, etc.* Extant et illa fere omnia, quae propterea legere non inutile est. Sunt enim in illis semina totius Papatus, saepe totidem uerbis, sicut nunc Papistae docent; Et propter illa postrema scripta, in quibus errauit in fundamento, Ecclesia omnes eius libros ponit inter apocryphos, et uult eos caute legi. HIERONYMVS cum ipsius auctoritate urgeretur, dicit: *De Tertulliano aliud nihil respondeo, quam Ecclesiae hominem illum non fuisse.*

ORIGENES floruit circa annum Domini CCXXX, et fuit discipulus *Clementis Alexandrini*, cui etiam postea successit in schola κατηχήσεως. Vnde etiam conscripsit *Summam Doctrinae Christianae*, cui titulum fecit περὶ ἀρχῶν. Vir fuit maximi ingenii; unde aliquot millia librorum edidit. HIERONYMVS dicit: *Quis nostrum tanta potest legere, quanta ille conscripsit?* Nunc uero tantum habemus, quod ex *Russini* uersione ad nos peruenit, duo uolumina. Porro scripta eius semper fuerunt suspecta, et HIERONYMVS dicit: *Credite experto, uenenata sunt illius dogmata; et aliena a Scripturis Sacris nim facientia Scripturis.* Et addit: *Laudo interpretem Originem, sed non dogmatistam.* Sed tamen *Epiphanius*, et ceteri, hoc in ipsius interpretationibus reprehendunt, quod planissima dicta transformat in monstrosas allegorias. Post mortem ipsius, an. CCL magnae ortae sunt turbae in Ecclesia, quibusdam defendentibus

Originem, propter ingenii praestantiam et uitae integritatem, quibusdam anathematisantibus ipsum mortuum, cum omnibus suis scriptis. Hinc *Epiphanius* et *Hieronymus* collegerunt multos insignes errores *Origenis*. EVSEBIVS contra *in Historia Ecclesiastica* integrum Librum consumit in laudibus *Origenis*. HIERONYMVS modeste inquit: *Non consueui eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Quod si quis nobis opposuerit errores eius, audiat libere, interdum magnus dormitat Homerus: non imitemur eius uitia, cuius uirtutes non possumus sequi.* Notabile hoc est, quod citat HIERONYMVS ex *Epistola* quadam *Origenis*, ubi cum dolore fatetur, se multa erronea scripsisse, et culpam confert in *Ambrosium* notarium, qui illa, quae *Origenes* secreto ingenii causa disputaret, consignauit. Legi tamen potest, sicut *Hieronymus* eum legit, ut bona eius eligantur, reliqua auctori relinquantur.

CYPRIANVS Martyr, circa annum Domini CCLX ob uitae sanctimoniam et confessionis constantiam, in maxima apud omnes fuit auctoritate. Extant *quatuor eius Libri Epistolarum*. Aetas eius incidit in talia tempora, quae non tam occasionem disputandi, quam consolandi et exhortandi uinctos praebebant. Hinc Epistolae eius pleraeque sunt generis suasorii, et referunt pectus ardens pietate, ita ut lectorem accendere possint. *Doctrinalia* habet *contra Nouati haeresin de Eucharistia*, multa *historica de Forma Gubernationis Ecclesiae* istius temporis, et quod multis in locis disputet, omnia esse exigenda ad Canonem Sacrae Scripturae. Quia uero tunc inter saeuitias persecutionis multi abnegabant doctrinam, et postea simulata poenitentia redibant ad Ecclesiam; rursus uero orta alia persecutione primi erant, qui non tantum abnegabant, sed prodebant reliquos;

liquos; ideo nimis est in exigendis publicis illis mulctis, quas *Satisfactiones* uocant; adeo ut dicat remissionem peccatorum non ualere, nisi illa satisfactione fuerint persoluta. Dicuntur illa duriter, sed tamen commoda interpretatione possunt mitigari, si quis consideret causam dictorum, et rationem illorum temporum. Saepe etiam de aliis minus proprie loquitur, sicut in declamationibus uel materiis suasoriis. Habuit etiam errorem in fundamento, ut quod statuit cum suo Concilio Africano, Baptismum non ualere, nisi sit datus a ministro orthodoxo et pio, et ideo censuit rebaptizandos. Renouarunt istum errorem *Donatistae*, tempore *Augustini*, et tuebantur se auctoritate *Cypriani*: sed quia est error in fundamento, *Augustinus* auctoritatem *Cypriani*, salua ipsius honorificentia, hac in parte, plane reiecit: et ueram sententiam ex Scriptura quaesiuit. Dignum autem hoc est obseruatione, quod *Cyprianus* tam diligens lector fuerit *Tertulliani*, ut nullum diem transmitteret, quin magistrum (*Tertullianum* intelligens) sibi dari iuberet, sicut refert *Hieronymus*. Et quia multa Montanica deliramenta sunt immixta scriptis *Tertulliani*, infectus est etiam *Cyprianus* illa opinione, quod ἰσθλοθησκείαις et ceremoniis, superadditis Sacramentis tribuit efficaciam gratiae et remissionis peccatorum, etc.

LACTANTIVS fuit circa annum Domini CCCVI, scripsit *de Opificio DEI*, et *Institutiones Fidei*, et ut dicam breuiter, non multum potest iuuare lectorem. Tantum enim fere contra Paganismum disputat. Annotauit hoc *Hieronymus*, quod *Lactantius* negat Spiritum Sanctum esse substantiam, id est, personam.

ATHANASII Historia omnibus notissima est. Reliquit autem aliqua scripta posteritati, et Graecum quidem exemplar habetur. Nam *D. Philippus* eo aliquam

quamdiu usus, nondum tamen editum est. *Symbolum* ipsius magno totius Ecclesiae consensu semper probatum est. Extant deinde, ex uersione qualicunque duo Libri digni lectione: unus *contra Gentiles*, alter *de Incarnatione uerbi*. In fine enim dicit, se ea tradere, quae a peritis Scripturae doctoribus et a Christi martyribus didicerit. Extat deinde disputatio *Athanasii*, habita contra *Arium* coram gentili iudice. Feruntur praeterea alii eius Libri *de Trinitate*: sed non uidentur per omnia tanti uiri eruditioni et grauitati respondere, et propter illos libros utile esset, Graecum Exemplar edi. Conscripsit etiam *Titulos*, in quibus casibus, quibus Psalmis, uel pro oratione, uel pro gratiarum actione, utendum. Fertur etiam Opusculum *Athanasii* nomine, *de uariis quaestionibus*, quod non potest ipsius esse; quia allegat *Epiphanii* opus Panarium.

Eodem fere tempore apud Latinos fuit HILARIVS, cuius honorificentissimam mentionem facit *Hieronymus ad Marcellum*: quamuis alibi in illo Gallicum cothurnum, et graecos flosculos reprehendat. Primus apud Latinos scripsit *de Trinitate*; Scripsit etiam *de Synodis Orientalium*; ubi ostenditur, in quibus Episcoporum conuentibus Ariana haeresis sit damnata. Illum librum uertit ex Graeco. Scripsit etiam *Commentaria* in *Matthaeum*, et *in aliquot Psalmos*; sed illa ad uerbum dicitur transtulisse ex *Origene*: et si Historiae hoc non dicerent, tamen res ipsa satis ostendit. De Trinitate Graecorum sententias collegit: et nisi ipse collegisset decreta Synodorum Orientalium, iam nihil sciremus; quia in *Tomis Conciliorum*, sicut nunc habentur, ceremoniae quaedam in illis Synodis sancitae recensentur, nihil uero de dogmatibus. In Commentariis, quia illa ex *Origene* transcripsit, saepe satis incommode

commode loquitur; sicut aliqua possem adscribere, nisi prolixum esset. De iustificatione aliquoties bene loquitur, repetens illud, nos sola fide iustificari. Habet porro errorem in fundamento, qui ab antiquis etiam reprehensus est: quod aliquoties dicit, nullum fuisse sensum doloris in Christo, sed sicut telum transit per aërem, uel per aquam, sine aliquo sensu, ita fuisse omnes passiones in Christo. Dicit enim Verbum recessisse ab humana natura, cum Christus clamat: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? *Bonauentura* uero scripsit, se ex *Guilelmo Parisiensi* audiuisse, quod *Hilarius* illum errorem peculiari quodam libro retractarit, sed non extat.

Antequam pergamus, notandum est, quod florentissima aetas praecipuorum Patrum in idem fere tempus incidit. *Athanasius* enim iam senior scripsit ad *Basilium*, tunc adhuc iuuenem, et illa epistola extat. Iam uero *Basilius* et *Nazianzenus* aliquot annos Athenis, in communibus studiis et eadem habitatione, uersati sunt. Praeterea extat *Epistola Basilii ad Ambrosium*, et *Ambrosius* baptizauit *Augustinum*, *Hieronymus* uero senex fuit, iuuene adhuc existente *Augustino*, sicut Epistolae ostendunt. Et *Epiphanius* scripsit ad *Hieronymum*. Fuit etiam *Chrysostomus* eodem tempore. Fuit igitur seculum illud pulcherrimum, et postea uix umbra talium uirorum in Ecclesia fuit, per multa secula, simul fere florere coeperunt, et simul etiam desierunt.

EVSEBIVS CAESARIENSIS, quem etiam Pamphili uocant, tempore *Constantini Magni* et *Nicaenae Synodi* floruit. Scripsit *Historiam*, quae *Ecclesiastica* uocatur, et primus contexuit *Chronologiam* omnium temporum. Scripsit item libros *de Demonstratione* et *praeparatione Euangelica*. Quia uero apertissimus fuit propugna-

pugnator Arii (ut refert *Hieronymus*) et in laudibus atque excusatione *Origenis* totum consumsit librum, *Gelasius in cap. sancta Romana*, refert Historiam eius inter Apocrypha: quamquam legi illam uelit. Sed *Hieronymus* dicit: *Ecclesiasticam pulchre Eusebius Historiam texuit.* Et *Basilius* uocat eum ἀξιόπιστον. Et res ipsa ostendit, scriptum esse necessarium; cum illi autores, unde ipse sumsit, interciderint: et tamen maior est grauitas in illius Historia, quam in *Nicephori*. Chronicum ipsius (quanquam secutus supputationem Septuaginta in temporibus non praecise conueniat) propterea laudem meretur; quod uiam patefacit reliquis ad diligentiorem supputationem. Non enim facile esset (ne dicam impossibile) contexere chronologiam omnium temporum, si non posteritas eius uestigia, quae sequeretur, haberet. Reliqui libri de demonstratione et praeparatione diligenter sunt scripti contra gentiles, sed non habent multa doctrinalia, unde lector admodum posset iuuari, praeter historica quaedam. Ecclesiasticam Historiam uertit *Ruffinus*, sed suo more: ideo graece commodius legi potest.

BASILIVS Magnus ex nobili genere fuit, et ut ipse scribit, a puero Christianis parentibus educatus, didicit sacras literas. Vid. *Epist. LXXV.* Versatus autem est in multis Academiis, et tandem profectus Athenas, sodalis et contubernalis fuit *Nazianzeni* per aliquot annos. Postea multas Ecclesias perlustrauit quaerens consensum istius doctrinae, quam a nutrice sua acceperat, quae *Gregorium Neocaesariensem* audiuerat. Multa erudita conscripsit *de articulo Trin. de diuinitate Filii*, et *Spiritus Sancti*, et praeterea multa doctrinalia lectu dignissima. Quam commode enim et pie loquitur de articulo iustificationis, in scripto de humilitate?

litate? Et quid multis? Vetustas non sine causa illum uocauit Magnum. Iam uero nec illud negari potest: quod alicubi incommode et improprie loquatur, sicut de libero arbitrio, et peccato originis, quaedam ipsius dicta mitigat et excusat contra Iulianum. Secessui uero et monachismo plus, quam par est, tribuit: sed si quis statum illorum temporum consideret, potest dextre illa considerare. Feruebant tunc ut maxime tumultus Ariani, et non tantum conuiciis et clamoribus disputabant, sed saepe in ipsis templis ad gladios perueniebatur. Cum itaque uideret *Basilius*, non esse locum modestis ingeniis, secessit cum suo *Nazianzeno* in insulam quandam, ubi certis lectionibus, psalmodiis et aliis exercitiis pietatis uacabat. Retractus tamen est ad Episcoparum: et cum uideret deploratum istorum temporum statum, nec quicquam profici eruditione uel modestia, maluisset in honesto otio procul ab istis turbis uiuere; ideo tantopere commendat secessus, et hyberbolice saepe extollit exercitia istius generis uitae. His cognitis, possunt *Basilii* scripta aliquo cum fructu et sine offensione legi.

GREGORIVS NAZIANZENVS, contubernalis *Basilii*, ingeniosus et doctus fuit. Per XXX enim annos in uariis Academiis didicit: sed non fuit tam idoneus ad gubernationem Ecclesiarum, sicut *Basilius*. Ideo uel recusauit Episcopatus, uel, si compellabatur suscipere gubernationem, reliquit Ecclesias, petens secessus, et demum in tali philosophico otio mortuus est. Scripsit aliquot libros *de diuinitate Filii*, tam acute, ut uix aliquis suspicari possit, quid uelit dicere. *Orationes* uero eius sunt elegantes, et propter multiplicis historiae cognitionem legendae sunt: quamuis etiam aliqua doctrinalia tractent. Habet uero suum quoddam

dam peculiare genus dicendi, satis floridum: quod propterea obseruandum est, quia tunc primum coeperunt apostrophae ad sanctos mortuos. Sunt enim Apostrophae illi tam usitatae, ut dicat: *O tu Pascha magnum et sacrum, tecum enim colloquor etc.* Ideo illae figuratae locutiones in declamationibus non probant inuocationem sanctorum. Nam de dogmate, an orent uel sint compellandi, manifeste dicit *Basilius*, nihil certi se habere.

Quomodo AMBROSIVS ad gubernationem Ecclesiae uenerit, ex ipsius Historia notum est. Scripsit autem multa: sed optimus est ille labor, quod *in omnes Epistolas Pauli Commentaria* scripsit, quae lectorem aliquo modo iuuare possunt. Extat et *Commentarius eius in Lucam*. *In Esaiam* etiam scripsit, et uetustas illud scriptum prae ceteris omnibus in auctoritate habuit, sed iam non extat. In commentariis Paulinis commodissime loquitur de iustificatione. Sunt praeterea alia ab eo scripta, ex professo doctrinalia. Habet tamen quaedam, minus commode et proprie dicta, praecipue de libero arbitrio, et peccato originali, quae Pelagiani pro sua sententia allegarunt. Sed quomodo sint intelligenda, AVGVSTI. *Lib. I, contra Iulianum* pulcherrime disseruit. Fuit autem in magna auctoritate, etiam apud Orientales: ita ut *Hieronymo* uitio datum sit, quod alicubi parum honorifice ipsius mentionem fecerit.

HIERONYMI ingenium fuit praestantissimum, et unicus ille labor aeternam meretur laudem, quod *sacra Biblia ex fontibus* uertit. Et scribunt, ex Patribus solum *Hieronymum*, natum ex Christianis parentibus, habuisse cognitionem Hebraicae linguae. Quia uero praeterea fuit multae lectionis, uariae et difficiles quae-

stiones

stiones ab eo sunt erudite explicatae. Et in illo genere, et praeterea in *commentariis*, ualet et dignus est qui legatur. Quando uero disputat de aliquo articulo fidei, non conferri potest ceteris Patribus. Amans fuit disciplinae, ideo saepe tribuit electitiis exercitiis meritum remissionis, donec exortis Pelagianis, quaedam mitigare et retractare coactus est. Damnat enim quaedam in *Pelagio*, quae *Hieronymum* antea et scripsisse et sensisse constat. Praeterea quando aliquem sibi refutandum proponit; omnino nimis hyperbolicus est, et acerbitas illius et hyperbolica uehementia, etiam sui temporis hominibus displicuit, sed noluerunt illum irritare. Ita, cum satis scabiose de coniugio scripserat contra Iouianum, et aliquid respondendum esset: *Augustinus* scripsit libros de bono coniugali, adeo modeste, ut uix animaduertatur, cuius errori oppositi sint. Quae igitur pertinent ad Grammaticam et Historiam, ex *Hieronymo* disci possunt, doctrinalia uero non item.

EPIPHANII habemus scriptum *de Haeresibus*, ex quo etiam *Augustinus* compendium quoddam contraxit, quod extat, *de Haeresibus*, ad Quod uult Deum. Est autem scriptum ualde bonum, et utile propter historiam. Quae certamina mota sint contra singulos articulos fidei: et quam sententiam Ecclesia in singulis articulis contra haereticos defenderit; haec duo utiliter possunt ex ipsius scripto disci. Nam quas ipse opponit refutationes et confirmationes, aliquando sunt frigidiores. Scripsit etiam *Ancoratum*, ubi praecipue tractat articulum de Filio DEI.

CHRYSOSTOMI magna fuit eloquentia. Scripsit *Commentaria in Genesin*, *in Matthaeum*, in *Iohannem*, et in *omnes Epistolas Pauli*: quae adeo fuerunt posteritati

ritati probata, ut *Theophylactus* in compendium illa contraxerit, resectis declamatoriis, quod hodie ab omnibus legitur et probatur. Scripsit praeterea multas *Homilias*, quarum lectio potest instituere studiosos. Sed tamen obseruandum est hoc, quod fuit et eloquens et ualde uehemens, ideo ipse fatetur, se saepe loqui declamatorie, non uere. Sicut etiam HIERONYMVS de se dicit, excusans quaedam incommode dicta: *Rhetoricati sumus, et aliquid declamationibus dedimus.* Pelagiani ualde iactabant, *Chrysostomum* secum facere, quia de libero arbitrio et peccato originis loquitur saepe non satis proprie. Sed *Augustinus* uult sententiam *Chrysostomi* sumendam esse, non ex homiliarum declamationibus, sed ex illis locis, ubi proprie loquitur ex professo. Vid. *Librum primum contra Iulianum.* Plura possent dici, sed temporis breuitas nunc non concedit.

AVGVSTINO omnium eruditorum iudicio conceditur palma; sed considerandum est, quare et quibus in rebus. Incidit autem in illa tempora, ubi multa simul certamina mota sunt de praecipuis articulis fidei, et cum omnes Ecclesiae in ipsum respicerent, coactus est opponere refutationes et fundamenta quaerere uerae sententiae. Et inde factum est, quod non tantum habet integras disputationes de multis articulis, sed quod multo magis proprie et commode ueram Ecclesiae sententiam proponit et explicat, quam reliqui Patres, qui nondum motis disputationibus, saepe securius locuti sunt, ut ipse *Augustinus* dicit. Et propterea etiam conatus est multa antiquorum incommodius dicta commoda interpretatione corrigere. Saepe enim in haereticis damnat et reiicit ex Scriptura illa dicta, quae apud Patres totidem uerbis leguntur. Nec tamen

men in alieno scripto talis censor est? uerum etiam de suis scriptis *duos Libros retractationum* composuit. Et ita ex *Augustino* discitur, quo iudicio et candore Patrum scripta legenda sint. Primum enim ueram sententiam quaerit ex Scriptura: Deinde si Patres retinuerunt fundamentum, candide eorum dicta interpretatur ad analogiam fidei: etiam quando aliquid incommodi habent. Non patitur autem ea opponi fundamento. Cum uero error est in fundamento, ut *Cypriani* de Baptismo, relinquit eos sine interpretatione, et sequitur sententiam Scripturae. Et dignum est obseruatione, quod ante *Augustini* tempora nimium a multis tribuebatur auctoritati Patrum. Sed cum haeretici suos errores, sine Scriptura, tantum ex Patrum incommode dictis uellent stabilire, adegerunt AVGVSTINVM, ut saepe in suis scriptis repetereret illud axioma, quod omnino necessarium est in Ecclesia, nempe: *Ex solis libris Canonicis probandos esse articulos fidei, reliquorum uero scripta ita legenda, ut liceat in illis improbare et respuere, quae cum ueritate canonica non congruunt, etc.* Plura igitur doctrinalia habet *Augustinus*, quam aliquis reliquorum, et ea etiam magis proprie et commode explicata, quam extant apud reliquos. In *Commentariis* uero non est ita felix: accommodat semper ad locos communes, pie quidem, sed saepe non in loco, quia non habuit perfectam cognitionem linguarum, sicut *Hieronymus*,

Necessario etiam hoc obseruandum est ei, qui cum iudicio et fructu uult legere *Augustinum*, ipsum commode et pie quidem sentire, sed tamen saepe loqui suo more; quia accommodat se ad disputationes et certamina suorum temporum. Vt uocabulum *iustificare*, *iustitia*, *gratia*, usurpat paulo aliter, quam uel in Scriptura, uel in nostris Ecclesiis nunc usurpatur. Pugnat enim contra *Pelagium*, qui fingebat hominem post acceptam remissionem peccatorum, sine auxilio Spiritus S. suis naturali-

naturalibus uiribus posse legi satisfacere, et ita habere iustitiam. Ideo *Augustinus* iustitiam uocat nouam obedientiam, gratiam, auxilium Spiritus S. et iustificare ex iniusto iustum facere. De re ipsa uero pulchre nobiscum sentit, nouam obedientiam non esse perfectam in hac uita: et ideo omnium piorum spem unicam esse, quod aduocatum habent apud Patrem, qui est propitiatio pro peccatis eorum. Multi hoc non animaduertentes, ubicunque inuenerunt uocabulum iustitiae, uel gratiae, comportant omnes sententias, saepe parum uel nihil facientes ad ipsorum propositum. Ideo cum iudicio non tam colligantur, quam eligantur. Vnum uero est, in quo ipse suam regulam non obseruauit: dicit, ex Scriptura probari non posse, an mortui uiuentium suffragiis iuuentur; et axioma fuit receptum apud omnes patres, post hanc uitam nullum esse locum uel poenitentiae, uel remissionis peccatorum. Tamen quia usitatum tunc erat in Ecclesia, mentionem facere mortuorum circa Eucharistiam, concludit *Augustinus* contra Scripturam et illud axioma Patrum, mortuos aliquid iuuare, et dubitat de Purgatorio. Et quod ille dubitauit, *Gregorius Magnus* postea ex Scriptura conatus est confirmare, ita ut Purgatorium fieret articulus fidei. Tam periculosum est, ambigue uel dubitanter loqui de articulo extra et praeter Scripturam.

CYRILLVS praecipuus fuit in Synodo Ephesina, et scribunt, *Augustinum* mortuum anno istius Synodi: Ideo *Cyrillus* fuit postremus fere ex florentissima illa aetate. Quia uero controuersia *Nestorii*, de unione duarum naturarum in Christo et de communicatione Idiomatum, non fuit facilis explicatu: adeo ut multi Episcopi contra *Cyrillum* cum *Nestorio* publice sentirent, magnae fuit dexteritatis illa ita euoluere et explicare, ut uera sententia intelligeretur. Nam antiquitas non satis diserte locuta erat de isto articulo, cum satis erat, Arianos refutasse. Multa autem reliquit *Scripta de ista Controuersia*, quae omnino digna sunt, ut legantur. Scripsit etiam *XIV Libros, de Articulo Trin.* quibus titulum fecit *Thesauri*. In *Iohannem* etiam *Commentaria*, digna ipsius eruditione. Sed desiderantur aliquot libri.

Sed iam cogor finem facere, ideo non possum pertexere catalogum eorum, qui secuti sunt: et ne de his quidem potui dicere quantum uolebam, propter temporis angustiam. Amici tamen, quicquid hoc est laboris, boni consulent. Scriptum Wittebergae die sanctae Catharinae, Anno MDLIV.

✣ ✣ ✣

INDEX

INDEX I
PATRVM ET SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM IN HISTORIA SINGVLORVM SECVLORVM RECENSITORVM

A

Abelardus (Petr.) p. 207
Adamus Bremenſis 186
Ado Viennenſis 147
Aegidius Romanus 229
Aeneas Syluius 289
Agobardus 145
Aimonius 147
Albertus M. 229
Albertus de Argentina 258
- Stadenſis 232
Albinus ſ. Alcuinus (Fl.) 129
Alexander de Hales 228
Algerus 206
Aligerius 258
Aluarus 147
Alphonſus Toſtatus 282
Amalarius 147
Ambroſius 68. 445. 460
Amphilochius 68
Amsdorfius 322
Anaſtaſius Sinaita 107
- - - Abb. 146
Andreas Damaſc. Ep. 118
Angelus de Clauaſio 285
Anna Comnena 205
Annius (Ioan.) Viterb. 290
Anſelmus 185

Antonius Eremita Aegypt. 64
Antonius de Padua 228
- Campanus (Ioh.) 291
- Florent. 285
Apollinarius Sen. 65
Arator Poet. 205
Archidenus Baſil. 205
Argyropulus (Ioh.) 292
Armandus de Bellouiſo 231
Arminius (Iac.) 389
Arnobius Afer 62
Arnobius Iunior 189
Arnoldus (Abb. Luc.) 231
Athanaſius 63. 442. 455
Athenagoras 31
Auentinus 312
Auguſtinus (Aurel.) 70. 445. 462
Auguſtinus de Roma 286
Aureolus (Petr.) 254

B

Balduinus (Frid.) 389
Balſamon (Theod.) 205
Baptiſta Mant. 317
Barlaam 252
Baronius Card. 389
Baſilius M. 67. 442. 444. 458
- Seleuc. Ep. 91
- Maced. Imp. 148

Batricides (Eutychius) 165
Beccus ſ. Veccus 227
Beda Venerab. 119
de Beck (Ioh.) 258
Bellarminus (Rob.) 389
Benedictus (Vmb.) 105
Benno 186
Berengarius 184
Bernhardus 206
Bertramus ſ. Ratramus 145
Beſſarion Trapez. 287
Bidenbachius (Fel.) 389
Biel (Gabr.) 283
Blondus Flau. 288
Boethius (A. M. T.) 106
Bonauentura 229
Bontinius (Anton.) 290
Bonifacius (Winefr.) 128
Bradwardanus Th. 257
Brentius (Ioh.) 322
Brigitta 257
Bruno 187
Bucerus (Mart.) 322
Budaeus (Guil.) 317
Bugenhagius 322
Burchardus 166

C

Calixtus (Georg.) 414
Calouius (Abrah.) 414
Cananus (Ioh.) 291
Cantacucenus (Ioh.) 252
Capiſtranus (Ioh.) 282
Capriolus (Ioh.) 280
Caſaubonus (Is.) 389
Callianus (Ioh.) 87
Caſſiodorus (Marc. Aurel.) 105
Catharina Senenſ. 257
Cedrenus (Georg.) 183
Cerularius (Mich.) 182
Charlierius (Ioh.) 279
Chemnitius (M.) 363
Chryſoloras (Manuel) 253
Chryſoloras (Demetr.) 291
Chryſoſtomus (Ioh.) 70. 442. 443. 461
Cinnamus (Ioh.) 205
Clemens Alexandr. 32
Clichtoueus (Iac.) 317
Cnophius 322
Cochlaeus (Ioh.) 322
Codinus (Georg.) 253
Comnena (Anna) 205
Conſtantinus Porphyr. Imp. 164
Cranzius (Alb.) 317
Crocius (Lud.) 389
Cruciger 322
Cyprianus (Thaſci) 48. 444. 454
Cyrillus Hieroſolym. 64. 443
- - Alexandrin. 89. 442. 464

D

Damaſcenus (Ioh.) 130
Damaſus 66
Damiani (Petr.) 185
Dannhauerus (Conrad.) 414
Dionyſius (Alex.) 49
- - (Areopag.) 65. 448
- - (Exiguus) 105
- - (Carthuſ.) 283
Ditericus (Vitus) 322
Dorſchaeus (Ioh. Georg.) 414
Ducas 292
Durandus a S. Port. 254
Durantes (Guil.) 230

E

Eberhardus 257

Eccius (Ioh.) 322
Edmundus (Virgo) 229
Eginhardus 145
Eligius Lemouic. 118
Emſerus (Hier.) 322. 325
Ephrem Syrus 67
Epiphanius 66. 442. 461
Eraſm. Rot. 317
Erigena (Ioh.) 146
Euagrius Archidiac. Conſtant. 69
Euagrius Scholaſt. 107
Eugenius (M.) 292
Eugenius (Ioh.) 292
Eulogius Patriarch. Alex. 107
Eulogius Martyr 147
Euſebius Pamph. 63. 442. 443. 457
Euſtathius 63
Euſtratius 294

F

Faber (Iac.) 322
Facundus Herm. 105
Fagius 322
Flacius (Matth.) 337
Franciſcus Aſſiſius 228
Forſterus (Ioh.) 389
Fortunatus Venant. 105
Forerus (Ieſuita) 389
Freculfus 145
Fredegarius (Scholaſt.) 130
Froiſſardus (Ioh.) 288
Fulbertus 183
Fulgentius Afer 104

G

Gaguinus (R.) 290
Galatinus (Petr.) 317
Gelaſius I. 88
Gelaſius Cyciz. 90
Gennadius (Maſſil.) 88
- (Georg Schol.) 292
Georgius Trapez. 292
Georgius (Monach.) 130
- (Metrop.) 205
- Acropolit. 227
- Metoch. 227
- Pachymer. 227
- de Valentia 389
Gerhardus (Ioh.) 414
Gerlachius (Steph.) 389
Geruaſius Tilber. 231
Geſnerus (Salom.) 389
Glycas (Mich.) 205
Gobelinus Perſona 289
Godofridus Viterb. 209
Gomarus (Fr.) 389
Gottoſchalcus (Fulgent.) 146
Gratianus 208
Grauerus (Albert.) 414
Gregorius (Thaum.) 49
Gregorius (Nyſſenus) 67. 442
- (Nazianz.) 68 442. 444 459
Gregorius (Florent. Georg.) 105
- (Magnus) 106
- VII 186
Gretſerus 389
Grostheat (Rob.) 229
Grynaeus (Simon) 318
- (Ioh. Iac.) 372
Guilielmus de Seliniaco 228
Guilielmus Pariſ. 228
Guilielmus Tyrius 210

H

Haffenrefferus Matth. 389
Hanapus (Nic.) 230
Harmenopulus Conſtant 205

Haymo 147
Hedius (Casp.) 322
Hegesippus 31. 68
Heilbrunneri (Iac. et Phil.) 389
Helmoldus 209
Henricus de Hassia 286
Hermannus Contractus 184
Hermolaus Barb. 287
Heroldus (Ioh.) 210
Hesychius 117
Hieronymus 69. 445. 460
Hieromonachus (Matth.) 252
Hilarius 65. 456
Hilario 292
Hildebrandus (Gr. VII) 186
Hildebertus de Lauard. 187
Hincmarus 146
Hippolytus 47
Hoe (Matth.) 413
Hoepfnerus (Henr.) 389. 413
Hochstratus 322
Hugo de S. Victore 208
- Etherianus ibid.
- de S. Caro 229
Huttemannus (Ioh.) 414
Humbertus Cardinal. 184
Hungerus 389
Hunnius, Aegid. 389
- Nicolaus 414
Hussus (Ioh.) 281
Hutterus (Leonh.) 389

I

Iacobus de Voragine 230
- de Vitriato 230
Ignatius 30. 450
Ildefonsus 119
Innocentius III 230
- IV et V 230
Ioachimus Abb. Florent. 208
Iohannes Presb. 69
Iohannes Scholast. Climat. 107
- Scholast. Syrus 107
- Casp. Iciunat. 107
- Philoponus 117
- Malala ibid.
- Moschus 118
- Saresber. 209
- de S. Aegidio 229
- de Parisiis 231
- Capistr. 282
- de Turrecremata 283
Iornandes s. Iordanus 106
Iosephus Bryennius 291
Irenaeus 32. 442. 451
Isidorus Pelusiota 90
- Iunior 106
Isychius 117
Iulius Afr. 48
Iulius Firmicus Matern. 64
Iunius (Fr.) 389
Iustinus Martyr 30. 442. 443
Iustinianus Laurent. 281
Iuo Carnot. 186
Iuuencus 64

K

Kalteisen (Henr.) 281
Keckermannus (Barthol.) 389

L

Lactantius Firmian. 63. 455
Lambertus Schaffn. 185
Lanfrancus 184
Langius 318
Latomus (Iac.) 322
Leontius byzant. 107
Liberatus 105
a Lichtenau (Conrad.) 231
Longolius 318
Lucifer (Calarit) 65
Ludgerus 147

Luitprandus (Ital.) 166
Lupoldus German. 258
Lutherus (M.) 318. 322
Lyranus (Nic.) 254
Lyserus (Polyc.) 389. 414

M

Macarius (Sen.) 68
- (Macres) 291
Maior (Georg.) 322
Marbachius, Phil. 389
Marius Mercator 89
Marianus Scotus 185
Martinus Polonus 232
Marsilius Patauin. 255
- Ficinus 285
Matthaeus 258
Matthaeus Paris. 232
Maximus (Taurin.) 89
- (Constantin.) 118
Mayronius Fr. 253
Meffrethus, Pr. 287
Melanchthon (Phil.) 322
Melito Asianus 31
Menzerus (Balth.) 389
Methodius 49
Methodius (Homolog.) 148
Micrologus (Ioh.) 187
Minutius Felix 47
Moerlinus, Ioach. 337
Morus (Thomas) 317
Mosellanus (Petr.) 318
Moses Barceph. 165
Mylius (Georg.) 389

N

Nauclerus (Ioh.) 290
Naucratius 145
Nemesius 69
Netterus Th. 288
Nicephorus Patriarch. Const. 144
Nicephorus Blemmida 227
- Callistus 252
- Gregoras ibid.
Nicetas (Dauid Paphl.) 148
- Pectoratus 182
- Serron. 182
- Philosoph. 205
- Acominatus 227
Nicolai (Phil.) 389
Nicolaus de Cusa 281
Nicon Armenus 165
Nidhardus 147
Nilus Constantin. 91
- Archimandr. 182
- Metropolita Rh. 252
Nonnus 91
Notgerus s. Notkerus Leod. 166
Notgerus 147

O

Ocham s. Occam Gu. 254
Odo Francus 165
- Camerac. 206
Oecolampadius (Ioh.) 322
Oecumenius 165
Optatus Mileuitanus 67
Origenes 48. 442. sq. 453
Orosius (Paul.) 87
Osiander (Andr.) 322
Otto Frising. 209

P

Pachomius 64
Pachymeres 227
Palamas Greg. 252
Papias 30
Pappenheim Matth. Maresch. 258

Pappus (Ioh.) 389
Pareus (Dauid) 389
Paschasius Rathb. 145
Paulus 286
Peraldus Gu. 230
Perezius 288
Petrarcha (Fr.) 257
Petrus Siculus 147
- Venerab. 206
- Lombardus 207
- Comestor 207
- Blesensis 208
- de Monte 231
- de Vineis 232
- de Alliaco 279
- de Natal. 289
Petrus de Duisburg 258
Pfeffinger (Ioh.) 337
Phaebadius 65
Philastrius 69
Philostorgius (Cappad.) 90
Photius 148
Phranza, G. 291
Picus, Io. 284
Pirckhaimerus 318
Piscator (Io.) 389
Pisides Georg. 118
Planudes (Max.) 253
Platina (Baptist.) 289
Pletho (G. G.) 292
Poggius, Brandolinus 288
Polanus (Armand) 389
Polycarpus 30
Pontius Paulinus 70
Prierias (Sylu.) 322
Primasius 105
Procopius Gazaeus 106
Procopius Palaest. 106
Prosper Aquitan. 89
Prudentius 65
Psellus (Mich.) 148

R

Radolphus (Glaber) 184
Radulphus (Ardent) 206
Rathbertus (Pasch.) 145
Ratramus 145
Raymundus de Pennaforti 228
- Martini 230
- de Sabundo 288
Regius (Vrb.) 336
Reuchlinus (Capnio) 317
Reinerus Sachonus 229
Remigius (Rhem.) 89
- Lugdun. 146
Rhaterius 166
Rheginо 147
Rhenanus (B.) 318
Richardus de S. Victore 208
- de Media Villa 231
Robertus de Sorbonna 229
Roluink s. Rollwink 289
Rungius (Dau.) 389
Rupertus (Tuit. Abb.) 206
Ruysbrochius (Ioh.) 256

S

Sabellicus (M. A.) 290
Sadeel (Matth. Anton.) 389
Saluianus Presb. 88
Sanudo Martin. 257
Sarpius (Paul.) 363
Sauanorola (Hier.) 283
Saxo Grammat. 232
Scholarius (Georg.) 292
Schilterus (Zach.) 389
Schnepffius (Erh.) 337
Scotus (Duns) 253
Scultetus (Abrah.) 389
Scylitzes (Ioh.) 183
Sedulius (Presb.) 87
Serron (Nic.) 182
Seuerus (Sulpitius) 87

Franckesche Stiftungen zu Halle

Seuerus Patriarch. Antiochen. 106
Sguropulus (Sylu.) 292
Sigebertus (Gembl.) 209
Simeon (Metaphr.) 164
Simeon (Iunior) 182
- Archiep. Theſſ. 291
- Stylites 106
Smaragdus 166
Socrates 90
Sophronius (Damaſc.) 118
Spalatinus (Georg.) 322
Speratus Paul. 322
Suares 389
Suidas 165. 183
Suffridus 257
Suſo Henricus 231
Syneſius 90
T
Tannerus 389
Taraſius 130
Tatianus 31
Taulerus (Ioh.) 256
Tertullianus 32. 444. 452
Theodoretus 90. 442. 444
Theodoricus a Niem 288
Theodorus (Lector) 106
- Metochita 252
- Studites 144
Theodoretus Abucara 148
- Laſcaris Iun. 227
Theodolphus (Ital.) 129. 147
Theophanes (Iſaac) 130
Theophylactus Simocat. 118
Theophylactus Archiep. Bulgarorum 182
Theophilus Antioch. 31
Thomas Aquin. 229
- de Kempis 284
- de Vio 317
Thummius (Theod.) 389
Toramus (Ruf.) 69
Toſſanus (Paul) 389
Trithemius (Ioh.) 317
V
Vlphilas 66
Vſuardus 145
Vaſquez (Gabr.) 389
Vedelius (Nic.) 389
Victor Epiſc. Vtic. 88
- Epiſc. Cap. 105
Victorinus (Fab. Marcus) 66
Vincentius (Lerinenſ.) 88
- Bellou. 232
Viues (Io. Lud.) 317
W
Walafridus Strabo 146
Warnefridus (Paul.) 129
Weller (Hier.) 337
Wellerus (Iac.) 414
Weſſelius 287
Wiclefus 255
Wilhelmus Malmesb. 209
Willibaldus 129
Wimphelingus (Iac.) 318
- Sletſtadienſis 290
Wimpina (Conr.) 322
Winckelmannus (Io.) 389
Wittikindus 166
X
Ximenius (Rod.) 231
Ximenius (Fr.) 317
Xiphilinus (Ioh.) 183
Z
Zarabella (Fr.) 280
Zigabenus (Euth.) 205
Zonaras (Ioh.) 205
Zoſimus 91
Zwinglius 322

INDEX II RERVM

A

Abelardus Petr. Pag. 217. 223
Abrahamiani 135
Abyssinorum Rex 225. 360
Academia Colonienſis 277
- Heidelbergenſis ibid.
- Pragenſis ibid
- Erfurtenſis ibid.
- Ienenſis 356
- Altorfina 368
- Schaumburgica 407
Acephali 96. 109
Acoemetae monachi 100
Acoluthi 55. 80
Adamiani 35
Adamitae 299
Adelbertus Pſeudo-Propheta 135
Adiaphoriſtae 356. 361
Adrianus Papa 329
Aera Alphonſina 250
- Chriſtiana 114
Aethiopes conuerſi 104
Aëriani 72. 75
Aëtiani 72
Agapae Chriſtianorum 20
Agnoëtae 110
Agnus DEI conſecratus 275. 390
Agricola (Ioh.) autor formulae Interim 355
Albertus, Brandenb. Archiepiſc. 323
Albigenſes 223. 233
Alexander, Papa 211
- III 222. 223. 225
Alexander, Papa IV 224. 246
- V 246
- VI 296
- VII 310
Alexius Imper. 424. 425
Alcoranus 202
Αλληγορια Zwinglii 125
Almaricus 334
Altaria 336
Altaria in uſum Miſſae 380
America detecta 124
Americani conuerſi 314
Amsdorffius (Nic.) 343. 355. 367
Amyraldus (Moſ.) Caluiniſt. 415
Anabaptiſmus aſſertus 54
Anabaptiſtae 328. 333. 343. 365. 367
Anachoretarum origo 60
Anacletus II, Pap. 222
Anaſtaſius Eutychianus 108
Anathematiſmi Cyrilli 94
Anathematiſmi Pontif. ortus 155
Andreae (Iac.) 367. 373. 374
Andreas R. Hung. 201
Anglia uectigalis Papae 161
- Virgo de Anglia 265
Anglicanae Eccl. emendatio 354
Anglicana reuolutio 440. ſqq.
Anglo-Saxones conuerſi 104. 126
Anhaltini reformati 342

Anima-

Animarum omnium festum 169
Annatae 305
Ἀνόμοιοι 74
Anscharius septentrionis Apostolus 156
Anselmus 185
Anti Christianismus pessima haeresis 236
Anti-Christus Orientalis 117 126
- - - Occidentalis 116. 123 181. 214
Antididagma Colonienſe 348
Antipapae 214. 272
Antiphonorum origo 100. 140
Anti-Scripturarii 428
Anti Trinitarii 363. sq. 370. 396
Antoniani 274
Antonius de Padua 246
Anthropomorphitae 72. 75. 168
Apelles haereticus 37
Aphthartodocetae 109
Ἀποθέωσις, seu Canonisatio Sanctorum 161
Apollinaristae 72. 75
Apologiae Christianorum 42
- - Augustanae Confessionis 339
- - Formulae Concordiae 370
Apostoli XII, 16. horum officium ibid.
Apostolorum doctrina 19
Apostolici (monachi) 113. 218
Aquarii 38
Aqua lustralis 247
Aquisgranensis tumultus 377. 398
Arabici haeretici 51
Arbitrium Liberum 329
- - Seruum 330
Archi-Diaconi 80
Archiepiscoporum origo 80
Archiepiscopatus Gnesenſis 180
Ariani 71. 73. 135
- eorum haeresis damnata 78
- - patroni 108
Arma in templis suspensa 171
Armeni conuersi 104
Arminius (Iac) 396 huius doctrina reiecta 404
Arminiani 397. 398. 402. 404 406
Arnaldistae 217. 222
Arnoldus de Villa Noua 217
Arnulphus Presbyter 224
Ascetae 84
Athanasii Symbolum 71
Atheismus Christianis obiectus 33
- Friderico II. Imp. falso impingitur 244
Attila Hunnorum R. flagellum DEI 101
Audaeani 72. 75
Augustana Confessio defensa 412
- Eiusd. Haupt-Vertheidigung ibid.
Augustani 341
Augusta Vindelicorum pressa 413
Augustinus de Roma 300
Augustus El. Sax. 359. 371. 373
Augustus Administrator Magdeb. 412
Aurea bulla 277
Aureae legendae 160

Aureolus Petr. 254
Auſtriaci libertatem religionis petunt 359
Auerroës et Auicenna Philoſoph. 225
Azyma 167

B

Badenae de religione diſputatum 333
Baiazethis crudelitas in Chriſtianos 275
Balduinus Rex Hieroſ. 221 268
Balduinus Comes Conſtantinopolin occupat 249
Baptiſmi inſtitutio 20
- Adminiſtratio laicis interdicta 391
- Ritus 42
- Controuerſia 50. 54. 136. 189. 198. 216. 217. 218. 262. 376
Baptizatorum lapſus 76
Barbae raſio in Clericis R. reprehenſa 189
Barbaries 104. 251
Barclaius (Robert.) Quackerorum defenſor 425
Barlaami contentio 261
Barnefeldius capite plexus 405
Barretus (Ioh. Nonius) 360
Bartholomaei Ianouezii haereſis 265
Baſilides 35
Batauorum in religione diſſenſus 396
Bebelius, Balthaſ. 427
Beguardi (Beguinae) 239. 268
Belgae adflicti 372. ſq.
Bellarminus 375. eius liber in Barclaium damnatus 398
Bellum Huſſiticum 279
- Ruſticanum 331
- Helueticum 341
- Smalcaldicum 353
- Germanicum tricennale 407. 408
Benedictini Monachi 113
Benedictus V, Pap. 175
- XI 269
- XII 271
- XIII 272. 307
Berengarius 188. 190
Bernhardus (melliſluus) 212
Bernhardus Politianus 276
Bertholdus Hallerus 333
Beryllus 51
Bibliorum uerſio 260 uulgata emendata per Alcuinum 141
- per Caſtalionem 364
- per Sixtum et Clementem Pap. 373. 382
- uerſio Germ. 157
Biblia Tigurina 365
Bibliotheca Heidelbergenſis translata Romam 407. 408
Blandrata Arianus 370
Bockelius (Io.) fanaticus 343
Bodebrazius R. Bohem. 301
Bodenſtein (Andr.) fanaticus 328
Bodo ex Chriſtiano Iudaeus factus 159
Boetii (Henr.) error 395
Böhmius (Iacobus) 392. 399
Bogermannus praeſes Synodi Dordrac. 404
Bogomili haeretici 215
Bohemi preſſi 342. Eorund. libertas in religione 405
- motus 405. 406

Boleslaus Rex Polon. 244
Bonorum operum neceſſitas 360. 366. 418
Bonifacius III, Epiſc. oecumenicus appellatus 123
Bonifacii VIII uitia 238. 245. 249. 269. 276
- IX 273. 275
Borgias 310
Brentius Theologus 335. 343
Brigida Scota 114
Brigitta Sancta 275
Brodericus 298
Brunſuiga reformata 343
Bucerus inſignis Theologus 334. 335. 344. 348.
Bugenhagius Lutheri paraſtata 334. 336. 343
Bulgari et Ruſſi religione Chriſtiana imbuti 156
Burgundiones Chriſtiani facti 86
Buſcherus (Statius) 418

C

Cadauerum Sanctorum translatio 170
Caeciliae B. corpus 379
Caiani (Cainiani ſeu Caianiſtae) 35
Calendarium nouum 368. 371 372
Calix toxicatus 277
Calices in parietibus picti 298
Caliphatus duplex 142
Calixtini 296. 298
Calixtus II, Papa 219. 222
III, 308
Calixti (Georg.) Confutatio Methodi Nouae Veronii 420
- - Controuerſiae 423
- - Antagoniſtae ib.
Calninus 96. 341. 342. 356. 364
Caluiniani 356. 362. 367
Canones Apoſtolici 447
Canoniſatio Sanctorum 161 199. 222. 275. 352
Cantandi mos: ut, re, mi, fa, ſo, la 202
Capito Theologus 334. 344
Capitula Tria controuerſa olim 111
Capriolus 280
Caraffa (Carol.) in proteſtant. iniquus 408
Cardinales 140. 219. 247
- eorundem diſſenſus circa electionem Papae 393
Carmelitae 221
Caroli M. cura religionis 131
Carolus V Imp. 328. 332. 360
Carolus Andegauenſis 244
Carolus V, Rex Galliae 260
- VI, - - 273
- VII, - - 306
Carolus (Dux Borb.) 333
Carolus, Marchio Bad. 360
Carolus, Rex Sueciae 377
Carolus II, Rex Angliae 440
Carpocrates 35
Carpzouii (Sam. Ben.) Examen Praxeos nouae Maſenii 426
Carteſius (Ren.) 429
Carteſianiſmus 430
Carthuſiani 199
Caſſander 365
- Ejusd. Conſultationes 365
Caſſianus (Ioh.) 87
Catechiſmus Lutheri Minor 335
- Nouus 367
Catechiſatio Gerſonis 280

Catechismus Romanus 382
- Heidelberg. 404
- Socinianus 395
Catechumeni ueteres 56
Catharina Senens. 272
- a Bore Lutheri uxor 331
Catholicorum Liga 407
Cecus Asculanus 262
Cellarius (Mart.) Anabaptista 328
Cerdo uel Cerdon haereticus 36
Ceremoniae olim in Eccles. paucae 20
Ceremoniale nouum eligendi Papam 408
Cerinthus (haeret.) 22. 27
Chaisius Iesuita 435
Chazinzarii 121
Chemnitii (Mart.) Examen Concil. Trident. 363. 370
- Eius oratio de Patribus 446
Chiliasmus 23
Chorepiscopi 80
Chosroes in Christianos saeuiit 124
Christi nativitas 15. pueritia ibid. adolescentia ibid. aetas uirilis ibid. ministerium ibid. Apostoli 16
Deitas 74. 373. Status exinanitionis controuersus 409
Christianissimi titulus R. Gall. confirmatus 244
Christinae Reginae Suec. apostasia 424
Christophorus Columbus 314
Chytraeus (Dauid) Theologus insignis 369
Circumcelliones 73. 238
Cistertienses monachi 199
Clemens Pseudopropheta 135
Clemens II, Pap. 197
- III 189. 192. 220
- IV 244
- V 234. 239. 247. 268. 274
- VI 271. 274
- VII 272. 332. 381
- VIII 382. 389 393
- X 432
Clementinae Constitutiones 270
Clementia Theodosii in Antiochenos rebelles 84
Clerus subiectus magistratui ciuili 398
Clerici 189. 274. 312
Clerici a Laicis distincti 140
Cliuia reformata 343
Cocceii (Ioh) doctrina 430
Cocceianismus 430
Coelestinus III 220
- V 247
Coelibatus clericorum 123. 167 176. 179. 189. 191. 214. 222
Coena Domini 334. 344
Coenae S perceptio trina 391
Colonius Amiral 368
Colloquium Marburgense 330 335
- Spirense 346
- VVormatiense ibid.
- Ratisbon. 347. 390
- Possiacense 362
- Maulbrunnense 364
- Altenburgense 366
- Seruestinum 367
- Frankenthal. 367
- Quedlinburg. 372
- Mompelgard. 373
- Badenense 374
- Neoburgic. 402
- Emmending. 375

Collo-

Colloquium Charitatiuum Thorunense 420
- Reinfelsense 424
- Casselan. 427
Collyridiani haeretici 76
Colonia Agripp. reformationem respuit 348
Cometa terribilis uisus 160. 406
Comitia VVormatiensia 328
- Spirensia 332. 334. 349
- Norimberg. 347
- Ratisbon. 350. 378
- Augustan. 337. 354. 357
- Arbogiensia 379
- Parisiensia general. 401
Commendonus (Francisc.) Legatus Papae 362
Communio sub una 234
- sub utraque 359. 363
Competentes in u. Eccles. 56
Conceptio Mariae Deip. 293
- immaculata 400. 408
Concilia quid? 23. 77. sq.
- Nicaenum I 78
- Constantinopolitanum I ibid.
- Elibertinum I 79
- Arelatense I ibid.
- Sirmiense ibid.
- Ephesinum 97
- Chalcedonense ibid.
- Constantinopolit. II 110
- III 121
- IV 136
- Toletanum 122
- Francofurtens. 137
- Constantinopolitana tria 152
- Sacrilegum 153
- Pisanum 319
- Lateranense 320
Concilium Mantuanum 345
- Tridentinum 347. 350. 354. 357. 361. 362. 363. 381. 385
- finitum 363
- ei. Decreta 363. 365
Concilium generale supra Pap. 436
Concionum ex suggestu origo 100
Conclaue Pontif. 245
Concordia circa sacra 434
- Protestant. inter et Pontificios tentata 426
Concordantiarum Bibl. autor 229
Confessio Augustana 337. 338. 370
- Confutata 338
- Defensa 339
Confessio A. uersa in linguas alias 339
- Augustana et Anti-August. 439
- Belgica 404
- IV Ciuitatum 339
- Bohemica 378
Confessio peccatorum publ. sub Leone I in priuatam mutata 99
- auricularis 241. 242. 247
- sacramentalis 300
Confessores olim qui? 43
Conformitatum liber pessimus 247
Conformistae et Non-Conformistae 417
Congressus nocturni 169. 190
Coniuratio pulueraria 394
Conradinus Papae suasu interfectus 244

Con-

Conradus III, Imp. 222
Conradus Collinus 331
Conſalui (Mart.) fanatici error 265
Conſecrationes aquarum 170. 247
- Campanarum 172. 198. 274
Conſiſtoria 383
Conſtantinus M. Chriſtianus factus 61. 84
- Baptiſmus eius fabuloſus 85
Conſtantinopolis a Turcis capta 279. 313. 314
Continentiae donum rarum 157
Contra-Remonſtrantes 397
Conuentus Flensburg. 335
- Lipſienſis 414
- Naumburgenſ. 362
- Torgauienſ. 368
- Pragenſis 405
Copronymus Imp. Iconoclaſtes 132
Coraldus Pariſiis Euangelium profitetur 344
Cornerus (Chriſtoph) theolog. Luth. 369
Coton Ieſuita 398
Coska (Stanisl.) canoniſatus 408
Cracouius (Georg) carceri mancipatus 368
Cracouiae tumultus 375
Crellius (Cancellarius) Crypto-Caluin. 376
- (Iohannes) ſocinianus 378
Crucis ſignum 41. 57. 82. 216
- Chriſt. cultus 108. 135
Cruciger (Caſp.) Exegeſeos Lipſ. autor 367
Cruciata expeditio 200. 203. 224 242. 244 248
Crypto-Caluiniani 376
Cultus ſanctorum 108
Cyrilli patriarchae Epiſtola ad Vytenbog. 400
- Lucaris confeſſio Chriſtianae fidei 409

D

Damaſus II, Papa 197
Dania fidem Chriſt. recepit 156 332
Dannhaueri liber (Reformirtes Salue) 425. 427
Decreta Pontif. praelata S. Scripturae 131
Delphinus (Zach.) Legatus 362
Denarius Petri (Zu Denk) 161
DEVS bonus et malus fictus 21
Diaconi aeuo Apoſtolico quales? 25. 41. 55
Diaconiſſae 41
Dictatus Hildebrandi 194. ſqq.
Dionyſius Soulechat haereticis accenſetur 266
Dionyſii Martyris manus etc. 171
Dionyſius Abbas aeram Chriſtianam ordinauit 114
Diotrephes 23
Diptycha 188
Diſciplina Eccl. olim ſeuera 56
- collapſa 157
- corrupta 172. 197. 240. 311
- reparata 383

Docetae 38
Dominicani 221. 246
- Caluiniſmi accuſantur 392
- eorund. cum Franciſcanis controuerſiae 400
Donatiſtae 71. 73
Donawerda proſcripta 395
Dreierus (Regiomont.) Syncretiſta 427
Dresdenſis Conſenſus 367
Dubitatio de omnibus Carteſ. 429
Dunſtanus Ep. ſuperſtitioſus 169. 176
Duraei (Joh.) Prodromus Irenicor. 427

E

Eberus (Paul.) Synergiſta 367
Ebion haereticus 22
Eccii clamoribus Oecolampadius obrutus 333
Eccleſiaſtici Scriptores pure hiſtorici 9
- - apologetici ibid.
- - dogmatici 10
Eccleſiae incrementa ſub perſecutionibus 60
- noua facies 61
- Conſtitutiones 383
Eccleſia locis certis non alligata 127
Eccleſiae Gr. a R. diſſenſus 235
Eccleſia et concilium ſupra Papam 305
Eccleſiae Rom. uitia 240
Eckardus Monachus haereticus 263
Edictum Caeſaris contra Proteſtantes 339
- Ferdinand. II ferale de reſtit. bonis Eccl. 413. ſqq.
Edictum Nanneticum 380
Eduardus VI R. Angl. 358
Eduardi (Baron.) liber de religione gentilium 428
Elceſaei (Helceſaitae) 51
Electio ad uitam aetern. uniuerſalis Huber. 376
Electorum VII Origo fabuloſa 177
Eliſabetha Regina Angl Reformatam propagat religionem 361. 365. 375. 390
Emſerus (Hieron.) iniquus in Lutherum 331
Epheſina Synodus λησρικὴ 95
Epicureiſmus 301. 318
Epiſcopi Sedi R. iuramento fidelidatis obligati 138. 219
Epiſcopi 25. 40 horum electio et munus 40. 55
Epiſcopius (Simon) os Remonſtrant. 404
Epiſtola coelo delapſa 250
Epulae Thyeſteae 33
Erasmus (Roter.) N. Teſtam. uertit 325
- de libero arbitrio diatribe 329
- Eiusdem liber de amicabil. Eccl. Concord. 343
Eremitarum origo 60
Ericus IV R. Dan. Hieroſolymam petit precandi cauſa 199
Erneſtus Dux Lun. Reformationem ſuſcipit 341
Erneſtus Frid. Bad. March. Roma-

mano Catholicos eliminat 390
Eucharistia 151. 170. 188 190 213. 216. 217. 218. 296. 297. 303. 310. 330. 334 sq.
Eucharistiae ritus 42 167
Eudo de Stella praestigiator 218
Eudoxia Augusta (erudita) 102
Eugenius III, Papa 218. 221
- IV 308
Eunomiani 72. 75
Euphemitae 76
Europae noua facies 386
Eustochium foemina erudita 102
Eutychiani 94. 108 eorum error damnatus 95
Euangelici 378
- eorum unio 397. 399. 407
Euangelium ab Apostol. vbique praedicatum 16
Euangelium aeternum 213
- nouum 235
Euangelii ueri propagatio 330
- impedimenta ibid.
Εὐχῆται 76
Excommunicatio 138. 139 155. 198. 222. 240. 242. 244 276. 319 365 371. 375. 377
- piscium 380
Exegesis Lipsi 367
Exorcismus in baptismo 376 380

F

Faber Pontificius 333
Fabricii (Iac.) liber de uisionibus diuinis 419
Fames dira per German. 160
Fanatici 328
Farellus Genenae reformationem aggreditur 342
Fechtius Argentor. Th. 344
Felicissimus (schismat.) 54
Felix et Elipandus 134. error eorum damnatus 137
Felix V, Pap 205. 308
Ferdinandi I Imp zelus in religione Romano Cathol 403 406. 410
Ferdinandus Catholicus 319
Ferdinandi II, Imp. Edictum in Bohem. 411
- de restit. B. E. 413
Ferdinandus R. Bohemos persequitur 342
- Imperator 360. 365
Festum ascensionis Christi institutum 57
- Natiuitatis 81
- Corporis Christi 234 247. 274
- natiuitatis Mariae 247
- Clauorum et coronae Christi 274
- Visitationis Mariae 275
- de sacris stigmatibus S. Francisci ibid.
- Praesentationis et Conceptionis Mariae 305. 309
- Annae 310
- Iosephi 310
- Francisci ibid.
Feuerbornii Κτιστογραφία 409
Fideles s. Christiani ibebant per gradus 56
Fides an haereticis seruanda 303
Finlandi conuersi 204. 224
Fistulatores 303
Flacius (Matth.) formulae Interim hostis acerrimus 355
- erroneam sententiam de

de P. O. defendens 362. 367
Flaciani 362
Flagellantes 199. 237
Foedus Sanctum 346
Folmarus haereticis accenſetur 218
Forerus (Laurent.) Ieſuita 412
Formula Concordiae 369
- eiusdem oppugnatores ibid.
- defenſores 370
Foſſarii haeretici 301
Foxus (Georg.) Quackerorum autor 425
Franciſcus Dauidis haeret. 370
Franci conuerſi 86
Franciſcus, R. Gall. 332. 344. 345
Franciſcus Aſſiſius 246
Franconici regni finis in Oriente 249
Fratricelli 238. 268
Fratres Bohemi 301
Fridericus Barbaroſſa 220. 223
- II, Imp. 242. 244
- Auſtriacus Anti-Caeſar 270
- Sapiens Elect. Sax. munus aureae roſae accipit 326
- R. Daniae religionem Luther. recipit 332
- Ioach. Adminiſtr. Magd. 366
- III, Elect. Palat. moritur 368
- V, Elect. Palat. autor Vnionis Euangelicor. 397
- Rex Bohemorum 406
proſcriptus 407
Fronsbergius Romam capit 333
Fullo, Epiſc. (Theopaſchita) 95
Funera cum pompa elata 100

G

Galliam Caluinus reformat 342
Gallus (Nic.) Formulam Interim oppugnat 355
Gallicani Clerici definitiones contra R. Eccl. 436
Gallicana perſecutio 435. ſq.
Geneua reformata 342
Genouefa Pariſ Francor. Patrona 114
Georgius Dux Sax. defenſor Pontific. 326. 330. 334 342 346
- Dux Anhalt. pius et eruditus 342
Germaniae praedicatum Euang. 127
- eius turbator Pontifex 202
Gerſon (Ioh.) haeret. annumeratus 300
Gibellini 269
Gieſſenſium et Tubing. controuerſiae 409
Gilbertus Porretanus ſcholaſt. 211. 217
Gnoſtici haeretici 34. 37
Godeſchalcus abſoluti decreti autor 150
Gomarus (Franciſc.) 396. 421
Gomariſtae 397 398
Gormo Rex Dan. Euangelicos perſequitur 177
Gothi Chriſtianos adflixerunt 101
Graduum Eccleſiaſt. ordo 55

Graecae Eccl. cum Lat. unio 306. 314
- dissensus a Rom. 188. 261
Grandimontenses monach. 199
Granuellanus Legatus Imp. 346
Gratia Dei uniuersalis 416
- Conuersionis 433
Gratiani decretum 225
Gratiana aduersus Pontif. R. 30) 319. 329
Gregoriani Monachi 113
Gregorius Ceremoniarum Pater ibid.
Gregorius V Septemuiros non instituit 177
- VII (Hildebr.) dominatum Papal. stabiliuit 187
- - bella inter Principes excitat 201
- - Henr. IV excommunicat 202
- IX, Pap. 247
- X, Pap. 243. 244
- XI, Pap. 272
- XII, Pap. 272. 307
- XIII, Pap. 368. 370. 373. 382
- XIV, Pap. Henr. IV, Reg. Gall. excommunicat 382
- XV, Pap. 407. 408
Gretserus (Iesuita) 390
Grotius ad carcerem damnatus 405
Grynaeus (Ioh. Iac.) Caluinista 372
Gustauus (Adolph.) R. Succ. Euangel. defensor 332. 415
Guilhelmi de S. amore liber de periculis nouissimorum temp. 239. sq.
Guilielmus de Hildernissen fanaticus 299
Guimenius (Amad.) Probabilismi autor 428
Guisii 372. 374

H

Hadrianus Pap. 330 381
Haereticorum poena non capitalis 334
Haereticae Christianorum 42
Hamburgum direptum 201
- reformatum 334
Harwici, Regis Normanni, crudelitas in Presbyteros Angl. 201
Hassia reformata 333
Hatto (Archiep. Mogunt.) a muribus deuoratus 179
Heerbrandi Compend. theolog. 370
Hegira Muhammedanorum 126
Heidanus (Abrah.) Cartesianus 430
Heidelberga expugnata 407
Helcesaitae (haeret.) 51
Helmstadiensis Academia 368
Helmstadienses Theol. 371. sq.
Heluetiorum inter se dissensus 415
Henneberga reformata 349
Henoticum (Zenonis) 96. 98
Henricus (Pius Sax.) Lipsiam reformat 346
- III, Rex Gall. cultro petitus 374
- IV, Rex Gall. Catholicus factus 377. 382. 395. 398
- II, Rex Angl. uirgis caesus 277

Henricus (monachus fanaticus 216
- IV Synodos egit 191. 192
- excommunicatur 193. 194
- VI a Papa ludibrio habitus 220
- Rex Angl. uasallus Papae 244
- VII, Imp. nefarie occisus 276
- VIII, R. Angl. antagonista Lutheri 329. 331. 340. 343. 345
Hermogenes 23. 39
Hermogeniani 34
Herodiani 6
Heruli et Hunni Christianos infestantes 101
Hesychastae (monachi) 261. 266
Hiberni ad fidem conuersi 86
Hieracitae (haeret.) 53
Hierosolymae excidium 26
Hieronymus Pragensis 295. 303. 312
Hildebrandus P. 186
Hildebrandina secta 191
Hilteni (Ioh.) monachi prophetia 320. sq.
Historiae Eccl. descriptio 1
- utilis 7
- curiosae ibid.
- fabulosae 8
- uniuersalis 8
- particularis ibid.
- singularis 9
- tractandae ordo 12
Hobbesius (Th.) 428
Holosphyrus Muhammedis DEVS 225
Homiliarii 260
Homines Intelligentiae 299
Homeritae conuersi 104
Honorius Papa haeresis damnatus 121
- III P. VII, Cardinal. instituit 219
- IV, (III) P. ius Canon. auget 243 246
Horae canonicae 119
Hospitalarii (monachi) 221
Hostia consecrata adoratur 234
- uenenata 276
Hotton (Gotthofr.) Tractatus 421
Huberi (Sam.) error 376
Hugonis de S. Victore liber 214
Hugonotti 362. 368. 372. 373 374. 378 380
- eorum παιδοβαπτία tentata 412 435. 437. 438
Hund tragen 179
Hungari conuersi 143
Hungarorum clades 177. 179. sq.
Hungerus Iesuita 390
Hussius (Ioh.) Papatum impugnat 295. sq. 303
- crematus 312
Huttenus Equ. Fr. 327
Hymenaeus 23
Hypatia Philosopha 102

I

Iacobitae haeretici 95. 110. 135
Iacobus Misnensis, testis ueritatis 209
- V, R. Scot. supremum Eccl. Angl. caput 343

Iacobus R. Angl. Pontificius 440
- VI 390
Ianſenius (Corn.) 417
Ianſeniſtae 419. 426. 429
Iaponenſes Pontif. R. ſubiici nolunt 373
- adſiguntur 408
Iconolatrae 132. ſq. 149
Iconomachi ſ. Iconoclaſtae 133 365
Idola Saxonum 141
Idololatria 293
Ieiunii Quadrageſ. origo 99
Ieiunium Sabbati 167
Ienenſis Academiae origo 356
Ien. Theol. 367
Ieſuitiſſae 415
Ieſuitae Pelagianiſmi accuſantur 392
- facultatem ſcholarum in Gall. impetrant 402
Ieſuitarum autor 352 ſecta horum a Papa confirmatur 360 turbas excitat 375 eorum proſcriptio 378. 398 molimina 435
Ignarius de Loiola, Ieſuit. autor 352
Imagines in templis collocatae 82
Imaginum cultus controuertitur 57. 132. 136. 137
- uſus 137
- ſubuerſio in Oriente 137
Imago Chriſti ἀχειροποίητος 179
Independentium ſecta 417
In dulci iubilo (Cantio) 299
Indulgentiae Papales 214. 240. 249. 273. 323. 324
Innocentiae probandae modus per ferrum candens 161
Innocentiae probandae modus per uſum Coenae S. 170
Innocentius II, Pap. 217. 220. 222
- III, Pap. 220. 234. 235. 241
- IV, Pap. 242. 244
- VI, Pap. 271. 274
- VIII, Pap. 310
- IX, Pap. 382
- X, Pap. 419. 422
- XI, Pap. 432
Inquiſitio Pontif. et Hiſpan. 246. 249. 314. 354. 381
Inſignia Imperii 178
Interim Auguſtanum 355
- Lipſienſe 356
Interregnum magnum 244. 248
Inueſtitura per annulum et baculum 222
Ioach. El. Brand. Luthero infenſus 334
Ioculatores 303
Iohannis de Raguſio error 298
Iohannes de Mercuria (haeret.) 263
Iohannes Euangeliſta in Pathmum relegatus 27
Iohanna IIX, Papiſſa 156
Iohannes XXI, Pap. 260. 261. 270
- XXII, Pap. 260. 263. 267. 274
- XXIII, Pap. 272. 307
- Medicaeus Papa factus 320
Iohannitae (equites) 221
Ioh. Dux Cliuiae Euangelicam doctrin. recipit 343
Iohannes Frid. El. Sax. infelix 342. 353

Iouiniani (Iouinianiſtae) 76
Irenicum Parei 401
Irmenſula et Crodo (Idola) 141
Iſidori corporis translatio 200
Iubilaeum inſtitutum 245. 249
- in 50 annum reductum 271. 273
- ad 25 annum contractum 310
- Lutheranorum 388
- Reformationis 403
Iudaei 33
- eorum fata in Babylone 202
- - receptio in Hiſpan. ibid.
- - ſtrages in German. 277
- multi in Gallia conuerſi 115
- eorum ex Gallia iectio 249
Iudaeus immortalis et uagabundus ibid.
Iuliana (uirgo) 234
Iulianus Apoſtata gentiliſmum reducere tentat 62
- Chriſtianos perſequitur 83
Iulius II, Papa 318. 319
- III, Pap. 356. 381
- Dux Brunſuic. A. Confeſſ. recipit 366
Iurisprudentiae ſtudium exercitatum 277
Ius Canonicum 210. 227. 243. 382
Ius circa Epiſcopos inueſtiendos 138. 139. 155. 174
Ius circa ſacra defendit Arcadius, Honorius, Theodoſius etc. 79. ſq. Carolus M. 139. et alii 155
Ius a Papa Imperatori extortum 197. 222
Ius Pontif. Rom. in Reges nullum 436
Iuſtiniani Imp. Conſtitut. Eccl. 113. 114

K

Karraei 6
Keddus (Iodoc.) Ieſuit. 424
Keithius (Georg.) Quackerorum defenſor 425
Kirchen-Ordnungen 383
Knipperus Dollingius, fanaticus 343
Kuhlmannus (Quirinus) fanaticus 434
Kunigundae S. Virginitas in matrimonio etc. 202
Κυνοφορία 179
Κύρια ἐλέησον 169

L

Labadie (Io.) ex Ieſuit. Reformatus 431
- Ei. Sectatores ibid.
Laici eruditos conuertunt 84
Lancea ſacra 171. 179
Lanfrancus (Transſubſt.) 188. theolog. Scholaſt. parens 211
Lapſi quinam? 43 recepti 54
Latino ſermone ſacra in Eccl. R. fiunt. 124
Latinaliter loqui 307
Legendae aureae 160
Legio fulminatrix 45
Leo I. uniuerſalis Epiſc. 99

Leo IX, Pap. 187. 188 191
Leucorus (Gerard) canonizatus 199
Leuchterus (Henr.) Lutheranus 393
Libellatici 43
Liberum arbitrium 92. 362. 367
Librorum crematio 327. 379
Liga Sancta 372. 374. 377
- Catholica 397
Linguae Ebraic. ſtudium 277
Lipſienſes Crypto Calu. 363
Lipſienſe foedus 414
- praelium 415
Liſoius (haeret. 189
Litania ſeptemformis inſtituta cur? 115
Litaniae 100
Literarum ſtudia reſuſcitata 279. 314
Literae Synodicae 81
- Communicatoriae ibid.
- Canonicae ibid.
- Formatae ibid.
- Encyclicae R. Gall. 437
- Maieſtaticae 396. 403
Lithuanii conuerſi 277
Liturgia (Guil Laudi) 416
Liuones conuerſi 204. 224
Locuſtae 161. 202
Loiola (Ignat.) canonizatus 352 408
Lolhardi haeretici 261
Longobardorum ingreſſus in Ital. 115
- furor 125
- exitus 143
Lotharii Caeſ. ignominioſa pictura 220
Louanienſes antagoniſtae Lutheri 349. 356
Lubecenſes 341
Lucanus (haereticus) 37
Lucidus Presbyter Praedeſtinatianus 96
Lucifer ad inferos detruſus 237
Luciferiani (ſchiſmatici) 77
Lucretia notha Alexandri VI 310
Ludouicus Pius Imper. depoſitus 153
- Bauarus Imp excommunic 270. 271
- Elect. Palat. Lutheranus 369. 371
- Senior. Rex Gall. Synodum aduerſus Abelard. indicit 223
- XIV, R. Gall. Hugonottos extinguit 435
Luneburgum reformatur 341
Lutherus (Mart.) Reformationem aggreditur 317. 323. 329. 333. 342. 344. 345. 383 ſq.
- excommunicatus a Pontif. 327. 381
- proſcriptus a Caeſare 328
Eiusd. nuptiae 331
- Mors 350
- Libri 352
Lutherani adflicti 353
- a iugo Pontif. liberi 383.
- calummis petuntur 433. ſq. 439
Eorum diſſenſus a Reform. 393
Lutheranae et Gr. Relig. differentia 419
- Eccl. uetitas 424

M. Ma-

M

Macedoniani 72. 74
- Magdeburgum expugnatum 415
Magdeburgenſes 357
Maioriſtae 367
Malchitae 95
Mamaluchi 248
Manfredus, R. Sicil. excommunicatus 244
Manichaei haeretici 53. 72. 135. 168
Marcellus II, Pap. 381
Marchionatuum in German. origo 179
Marci S. corpus Venetias translatum 162
Mariae Feſtum Purificat. et Annunciat. 108
Marcion haeret. 36
Maria Deip. ſine peccato 305
Mariani (equites) 222
Marcolphus 347
Marſilius Patauinus 267
Martyriani haeret. 76
Martyrum oſſa collecta 44
- dies natales 44. 57
- Interceſſiones 57
Martyris nomen 43
Martinus V, Papa 272. 303. 307
Mathildis (Comitiſſa) 194. 202 225
Materiarii 39
Mauritii miſeranda caedes 126
Mauri in Chriſtianos crudeles 159
- ex Hiſpan. electi 397
Maximinianiſtae 73
Maximilianus I Reformationem meditatus 325
Marozia (Scortum) 173
Mauritius (Dux Sax.) leges Eccl. condit 349
- Concil. Trident. reiicit 357
- occumbit 358
Melanchthon honoratur 344
- timidus 351. ſq. 356
- Communis Germ. Praeceptor moritur 361
Meletiani haeret. 71. 77
Melitonii haeret. 38
Menander haeret. 21
Mendoza (Caeſar. legat.) 347
Meſſaliani haeret. 72. 75
Meſſias falſus 45
Metaphyſica Ariſtot. 237
Meth (Ezech.) fanaticus 392
Methodus Auguſtiniana 420
Metropolitanorum origo 80
Michael Balbus haeret. 151
- Cerularius perperam haereticis accenſetur 191
Miecislaus, Dux Pol. 172
Miltitius Legatus Pontif. 326
Miniſterium S 216
Minores monachi 239
Minoritae 246. 260
Miraculorum donum aeuo Apoſtol. frequens 28
Miſſale Romanum a Papa improbatum 425
Miſſae pro defunctis 108
- Canone ſancitae 119. 199. 333
Miſſionarii in Perſidem etc. 396
Miſtiwous R. Vandal. in Chriſtianos crudelis 177. ſq.
Molina (Ludou.) 391. ſq.
Molinos (Mich.) Quietiſt. autor 440
Molinaei (Petr.) liber Arminianos

anos offendit 408
Mollerus, (Henr.) Caluinista, 367
Monachatus merita 214
Monachi militiam sequentes 84
- Reges 124
Eorum opes unde? ibid.
- Cluniacenses 169
- hospitalii 199
- mendicantes 221
- Vallis umbrosae 199
Monasteriorum distinctio 158. 198
Monergitae 109
Monarchia V. fingitur 434
Monarchiae Papalis fundamenta 140
- stabilita 193. 214. 222. 279 381
Monotheletae 95. 109. 120. 135
- eorum haeresis damnata 121
Monophysitae 95. 109. 120
Montanistae 34 38
Montenses 73
Morani 396
Morgenröthe (Boehmii) 399
Muhammed 117. 125 225
Munzerus (Th.) Anabaptista 328
Musaeus (Ioh.) 424
- refutat Naturalismum 428
Musaei Lib. de Eccl. uera et falsa 431
Mutationes Regnorum 203
Mylius Superintend. Augustan. eiicitur 372
Mysticus sensus scripturae 157
Mystica theologia 233. 281

N

Nannericum edictum confirmatum 408. et abolitum 438
Naturalistae 428
Naylor (Iac.) Quackerus 425
Nepotiani haeret. 53
Nepotes Papae ditati 425
Nestoriani 94. error in Synod. Eph. damnatus ibid.
Neuserus ex Caluiniano Arianus 367
Nicolai (Henr.) errores 370
Nicolaitae haeret. (Nicolaiani) 23
Nicolaus I, Pap. dominatum affectat 154
- V, Papa 308
Nicolaus de Vltricuria (haeret.) 264
- Calaber (fanat.) 265
Noëtius, Noëtiani 52
Nominales 258. 259
Norberti S. ossa Pragam translata 410
Nordlingensis clades 416
Norvvegia conuersa 156. 224
Nouatiani 51. 54
Nudipedales 235
Nuptiae Parisienses 368

O

Oblationes in Eccl. 57
- pro dormientium spiritibus 100
Occam (Gu.) a quo Occamistae 258. 259
Odeschalcus (Bened.) Papa factus 432
Oecumenici Episcopi origo 123
Ὁμοούσιος 74
Operum merita 149

Oratio-

Orationes ad ſtatuas in templis 131
Ordines militares 221
Orebitae (Huſſitae) 298
Organa muſica in Gallia primum nota 143
Organandi ars ex Eccl. Gr. in L. translata 140
Origenis induſtria ſingularis 60
Origeniſtae 110
- horum error reſuſcitatus 432
- confutatus 433
Orphani diſcipuli Huſſi et Hieron. Pr. 296
Oſculum charitatis 20
Oſiandri (Andr.) errores 357
Oſmanes Chriſtianos adfligit 275
Oſnabruga reformata 342
Oſtorodius (Socinianus) 378
Otto I Eccl. et Reipubl. negotia curat 163. 174
- Ei. victoria ab Hungaris reportata 179
- II, Imp. epiſcopos inſtituit 174
- III. Imp. Pontifices R. declarat 174
Otto, Ratisbon. Epiſc. Hieroſolymam precatum proficiſcitur 199
Otto Henricus Palat. Auguſtanam Confeſſ. recipit 360

P

Paganorum Origo 61
Palamas 261 Palamitae 266
Palatinatus reformatus 350.360
Palaeſtina recuperata a Chriſtianis 200. 224
Pallium Epiſcopale 219
Pamphilius Olympiae artibus Papa 419
Pantheon in panagium conuerſum 124
Papa ſupra Principes 375
Papatus triceps 272. a Satana conſtitutus 349
Papae nomen olim commune 55
Papa damnatus 121. infra concilium 297. 314. 398
Papiſmus haereſis 236
Papiſſa Iohanna 156. Papalis ſedes mutata 269
Pariſienſis ſchola a Carolo Magno erecta 158
Parmenianiſtae 73
Parcus (Dauid) Syncret. 401
Paſchalis II, Pap. 213. 214. 219
Paſchatis tempus controuerſum 34. 73
Paſſauienſis Transactio 358
Paſſionis Chriſti hiſtoria in templis quotannis recitata 100
Paſtores 25
Pathmus Lutheri 328
Patriarchales ſedes V 98
Patriarcharum origo 80
- R. cum Conſtant. de primatu pugna 112
Patrimonium Petri 202
Patripaſſiani 39. 52
Patrum naeui 33 ſq.
Pauliciani 52. 120. 150
Paulus II, Pap. 309
- III, Pap. 344. 347. 356. 381
- IV, Pap. 360. 381
- V, Pap. 392. 393. 402. 407
Pauperes de Lugduno 233
Pauperum Pater 228
Pax religioſa Auguſtana 359
- infeſtata 378
- Pragenſis 416
Peccatores grauiores excommunicati 41

Post poenitentiam recepti 41
Peccatum originis 92 93 an substantia? 362. 367
Pelagius hostis gratiae 92
Pelagiani 93
Pentecostes Festum 41
Peregrinationes ad loca S. 158 199. 214
Perfidiae punitae exempl 308
Persecutiones generales X
- I Neroniana 26
- II Domitiana 27
- III Traiana 42
- IV Hadriana 42
- V 42. et 58
- VI 58
- VII ibid.
- VIII 59
- IX 59
- X 59
Persecutio Vandalica 101
Persecutionis modi crudelissimi 44
Persecutio mota ab Hunnerico, Vand. R. 114 a Theodorico ibid Arabum tres 159. Norvvegorum 159 Vandalorum ibid.
Persecutiones in Waldenses 223
- in Iudaeos 225
- Turcarum in Christianos 275. 313
Persecutiones in Lutheranos et Reformatos 385
- in Graecos Christianos 386
Pestis inguinaria 115
Petrarcha (Fr.) falso haereticis accensetur 267
Petrus et Paulus martyres 26
Petri de Marca liber de concord. sacerdotii et imperii 435
Petrus Gnapheus autor Theopaschitarum 95
Petrus Lombardus Sentent. Pater 210. 211
- de Bruis damnatus 222
- Dresdensis 299
- de Osma (haeret.) 300
Petrobrusiani 216
Pezelius (Caluinianus) 367
Peucerus Crypto Caluin. 368
Philippistae 361
Philippus, Landgrau. Hass. defensor protestantium 333 335. 353
- II, Rex Hisp. Romano-Catholicorum defensor 361. 365. 387
Philetus (haeret.) 23
Philippi, Gall. Reg. Epistola ad Pap. Bonifacium VIII 245. 268. 269
- Pulchri persecutio in Iudaeos 249
Philosophi conuersi errores suos Theologiae admiscuerunt 33 39
Philosophia Aristotelica 250
Phocas tyrannus 123
Photiniani 71. 74
Photius, Patriarch. Constantinopol. 148. 152
Photinianissimus 364
Phygellus haeret. accensetur 23
Picardi (Hussit.) 297
Piscator (Ioh.) Caluin. 391
Pistorius (Ioh.) apostata 374
Pius II, Papa 309
- IV, Papa 361. 365. 381
- V, Papa 365. 382
Pneumatomachi 74
Polygamia 363
Polonia tributaria Papae 203
- huius Eccles. cum Romana unio 379

Pome-

Pomerani conuersi 204. 224
Pomerania reformata 343
Popieli, Reg. Polon. miser interitus 160
Poenae canonicae 80
Poenitentiales gradus 56
Pontificiorum impudentia 60 220
Pontificis Romani electio olim irrita, nisi confirmata a Caesare 114
- potestas restringenda iuxta Canones 436
- decisiones eius non sunt infallibiles ibid.
Pontifex Reges abrogare non potest 394. 398
Pontifici ius uitae ac necis in Reges nullum 401. 410
Pontificem seu Papam eligendi constitutio noua 408
Poppo Episcop. 197
Porretanus (Gilb.) haereticus 217
Praedeterminatio gratiae etc. 392
Praedestinatio 92
Praedestinatiani 92. 96
Praedicatores (monachi) 246. 260
Praemonstratenses 221
Praxeas, Praxeani 39
Preces pro sanctis 82 pro defunctis 124
- causa uictoriae 84
Presbyteriani 366 383 416
Primatus in Ecclesia origo 80
Priscillianistae 76
Proba Falconia 102
Prognostici 51
Prophet cum donum aeui Apost. 27
Προτευκτήρια 45
Prostibula publica 240
Protestantes unde dicti 335. 348
- eorum ius circa sacra 383
- - religio in Germania diffusa 403
Protestantium e Bohemia, Morauia, Austria electio 408
- laniena in Hybern. 418
Prussi conuersi 249
Psalmi Dauidis, ceu cantiones profanae, Hugonottis interdicuntur 362
Pseudepigrapha 18
Pseudo Moses Iudaeus quidam 102
Pseudo Christus 115. 361. 429
Pseudo Prophetae 135. 151
Pseudo Pontifices 164. 173
Pseudo Demetrii 393
Puccius (Francisc.) Pelagianus et Naturalista 376
- confutatus 377
Puer natus in Bethlehem (cantio) 299
Pulcheria foemina erudita 102
Pulueris pyrii inuentor 277
Purgatorium 100. 119. 124. 167. 212. 247. 305. 333
Puritani 366. 375
Puritanismi abolitio tentata 416
Pyxis nautica 277

Q

Quadragesimae 188
Quackerorum origo 425
Quido (haereticus) 264
Quietistae Graeci 261. 266
- Latini in Italia orti 440

R

Rathmannus (Herm.) 411
Ratramus (Bertramus) 145. 151
Rauaillac (Fr.) Iesuita sicarius 398

Rauennatensis Eccl. Papae se opponit 155
Reales (Scholast.) 259
Reditus monaster. 333
Reformati 370. 380. pressi 441
Reformatio in capite et membris necessaria 302. 303. 311. 312
- Lutheri 317. 323
- eiusd. progressus 329 330
Reformationis Lutheri impedimenta 330. 332. 336
Reformatio religionis Secul. IIX, seqq. necessaria credita 138. 153. 154. 302. 303
Regaliae Ius 435
Reghardus Bertholdus de Rorbach (haeret.) 264
Regimen Eccles. externum Constantinus sibi uindicat 79
- τύπῳ regiminis ciuilis induere coepit 98
Regnum Christi nouum 343
Regum autoritas in temporalibus 401. 411
Reihing (Iac.) Iesuita Lutheranus factus 407
Rei literariae incrementa 102
Religio naturalis non saluifica 377. 428
- Papis ludus et fabula 318
- - cogi nescit 374
Reliquiae Sanctorum 158. 200. 214. 247. 259
Reliquiarum cultus 92. 214
Remonstrantes 397
Reseruatum Ecclesiasticum 359
Rhedonius (Th.) crematus 308
Rhemensis ampulla 102
Richelius (Cardin.) Rupellam expugnat 412
Rituum Ecclesiasticorum delectus 383. sq.
Riuetus Antagonista Gomari 421
Robertus, Norman. Princeps, nudipes sepulchrum Domini ueneratur 199
Rogatistae (haeretici) 73
Rokyzanus (Calixtinorum caput) 296
Rollo, Norman. Dux, crudelis erga Christian. 178
Roma Babylon 234
- capta 333
Romanae Ecclesiae litigia intestina 391
Romano Catholici 381. pressi 439
Rosa aurea 326
Rosarii autor 246
Roscelini (haeretic.) 190
Roseae crucis fratres (Rosenfreutzer) 392
- eorum autor ibid.
Rothius (Ioh.) fanaticus 434
Roswida (uirgo) poëtria 180
Rozelini (haeretic.) 190
Rudolphus Habsp. familiae Austriacae fundator 250
Ruissuik (Herm.) 301
Rupella capta 412

S

Sabatai Seui impostor 429
Sabbathica controuersia 421
Sabbelliani (haeret.) 52
Sacerdotum Coniugium 363
Sacramenta integra 167
Sacramentariae lites 367
Sacrificati quinam? 43
Salnerius (Ant.) Geneuam reformat 342
Samaritani 4
Samosateniani (haeretici) 52
Samson (Bernh.) impostor 327
Sanctio Pragmatica 306
Sanctorum memoriae 131

San-

Sanctorum cultus 92. 214
- omnium festum 161
Sandius (Chph.) Arianus 427
Sanguis Christi controuersus 294
- in Augiam delatus 171
Santarelli liber damnatus 410
Saraceni Christianos premunt 125. 142. 159. 200
- eorum progressus 126. 142. 178
Sartor Leidensis fanaticus 343
Satanaël 215
Satisfactionum necessitas 214
Saturninus (haeret.) 34
Sauanarola (Hier.) Martyr 310
Saxonum conuersio 136. 189. 202. 214. 225. 277. 302. 314
Schismatis origo inter Ecclesias Graec. et Lat. 126. 150. 162
Schwenckfeldius 331. 363
Scholae illustres tres, Misenensis, Mersburgensis, Portensis, 349
Scholae institutae a Carolo M. 141. 158 sq.
Schonerus (Valent.) e suggestu deturbatur 393
Scioppii (Casp.) Classicum belli Sacr. 406
Schurmannia (Ann. Mar.) uirgo docta 431
Scotistae / - 258. 260
Scribendi mos per notas 179
Selneccerus (Bezae antagonist.) 367
Semipelagiani (Massilienses) 93
Sendomirienſis Consensus 378
Separatistae 417
Sergius, Patriarcha Constantinopol. 188
Seruetus (Mich.) haeret. 358
Sethiani (haeret.) 36
Seueritae (haeret.) 109
Sfondrata (Coelest.) 437
Sibyllina Carmina 18
Sidonius (Mich.) 355
Sigismundus, Imperat. 296. 302
- Elector Brandenb. Reformatus 400
Sigwartus antagonista Parei 401
Silesii religionis exercitio libero gaudent 396
Simon (Magister haeret.) 264
Simon Magus 21. 27
Simonia 21. 169. 240. 273
Sixtus V, Papa 309. 373. 374. 375. 382
Slauones conuersi 156
Smalcii Commentarius in cap. I. Ioh. 402
Smalcius Socinianus 378
Smalkaldiae conuentus 345. 346
Smalkaldiae foedus 345. 346
Socinus (Laelius) 364
- (Faustus) 378. Assectae ib.
Sodalitas noui amoris 381
Spanhemius (Frider.) 437
Spectrum diabolicum 160
Spencerus (Joh.) Gomarista 421
Spiera (Fr.) desperat 356
Spinola inter Protestantes et Romano-Catholicos concordiam molitur 438
Spinosa (Bened.) Atheista 428
Spirituales (haeret.) 76. 258
Spiritus S. processio 167. 306
Stancari (Franc.) error 357
Stantes quinam? 43
Staurolatrae 121
Stedingi (haeret.) 237
Stellarum influxui fatalis necessitas tribuitur 262
Stephani, Episcopi Rom. ambitio 60

Stephanus Scholasticus (haeret.) 189
Stiefelius (Esaias) fanaticus 392
Stigmata S. Catharinae Senensis et Franciſci controuersa 294
Stiria libertate religionis gaudet 371
Storch (Nic.) fanaticus 328
Strigelius (Vict.) Synergista 362
Stubnerus (Marc.) fanaticus 328
Studium, monasterium 101
Sudarium Christi 247
Sultaha (Sim.) Patriarcha 358
Suares (Franc.) Iesuita 401
Suecia reformatur 332
- turbatur 377. 379
Suecis Euangelium praedicatum 156
Syllabici quinam? 75
Symmachi Antipapa Laurentius 96
Symbolum Apostolicum 17. 198
- Athanasianum 71
- Nicaenum 70. 79
- Pelegrini 167
Symbola oecumenica, ut IV Euangelia habita 188
Syncretismus 401. 421. 423
Synergismus 360. 361. 362. 367
Syngramma Suevic. 333
Synodi per literas conuocatae 55
Synodus protestant. generalis postulata 372
Synodus πενθέκτη, seu quinisexta 121
- Oecumenica VII Nicaena II 137
- Liptinensis 138
- Aquisgranensis 152
- Meldensis 154
- Moguntina ibid.
- Roman. (de moribus Cleri reformandis) ibid.
Synodus Ticinensis ibid.
- Erfurdiensis 175
- Virdunensis ibid.
- Romana ibid.
- Augustana 176
- apud Trosleium Suessionensis 176
- Anglicana ibid.
- VVintoniensis ibid.
- Romana 177
- Constantinopolitana 188
- Aurelianensis 190
- Aquisgranensis 191
- Romana ibid.
- Mantuana ibid.
- Erfurtensis ibid.
- VVormatiensis 192
- Romana ibid.
- Placentina ibid.
- Claromontana 193
- Suessionensis 223
- Papienſi ibid.
- Laudanensis ibid.
- Lateranensis IV 234. 241
- Viennensis 234
- Lugdunensis I 242
- - II 243
- Viennensis Allobr. 268
- Pisana 302
- Constantiensis ibid.
- Senensis 303
- Basileensis 304
- Florentina 305
- Auarici Biturigum 306
- Toletana 307
- Vpsaliensis 377
- Dordracena 404
- Vapincensis 391
- Londinensis ibid.
- Hierosolymitana 430

T

Talmud Hierosol. 60. 379

Tanchelinus (haeret.) 216
Tandemus ibid.
Tannerus (Ieſuita) 389. 390
Tartari 248
Taſtius (Herm) Caluiniſta 336
Tatiani (haeret.) 38
Tauchelinus (haeret.) 216
Taulerus theologus myſticus 267
Templa imaginibus ornata 124
Templarii 221. 268. 277
Templorum origo 81
- conſecrationes 108. 198
- direptio 142
- nomina 170
Templi Hieroſolymitani euerſio 84
Terrae motus 45. 115
Teſtamentum Vet. Speculum Nou. 430
Teſtamentum Nou. Lat. 325
- Anglice uerſum 340
Teſtardus (Claud.) Caluiniſta 415
Teutonici (equites) 222
Tezelius indulgentiarum nundinator 323
Thaboritae (haeret.) 296 298
Theoda Pſeudo Prophetiſſa 151
Theodora (ſcortum) 174
Theodorici miſer interitus 114
Theodoſii M. excommunicatio 81. 84
Theologia ſcholaſtica 204. 210 211. 227. 233. 293
- myſtica 157. 233. 259
Theopaſchitae haeretici 95. 109
Tholoſa reformata 342
Thomas Aquinas 233. 234
Thomiſtae 258. 260
Thummii ταπεινοσιγραφία 409
Thurificati quinam? 43
Thorunienſis Conuentus 378
Tillius exercitus Ligiſtici dux 408
- Ieſuitis addictiſſimus 410
Tolerantia Eccleſiaſtica 423
Traditiones humanae 128. 131 232
Traditores in ueteri Eccleſia 43
Transſubſtantiationis dogma 146. 149. 151. 211. 234. 247. 259
Trapezuntinum Imperium 314
Trementes, Tremuli (Quackeri) 425
Trinitatis myſterium controuerſum 418
Tubingenſes controuerſiae cum Patriarcha Conſtantinopolitano et Gieſſenſibus 370. 409
Turcae 142. 143 250. 251. 275
Tyndallus, Anglus Lutheranus 340
Typographiae inuentio 314

V

Vbiquitiſtarum origo 372
Vladislaus, Polon. Princ. linteum S. Veronicae attigit 409
- Pacis amans 420
Vlmenſes afflicti 341
Vnno, Epiſc. Hamburg. 177
Vnio naturarum in Chriſto hypoſtatica 92
Vrbanus III, Papa 220
- IV, Papa 234. 247
- V, Papa 260. 271
- VI. Papa 272. 275
- VII, Papa 382
- IIX, Papa 352. 408. 410. 414. 419
Valdo (Ioh.) a Papa damnatus 213

Valen-

Valentiniani 34
Valentinus (haereſiarcha) 36
Valentinus (Gentilis) 366
Valeſia ſtirps 374
Vaninus (Iul. Caeſar, ſeu Lucilius) atheus 405. ſq.
Varnenſis clades 308
Vaticinia Huſſi et Hieronymi Pragenſis 313
Venationes Epiſcoporum 158
Veneti Chriſtianos affligunt 200
Veneti excommunicati, cur? 394. ſq.
Veroi diuini uirtus in conuerſione 411
Vergerius (Paul.) Pontificis Legatus 344. 356
Vernantis (Iac.) propoſitiones 428
Veronicae linteum 247. 409
Veronii (Franc.) methodus noua 420
Veſperae Siculae 249
Victor, Epiſcopus amibitioſus 34. 40
Victoria Guſtaui Adolphi regis Sueciae per preces obtenta Proteſtantium prope Lipſiam 415
Vigilantius perperam haereſis poſtulatur 77
Vigiliae 82
Vigilius 111. 112. 115
Viſiones foem. 257
Viſitationes Eccleſiarum Saxoniae 334. 376
Vitalianus Papa, ſacra idiomate Latino fieri iubet 124
Vitus S. Saxoniae patronus 171
Vivicomburium haereticorum 249
Volckelius Socinianus 378
Vorſtius (Conr.) et Arianiſmi et Papiſmi ſuſpectus 379. 401
- eius liber crematus 401
Voſſii (Gerh. Ioh.) hiſtoria Pelagiana 405

W

Waldenſes 212. 219. 223. 233 236. 248. 275. 349. 424
Walterus, Lollhardorum ſeductor combuſtus 262
Weigelius (Valent.) 399
Wenceslaus Rex Bohemiae 277
Huſſum defendit 296
Wicletus (Ioh.) 251. 258. 267
Widonis Abbatis corpus 200
Wigandus, Ienenſis Theologus 367
Wildebram (Frid.) Caluiniſta 367
Wilhelmus Fridericus, Dux Saxoniae 376
Wittebergenſes Crypto-Caluiniani 363. 367
Wittichius (Chriſtoph.) Carteſii defenſor 430
Wolffgangus Wilhelmus, Com. Palat. 400
Wurtenbergicus ducatus reformatus 343

X

Xauerius (Franc.) Ieſuita canonizatus 352. 408

Z

Zanchius (Hieron.) 341
Zeaemannus (Georg.) religionis cauſa captiuatur 412. ſq.
Ziſca, Dux Huſſitarum 312
Zwinglius 327. 333. 335. 341
Zwingliani 341. 360. 361. 363. 364

ihre Lehre u. gottesdienstl. Unterschiede von Ketzereien und katholischen Prälaten äußerst offenbar, mit ihnen u. Herrn Hyazinthus, zu Breslau, zu disputiren. Einmal gingen der Bischof Diego von Osma u. der heilige Dominicus als Apostel Frankreich, bekehrten durch predigen, Unterweisung u. Vorbringung des Messopfers. Man schlug sich mit den Ketzern, oder einmal mit Gastgebern. Der Legat wurde zwar des Landes, man stahl ihm Pferd und das Gepäcke. Raimund von Toulouse, Pfuhlfeld, ganze Falsche Ordnung, sie setzt den armen Legaten, Hofmeister, Pferde, Knechte, 7 Pfaffen erschlagen, u. sie zu Stroh. Viele andere zu gut zu Ketzereien verführen. Simon von Montfort, ein ungesinnter p. 399. seines hohen vornehmen Geschlechts, sich auf gegen die Ketzerey zu declamiren, oder gar Julian nachschwätzen. Was soll denn ihr sein Messen, Meinungen, Meynungen, Glaubensregeln? Julian war d. Simon von Montfort, sich auf d. Landsolum zu machen, ein Landschaft oder nationalisch Glaubens zu erstellen. — Graf Raimund, seine Ketzerey u. verstockt. Unterstützung. Simon Graf von Toulouse 1218. Raimund starb 1222. Dieß ist der alte Graf, der den grausamen Tod und Mordthat für die Ketzerey einer Frau vorzog, dem Bischof, welcher ihn als einen Verbannten, bey Verlust eines Fußes, d. der Stadt Carcassonne, sich nicht sogleich fortzupacken, da er noch nicht in Gefängnißen, für einen ketzerischen Meßlästerung abgeschieden war, aus all Verbannten begraben wollte. p. 441–448. Allegirter, meist Manichäer. Ketzerische Meynungen auf dem Grundbuch d. Ketzergeschichte von Toulouse. d. Pater Jacob Echard p. 422. bemerkt sonnenklar, daß die Manichäer zu allen Zeiten u. in allen Ländern meist Schulen, Träume, Fabeln, die Manichäer (p. 429.) sollen schon Ostern Zeit den Leib Christi für ein blasses Brod gehalten haben. als glaubte auf die Doketen u. sonderlich die Valentianer von der Lehre Valentins, sonderlich lasse sie Fabel Genealogien der Aeonen zu Pfaden und Maria denominiren. Von der Fabel p. 436–444. vorhanden.

Der Zeitpunkt, in dem Evangelium geschrieben, Lauterbach sehr wahrscheinlich zu gering gerechnet hat, trifft zwischen 1063–1069.

1771. starb zu Graz Pierre Quesnel Benard im 75 Jahr. Seine 2 Bände der Geschichte der Jesuiten sollten mit noch 18 in 12 vermehrt werden, worzu er die meiste Zeit s. Lebens auf s. eigene Besichtigung verwandt hatte. allein er wußte ihm [illegible] zu machen und er verbrannte die Schrift einige Stunden vor s. Tode.

S. Hieronymi duo dialogi graeci qui supersunt. iterum recensuit J. Ben. Carpzov. Altenb. 1772. der griech. Hieronymus ist wenig bekant, das wenige, was man mit einiger Wahrscheinlichkeit von ihm weiß ist Joh. Christoph Wolfs Meynung, der ihn für eine Person mit dem Hieronymus hält, der Joh. Damascenus einen Presbyter zu Jerusalem nennt u. weiter f. bey den letztern ein griech. Fragment findet welches er hier abgedruckt ist u. worinnen Heraudgeber eine große Ähnlichkeit mit den beyden Gesprächen des griech. Hieronymus zu finden glaubt. Vermuthl. lebte er zwischen dem 4t u. 6t oder 7t Jhr. Das erste Gespräch ist eine Unterredung eines Juden mit einem Christen von der heil. Dreyeinigk. u. das andre handelt von den Wirkungen des Glaubens u. dem wesentl. Vorzuge des Christenthums.

[Bey der Cansteinischen Bibelanstalt zu Halle sind allein binnen ungefähr 60 Jahren 1,286,000 Exemplarien gedruckt worden, ohne die vom Psalter u. N. T. zu rechnen + die [illegible] [illegible] [illegible] Bibeln [illegible], wo [illegible] [illegible] Bibeln [illegible], aber an den ungarischen Bibelexemplaren der [illegible] [illegible] [illegible].

+ die sich auf 1010100 belaufen]

ad S. 12. N. 131.

Von den so genannten Evangelien u. Episteln bemerke ich, daß sie allmählich entstanden sind, so wohl ihr Auswahl als Benennung von Hieronymus Musäus u. Gregorius dem Großen verschiedentl. verändert worden sey, bis Karl der Große, um den [illegible] Gesetz, bey der [illegible] Seltenheit der Bibeln u. Kommentarien das Predigen zu erleichtern, die von der röm. Kirche [illegible] [illegible] Perikopen [illegible] für s. Reich [illegible] festgestellt habe. 2) Was insbesondere die Evangelien auf die Festtage betrifft, so sind diese schon als [illegible] Perikopen [illegible] auf die [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] worden. so wie [illegible], um den Predigern Anlaß zu geben, die arianische Ketzerey zu bestreiten, [illegible] die meisten Sonntage [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] der Satz: Jesus ist Gott (Joh. 20. 31) erwiesen [illegible] ~~[illegible] [illegible]~~ ~~[illegible]~~

Franckesche Stiftungen zu Halle

Das Concil. zu Laodicea hatte auf 22 B. von Hr. Bischof. Pfingst d. Apostel. Joh. in 59 Canone festgesetzt, es sey d. 7 Brüder nicht zu Hr. Bischof Ehren d. Pfingst Fest zu feyren.

die Bremer haben das Christenthum zuerst nach Liefland gebracht. s. d. Scr. Origines Livonicae.

Es waren in Polen 3 Kirchenpartheyen, [illegible], Reformirte u. die böhmischen Brüder. Diese vereinigten sich alle 3 auf einer Synode zu Sendomir 1570. dieser Consensus Sendomiriensis wurde 1576 auf einer allgemeinen Synode bestätigt u. es wurde die [illegible] der Geistl. [illegible] der sich unterstünde ihn zu brechen. die Polen wollten diese Vereinigung den Churfürsten zu Brandenburg u. Sachsen zur Vereinigung der deutschen Protestanten [illegible] u. riethen eine allgemeine Synode beyder Kirchen an. Die [illegible] aber die [illegible] beyder [illegible], ehe [illegible] die [illegible] in Deutschland [illegible]. Es ist also die Vereinigung der Protestanten in Polen vor dem Kriege der ganzen [illegible] gehalten. die Reformirten u. Böhmischen sind auch vereint geblieben; aber die Evangel. [illegible] Gericke, ein [illegible] in Posen, trat zurück, sie unterschrieben den Consensum [illegible] u. ließen sich [illegible] Polen ordiniren. [illegible] der reformirten Geistl. [illegible] der Brüder [illegible]. Die Nachrichten der Merkwürdigen in einem [illegible] von 1610 geschriebenen Briefe, [illegible] besonders aber der dissidentischen [illegible] in Polen, zur genauen Überzeugung vorgelegt [illegible] 1786. [illegible] der [illegible] protestantischen Kirche in Polen die kirchl. Vereinigung an; zeigt die Nothwendigkeit u. Möglichkeit u. [illegible] alle Hindernisse. Sollte aber [illegible] u. eine Vereinigung der Protestanten u. [illegible] möglich seyn? [illegible] in Polen [illegible] Umstand [illegible] die geringste [illegible]. L. L. 16 L. p. 594.


Jean Morin - Histoire de la ~~Bulle~~ deliverance et de la grandeur temporelle de l'eglise. Paris. 1630. fol.

Bobatio Constantini M. est figmentum, Papaeum, sec. X — proinque inventi quidam Joannes Diaconus. v. Petrus de Marca Concord. lib. III. c. 12.

Von den Acta sanctorum SS. Bollandi Mensium Mai. in 8 sei. mit d. Capitulaire von Kahlo Gadi mit, mit d. Acta von Bollandi Sanctorum Hagenbuch z. Grundsatz an Hagen.

Die Briefe, Acta p. in d. Bibliothek des Cardinals, sind gebr. die wesentliche Grundlage der Gesch. Gregor VII. Register selbst ist, z. Druck, sie offenbar Hand, nach welch. die M. Manuscript Regesten noch aufbewahrt sie nur mit d. Inhaltsangabe z. mit den Charakter der Urkunde, an Ehe für sich Hoffnung werden.


Platina Lebensbeschreibung Gregorii VII. Clementis III.
Onuphrii Panvinii Accessiones in Hist. Platinae post Clement. III.
ej. in Gregorio VII. ist est famosus Hildebrandus. Ein Buch Dictatus Papae und es einige Stücke genuina, aus auch Stücke unterschoben.
est Epist. S. Leonis Epist. lib. VI. 13. z. Pagi ad an. 1077. n. 8. Schelstrat exhibit. ad Conc. Antiochen. p. 235.
Diese Dictatus sind in 27 Sätzen gestellt. v. Baron. Tom. XI. ad 1076. §. 39.
z. Marianus, Hottingerus z. Usserius. — Ad Epist. Greg. VII. lib. I. exhibit sich Greg. VII. sich in unmittelbarer Verbindung mit Gott als Gesetzgeber, Richter, Gesetzgeber, unmittelbar genannt, sich ganz inapellabel, unfehlbar, unverbesserlich



XII A 404

LD 18

Franckesche Stiftungen zu Halle



Franckesche Stiftungen zu Halle